10332

49/69

FR. FRANCISCI PICHON MERINERO,

LECTORIS COMPLVTENSIS IVBILATI,
ET S. INQVISITIONIS QVALIFICATORIS,

OPVSCVLA
DE VIRTVTIBVS SVPERNATVRALIBVS

FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS.

CVM PRIVILEGIO.

Toleti, apud FRANCISCVM CALVO, Typ. Reg. Ann. 1662.

FRANCISCI

RIGHON MERINERO,

CRITOPHILI,

FIDIDISPHI,

ET CHARITATIS.

ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO
D. D. Fr. IOANNI MERINERO,
ECCLESIÆ SERAPHICÆ IVBARI FVLGENTISSIMO,
ET QVONDAM GENERALI SVPREMO, THEOLOGORVM
SVBTILIVM PRINCIPI ANTESIGNANO, VIRTVTIS,
VERITATIS, ET PERFECTIONIS MAGISTRO,
EPISCOPO VALLISOLETANO.

Imperiale S. Ioannis Regum Cœnobium, Prouinciæ Castellæ iure caput, Seraphicæ Ordinis nomine. O. D. C.

GRATITVDO, *Et Religio inducit, Illustrissime Princeps, vt labores nostri, qui tuis semper militarunt auxilijs, semper tuis dicentur obsequijs, & offerantur aris. Opuscula hæc, quæ Compluti quondam meditabatur Fr. Franciscus Pichon tuus nepos, tuo nomine protecta in lucem prodeunt. Neque alium Patronum ambiunt, aut defensorem, quam vestram dominationem; in quo supernaturales virtutes* Fidei, Spei, & Charitatis, *sic infusæ resplendent, quod reliquis huius æui illustribus, & magnis viris longè videaris eminere. Si leo doctissima tua scripta, admirandam scientiam, venerandam doctrinam, exemplarem prudentiam, solertiam in negotijs, consilium in rebus magni ponderis, mirabile regimen, Christianæ Religionis zelum, & quod in te omnia virtutum odoramenta, velut in horto pulcherrimo dulcissima exhalant fragrantia, tui denique generis nobilitatem, & splendorem, è duodecim illis Numanciæ, seu Soriæ Principibus ortum. Non tamen filebo, sed cum Apostolo loquar: quod* sine fide impossibile est placere Deo. *Ad Heb.* 11. 6. *Quantum Deo placeas, vox populi testatur, continuo te appellantis Episcopum sanctum. Magna ergo est* fides tua, *per quam deuicisti Regna, operatus fuisti iustitiam, adeptus es repromissiones, obturasti leonum ora, extinxisti impetum ignis iamiam penè deuorantis pueros Religiosos, seu Religionem Minorum, effugasti aciem gladij, conualuisti de infirmitate, & fortis factus in bello, castra, sicut Machabæus, vertisti exterorum, qui Ordinem S. Francisci, tibi commissum debellabant.* Grandis ergo factus es fide: *Comparabo te Moysi, & Abrahamo? Exequabo te Gedeoni, Baraac, Samsoni, Iephte, Dauidi, Samueli, & Prophetis? Vnum scio indubitatum, quod, vel vt alter Noe, Religionis Arcam Seraphicam in magno afflictionum diluuio, quando persequutionum cataractæ apertæ sunt, & omnes ambitionis fontes ruptæ, in*

salutem domus, seu Ordinis tibi commissi, aptasti, & incolumen infida statione reliquisti.

Hinc manifestè haud vana facta est spes tua; non enim fuit, nec est hypocritæ; cum nunquam oblitus sis Deum. Alta ergo mente reposita est in sinu tuo supernaturalis spes. Iam recordaris, quando fratres tuos longè facti sunt à te, & noti tui, quasi alieni, à te receserunt; sed tu vir iustus, rectus, semper timens Deum, & recedens à malo, vel vt alter Iob: aut quasi Dauid, cum Christo in cruce, positus in tribulationibus sperabas in Domino; Spes mea ab vberibus matris, ideſt Religionis, meæ clamabas, de ventre matris meæ, Deus meus es tu, dicebas, anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi orzbas, & ipse Dominus non discessit à te, sed humilitatem tuam à cornibus vnicornium; & ex ore leonis saluabit: quia fortitudo tua in silentio, & supernaturali spe.

Ex labijs charitatis tuæ percussi sunt aduersarij, & gauisus es in victoria, in euasione tua, & liberatione populi tui. Ex tunc Dominus ita magnificauit nomen tuum, vt non recedat laus tua de ore fratrum Minorum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, quod charitatem tuam maximè exaltat ex Christi D. doctrina. Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, dicit tibi Sacra Mater Minorum Religio, quia sub vmbra tua sedit, quia gutturi suo dulces fructus tui, quia in eam ordinasti charitatem: & quomodo ordinasti? quia patiens es, benignus, non emularis, non egisti perperam, non es inflatus, non fuisti ambitiosus, nec, quæ tua sunt, quæris, non irritaris, non cogitas malum, non gaudes super iniquitate, sed veritati congaudes, omnia suffers, omnia credis, omnia speras, & omnia sustines, quod est summum charitatis. Accipe ergo opuscula hæc, Illustrissime, ac Reuerendissime P. & Domine. VALE, & semper in te maneant supernaturales virtutes, Fidei, Spei, & Charitatis.

Su-

Suma del Priuilegio.

TIene priuilegio por diez años el P. Fr. Francisco Pichon Merinero, Lector jubilado del Orden de S. Francisco, para imprimir este libro, intitulado: *Opuscula de Fide, Spe, & Charitate*, como mas largamente consta de su original, despachado en el oficio de Miguel Fernández de Noriega, año 1659.

Erratum Paginæ. Numeri. Lineæ. Correctum lege.

Pag. 2. *n.* 2. *lin.* 43. Non ex fide, *lege* Non est ex fide. *Pag.* 6. *n.* 7. *lin.* 5. Necessariam. Necessarium. *Pag.* 20. *n.* 50. *lin.* 4. communitatem, communitatem. *Pag.* 37. *n.* 101. *lin.* 10. Rationi, Ratione. *Pag.* 53. *n.* 141. *lin.* 14. esset, essé. *Pag.* 59. *n.* 162. *l.* 9. ist, sit. *Pag. eadem*, hæredis, hæresis. *Pag.* 65. *n.* 184. *lin.* 4. inaudiendi, inaudienti. *Pag.* 66. *n* 186. *lin.* 17. ad titulum, ad Titum. *Pag.* 72. *n.* 200. *lin.* 19. falsæ, falsi. *Pag.* 78. *n* 221. *lin.* 5 aboue, absque. *Pag.* 89. *n.* 252. *lin.* 3. imprudentissimus, impudentissimus. *Pag.* 90. *n.* 255. *lin.* 12. necessacio, necessario. *Pag.* 97. *n.* 276. *lin.* 10. exponendum, exponendo. *Pag.* 112. *n.* 17. *lin.* 12. oppositæ, appositæ. *Ibi lin.* 38. ad essensum, ad assensum. *Pag.* 117. *n.* 30. *lin.* 20. praum, parum. *Pag.* 119. *n.* 34. *lin.* 51. aliciando, aliciendo. *Pag.* 131. *n.* 71. *lin.* 18. propositæ, propositæ. *Pag.* 167. *n.* 181. *lin.* 31. intuitiuæ, intuitiuè. *Pag.* 168. *n.* 185. *lin.* 7. abstractiuæ, abstractiuè. *Pag.* 182. *n.* 226. *lin.* 9. non esse, non esset. *Pag.* 196. *n.* 2. *lin.* 2. ifficultates, difficultates. *Pag.* 262. *n.* 140. *lin.* 3. percussionis, peruersionis. *Pag.* 263. *n.* 144. *l.* 14. in tribus, in titibus. *Pag.* 265. *n.* 159. *lin.* 18. paternos, paternas. *Pag.* 298. *n.* 251. *lin.* 29. eodem, eadem. *Pag.* 302. *n.* 264. *lin.* 15. peccatum, peccato. *Pag.* 308. *n.* 279. *lin.* 18. receptæ, recepram. *Pag.* 316. *n.* 311. *lin.* 2. hæreticum, hæreticicum. *Pag.* 317. *n.* 312. *lin.* 27. Eminentissimus, Eminentissimo. *Pag.* 320. *n.* 322. *lin.* 10. ex causa, est causa. *Pag.* 325. *n.* 341. *lin.* 5. Auctores, Auctoris. *Ibi lin.* 9. iudicis, indicis. *Pag.* 332. *n.* 366. *lin.* 13. cessabitur, cessabit. *Ibi num.* 368. *lin.* 8. cedendum procedendum. *Pag.* 339. *n.* 390. *lin.* 7. abrrogatam, abrrogatum. *Pag.* 343. *n.* 403. *lin.* 2. yagis, yagi. *Pag.* 350. *n.* 425. *l.* 22. de quoliber, de qualiber. *Pag.* 356. *n.* 443. *lin.* 3. condemnatis, condemnantis. *Pag.* 393. *n.* 77. *lin.* 21. alios, alius. *Pag.* 395. *n.* 81. *lin.* 22. quędam, quadam. *Pag.* 405. *n.* 120. *lin.* 5. genere, gerere. *Pag.* 413. *n.* 143. *lin.* 5. nocumento, nocumentum. *Pag.* 423. *n.* 272. *lin.* 39. remissio, remissior. *Pag.* 444. *n.* 59. *lin.* 3. compaciatur, compatiatur. *Pag.* 456. *n.* 17. *lin.* 15. genubus, generibus. *Pag.* 483. *n.* 95. *lin.* 51. probabi, probatu. *Pag.* 486. *n.* 104. *l.* 23. maiorem perfectionem, maior perfectio. *Pag.* 498. *n.* 136. *lin.* 18. quęstionis, quæstiones. *Pag.* 523. *n.* 209. *lin.* 4. tineatur, teneatur. *Pag.* 548. *n.* 286. *lin* 8. noster, nostrum. *Pag.* 551. *n.* 296. *l.* 10. quem, quàm. *Pag.* 578. *n.* 380. *l.* 13. habens, habent. *Pag.* 556. *n.* 312. *l.* 33. opponatur, apponatur.

¶ Hic liber inscriptus *Opuscula de Fide, Spe, & Charitate*, &c. demptis his mendis suo exēplari fideliter respondet. Dat. Matrit. die 6. mensis Ianuarij, anno 1662.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

Suma de la Tassa.

TAssaron los Señores del Consejo este libro intitulado, *Opuscula de Fide, Spe, & Charitate*, a quatro marauedis cada pliego, como mas largamente consta de su original. Despachado en el Oficio de Miguel Fernandez de Noriega, en 9. de Febrero de 1662. años.

FRater Ioannes de Molina, Qualificator S. Inquisitionis, & almæ Prouinciæ Castellæ Sancti Francisci Regularis Obseruātiæ Minister Prouincialis, &c. Dilecto nobis in Christo P. Fr. Francisco Pichon, dictæ nostræ Prouinciæ Theologiæ Lectori Complutensi iam olim iubilato, Archiepiscopatus Toletani Examinatori Synodali ex munere, & nunc eiusdem Prouinciæ Diffinitori. Præsentium tenore ad meritum sanctæ obedientiæ salutaris, facultatem elargimur, vt elaborata à te Opuscula, deque nostra licentia à doctis viris Theologis approbata, quibus inscriptio est *de Fide, Spe, & Charitate*, vtpotè, & publico Ecclesiæ emolumento, & Theologis aprimè vtilia, possis, & valeas prælo tradere, seruatis Apostolicis, & nostri Ordinis constitutionibus. Datis Toleti in nostro Conuentu S. Ioann. Regum 15. mensis August. anno Domini 1660.

Fr. Ioannes de Molina,
Minister Prouincialis.

Cen-

Censura Patrum Lectorum Theologiæ Imperialis, S. Ioannis Regum Toletani Conuentus.

DE mandato R. A. P. N. Fr. Ioannes à Molina Supremæ S. Inquisitionis Hispanicæ Qualificatoris, & huius Almæ Prouinciæ Castellæ Regularis Obseruātiæ Seraphici P. N. S. Francisci Prouincialis Ministri, librū hunc de virtutibus Theologicis Fidei, Spei, & Charitatis à R. P. Fr. Francisco Pichō Merinero, Lectore Complutensi iubilato, præfatæ Prouinciæ Castellæ Diffinitore, Archiepiscopatus Toletani Examinatore Synodali, & Sanctæ Prouinciæ Cartaginensis Commissario Visitatore, elaboratum, & mira eruditione cōpositū iuxta Scoticæ doctrinæ præcepta, attētè perlegimus, iocūdé examinauimus; in quo plura admiratione digna, nulla correctione digna comperimus; viget, siquidem, in eo cum ingenio veritas, cum breuitate claritas, & cum Scoticis apicibus conformitas. Nihil in eo reperimus Fidei Cātholicæ disonum, nihil à Christianis moribus deuium. Quapropter illū luce publica dignū iudicamus in nostræ Seraphicæ Religionis vtilitatē; & Scoticæ nostræ doctrinæ recomēdationē. Ita censemus in hoc Imperiali S. Ioannis Regum Toletano Cœnobio, die 15. mensis Septembris, anni Dñi 1659.

Fr. Ioannes Romano. *Lector Theologiæ.*

Fr. Antonius Rojo. *Lector Theologiæ.*

Fr. Petrode Figueroa. *Lector Theologiæ.*

Licencia del Ordinario.

NOS El Licenciado don Alonso de las Ribas y Valdès, Vicario de la Villa de Madrid, y su partido. Por la presente, por lo que Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, y imprima el tratado de Fide, compuesto por el Padre Fr. Francisco Pichon, Lector jubilado, y Difinidor desta Prouincia de Castilla, de la Orden de N. P. S. Francisco, atento en èl no hemos hallado cosa contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dado en la villa de Madrid à nueue dias del mes de Iulio de seiscientos y cincuenta y nueue años.

D. Alonso de las Ribas.

Por su mandado.

Blas de Olarte.
Not. publico.

APPRO-

APPROBATIO R. P. M. Fr. FRANCISCI de Arcos, Regis Catholici Ecclesiastes, Supremi S. Inquisitionis Senatus Censoris, Sacræ Paginæ Toletanæ Academiæ interpretis, Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinatoris Prouinciæ Castellæ, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptorum, olim Prouincialis.

EX præscripto domini Licentiati D. Ildephõsi de las Ribas & Valdès, huius Curiæ Matritensis pro Eminentissimo Cardinali de Sandoual, Vicarij, &c. Attenta meditatione perpendi, volumen, industria ingeniosa, controuersias virtutum Theologicarum breuitate, non obscura, & profunda claritate disponens, Auctore R. P. F. Francisco Pichon, Prouinciæ Toletanæ S. Francisci de Obseruantia Definitore, ac Conuentus S. Didaci Complutensis quondam Primario, & censeo, nihil in eo, aut Christianis moribus, aut fidei decretis repugnans contineri. Imò quod in vtilitatem communem disciplinæ subtilis Scoti, prælo mandari possit. In nostro Sanctissimæ Trinitatis Matritensi Conuentus, die 7. Iulij, anni 1659.

Fr. Franciscus de Arcos.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI P. M. Fr. Benedicti de Ribas, Ordinis Benedictini: Catholicæ Maiestatis Philippi Quarti Hispaniarum Regis, Regalis Oratoris: & Supremæ Inquisitionis Qualificatoris. De mandato Supremi Castellæ Senatus.

IMperio Regij, atque Supremi Senatus libenter obtemperans; Scholasticas hasce Controuersias de Fide, Spe, & Charitate R. P. M. Fr. Francisci Pichon, Seraphicæ Familiæ, in Prouincia Toletanæ Diffinitoris acclamati, ac in Complutensi Collegio quondam Primariæ Cathedræ eximij Moderatoris: summa, qua potui, diligentia perlegi. Vixque præmanibus habui, quando vt aquas multas è profundo, seu Scotistico scientiarum stagno, dissimulato gurgite olim turgescentes; eas iam fœcunda alluuione vidi promanantes, & fluxu fœlici suo subtiliorum Theologorum mentes perspicaci ingenij acie sedulò irrigare.

Fidem namque, si benè perpendas, non aliud esse reperies, quàm speculum quoddam crystalinum, quo à longè obiectum aliàs maximè distans, vt indistans claret in potentia contuente per illud. Instrumẽtum præfatum obiectum ita absens clarè proponens, *Dyoptra* à Latinis, & *Cubo Optico* à nobis nuncupatur. Hoc enim speculum oculum con-

confortat, & ſpecies viſiuas ita cogit, roborat, & condenſat, vt longiſsimè ſe ſpargant, remque remotiſsimam aliàs inuiſibilem, clarè videri efficiant. Virtus tamen tota hæc, quàm accuties hominum operoſo ſanè labore, dicto artificio præſtitit, ad nihilum, valet, ſi illo non induſtriosè vtaris: debes namque poſtquam illud manibus apprehenderis, rectè, & fixè in obiectum deſtinare; aliàs ibi neutiquam deſeruiret. Prædictam ergo doctrinam gemmis per pluribus locupletatam, quis niſi Auctor tractatus huius de Fide maiori ingenij acumine, maiorique dexteritate vnquam edocuit, priuata elucubratione, veluti ſub fabulo purificando; & modò rurſus luci publicæ exponendo? Nemo quidam, quam hucuſque viderim. Nulli igitur dubium, quin in omniũ vtile huius operis cedat editio.

Galeam eſſe Spem Theologalem decantauit Apoſtolus 1. ad Theſalonic. cap. 5. v. 8. *Et galeam ſpem ſalutis.* Id enim quod manifeſtat, aut reuelat fides, ob idque periculis maximè expoſitum, non niſi ſub ſpei vmbraculo extat protectum. Munere certè validiſsimi armigeri fungitur huius opuſculi eruditus Auctor, ſiquidem mira eloquentia, tam actus, quàm ſpei obiectum, eiuſque fines delucidando, ſapienter oſtendit qualiter caput circumcingi debeat (volo dicere) quali modo propugna-

ri, atque tueri necesse sit; quod Fides imbuit, quodque dictat.

Denique de Charitate sic Paulus profert: *Non agit perperam*, & Theophil. hic: *Non est præceps, leuis, temeraria stollida.* Totum hoc in Auctore huius libri conspicio delineatum apprimè; cum de proprietatibus virtutis Charitatis contemplor acriter disputãtem. Præcipitia nulla non temeritates, nec leue quid, aut veritati disonum in suis conclusionibus inueni: quinimò doctrinam solidam, veram, tutam, Catholicam, & subtilem: nẽpè Scotisticam doctrinam totas redolentes, & totaliter spirantes sæpè sæpius reuisi: talique magisterio latitantes hactenus Parentis, & Doctoris sui sententias in meridianã prodit lucem, vt minimè immeritò mecum cogitauerim, vel Scotisticæ doctrinæ fluẽta ex præstantissimi Doctoris pectore, tanquam ex fonte bibisse; imò nec solum bibisse, sed etiam exhausisse: vel spiritum tanti Magistri, non simplicem, sed duplicem, tamquam alterum discipulũ Elisẽũ petijsse, & accepisse. Eaque propter semel, & iterum censeo prefatum opusculũ typis aureis dignissimum: sic subscripsi Matriti in Conuentu Benedictino S. Martini, die vigesima octaua mensis Octobris, anno à Partu Virgineo milleſimo sexcentesimo quinquagesimo nono.

Mag. Fr. Benedictus de Ribas.

OPVS-

OPVSCVLA VIRTVTVM SVPERNATVRALIVM FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS,

IVXTA MENTEM DOCT. SVBTILIS PRINCIPIS THEOLOGORVM SCOTI.

Auctore P. Fr. Francisco Pichon Merinero Matritense, Lectore Complutensi iubilato, semel, & iterum S. Ioannis Regum Guardiano, Prouinciæ Castellæ Diffinitore, Archiepiscopatus Toletani Synodali Examinatore, ac S. Inquisitionis Qualificatore.

DE Quo disputarunt Sancti Patres: *Aug. lib. de Vtilitate credendi, & lib. de Fide contra Manichæos, & lib. de Fide, & Symbolo; Damasc. per quatuor libros, & alij. Ex Scholasticis Magister in 3. à distinct. 23. ad 25. Alensis*, ibi, & *Seraphicus Doctor. Sanct. Bonaventura*, atque Theologorum *Princeps Scotus: Angelicus etiam Præceptorius 2. 2. per 16. quæstion.* Quos sequuntur *nostri Michael de Medina per 7. libros, de recta in Deum Fide, Castro aduersus hæreses libr. 7. verbo, Fides. Vega de iustificatione. Rofensis art. 1. contra Lutherum. Bellarmin. tom. 4. controuers. 3.* ex quibus eruditissimi *Suarez, & Magister Lorca in 2. 2. Diui Thom.* & ex eis *Pater Castillo*, & nos ex omnibus cum alijs in manuscriptis, vt *Felix, Vrbina, & Eminentiss. Cardinal. de Lug. in suo tract. de virt. Fidei diuinæ.*

Ad præsentem Tractatum Opusculi, Proœmium.

1 NE æquiuocũ, obscurũ, & inefficax nostrum opusculum reddatur, tria in præsenti præmittenda veniunt. Primum est. Quibus modis Fides accipiatur? Secundum, quænam Fides

sit huius opusculi materia? Tertium: quo ordine sit disponendum nostrum opusculum; qua vè methodo ordinandum?

2 Quoad primum hoc nomen *Fides*, accipitur primo pro fidelitate, quæ est virtus spectans ad voluntatem, virtuti iustitiæ connexa, tanquam protestatiua pars eius: cuius ethymologia à *dico*, & *fio*, summitur, eo quod per ipsam fit, quod dicitur, & promissis stamus; prout definiuit *Cicero* 1. *Offic. Fides*, idest fidelitas, *est dictorum, conuentorumque constantia, & veritas*. Et in ista phrasi inuenitur Fides in Scriptura, *ad Roman.* 3. *Nunquid infidelitas illorum Fidē Dei euacuauit?* vbi ly *Fides* pro fidelitate supponit; quia in Deo non est Fides propriè dicta. Et sic intelligitur illud *Psalm.* 44. *Fidelis Deus. Mat.* 2. & 2. *Reg.* 15. Secundo sumitur *Fides*, pro sponsione, & promissione, quæ per fidelitatē impletur: in quo sensu accipitur, 1. *ad Corinth.* 5. *Habētes damnationem, quia primam Fidem irritam fecerunt*. Tertio sumitur pro authoritate, siuè stimatione, quæ debet haberi de aliquo, in stando promissis: & sic *Leuit.* 6. dicitur: *Anima, quæ nezauerit depositum Fidei suæ commissum perdet*. Et *Ecclesiast.* 27. *Qui reuelat arcana, Fidem perdet*. Quarto sumitur pro ipsa veritate requisita ad fidelitatem: qualiter *Hieremiæ* 7. dicitur: *Perijt Fides, & non est inuenta in ore eorum*. Quinto sumitur pro testimonio, & publico instrumento. Sexto pro ipsa conscientia, quæ reddit testimonium rectè operandi. Vnde *ad Roman.* 14. dicitur. *Quod non est Fide peccatum est*.

3 Septimo accipitur pro fiducia, siuè confidentia, qua quis sperat aliquid sibi promissum, fore ad implendum: iuxta illud *Lucæ* 17. *Si habueritis Fidem*. Et *Matth.* 14. *Modicæ Fidei quare dubitasti?* Quod non potest intelligi de assensu Fidei: aliàs non modicæ, sed nullius Fidei debebat appellari: illa enim dubitatio ex timore oriebatur, qui nō Fidei opponitur; sed spei, & fiduciæ: at quod, etiam facit, illud *Matth.* 6. & 8. & illud *Iacob.* 1. *Postulet in Fide nihil hæsitans*, idest postulet fiducialiter.

4 Hanc Fidei acceptionem negāt, *Scotus*, & *Bellarm.* quibus magis adhæret *Suar. disp.* 1. *n.* 8. Quia *n.* 6. ait, esse magis pium, & melius ad confutandos hæreticos dicentes, Fidem, qua iustificamur, esse fiduciam. Fateor quidem, quod, secundùm *Tridentin. sess.* 6. *cap.* 8. *Can.* 9. 12. & 13. damnatur, qui dixerit solum Fidem iustificare. Fidem enim pro fundamento iustificationis ponit Concil. vnde fides re ipsa distinguitur à fiducia: nam ad *Timoth.* 3. *Qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquiret*, & fidu-

duciam in Fide: ergo fiducia distinguitur a Fide; quia fiducia est in voluntate, vt spei robur: iuxta illud, *Iob. 8. Spes hipocritæ peribit, sicut tela aranearũ fiducia eius*: est enim spes quasi robusta, & roborata, ex coniunctione ad Fidem; & pro tanto dicitur, fiducia. *Qualiter, ad Rom 4. Abraham in spem contra spem credidit.* Quia ex perfecta Fide erexit se in spem erectam, & robustam de filio promisso, contra spem, quam non promittebat natura. Quare dicitur: *Non est infirmatus diffidentia, & non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est Fide*: ergo illa erecta firma, & robusta spes erat fiducia, quia ipsa sola est cõtraria difidentiæ.

5 Vnde cum Sapientissimo *Lorca, disp. 1. sect. 1.* persisto in eo, quod Fides pro fiducia aliquando vsurpatur in Scriptura. Quia in nullo loco Scripturæ, vbi sermo est de Fide iustificante, Fides fiduciam significat. Illa autem Fides, cui in Scriptura tribuitur, operari miracula, ad *Corinth. 2. Si habuero omnem Fidem, ita vt montes transferam*; & *Matth. 17. Si habueritis tantam Fidem, sicut granum sinapis*, probabile est esse fiduciã: licet probabilius sit, esse credulitatem; quia de Fide, quæ in illis locis intelligitur, dicitur ad *Corinth. 13. Manent autem Fides, Spes, & Charitas*; vbi Fides distinguitur à spe, & consequenter à fiducia.

6 Tandem vox *Fides* significat actum intellectus, quo quis assentitur alicui propositioni, obiecto, seu veritati propter authoritatem dicentis. Quæ Fides alia est diuina, & altera humana: ista nititur testimonio, & authoritati humanæ: illa verò nititur testimonio, & authoritati diuinæ.

7 Quantum ad secundum dicimus, quod propria nostri opusculi materia est Fides, sumpta pro assensu intellectus fundato in authoritate diuina reuelãte. Verum notandum est, quod Fides Theologica, & diuina includit tria per se; scilicet obiectum, habitum, & actum: & hæc tria singillatim in Scriptura nomine Fidei solent appellari: nam de obiecto intelligitur illud ad *Galat. 1. Cũ veniisset Fides*; & *cap. 3. Exauditu Fidei*: & ad *Ephes. 4. Vnus Deus, vna Fides*; & *Apocal. 2. Non negasti Fidem meam*; & *in Symbolo Athan. Hæc est Fides Catholica.* De actu satis constat in Scriptura, *Matth. 4. ad Rom. 1.* De habitu verò est illud, *1. ad Corinth. 13. Nunc autem manent tria hæc Fides, &c.* & in isto sensu loquitur *Trident. sess. 6 cap. 7.*

8 Præter istas tres Fidei acceptiones sunt aliæ tres pertinẽtes ad Fidem supernaturalis ordinis. Prima est, quatenus Fides requiritur ad miracula, & sic dicitur Fides miraculorum. Secũda, vt ponitur inter gratias gra-

tisdatas. Tertia, vt ponitur inter Fructus Spiritus Sancti: & secundū istas aceptiones Fides poterat esse etiā materia nostri opusculi; sed à Theologis in præsenti solū disputatur de Fide, quatenus est habitus, & lumen simpliciter requisitum ad assensum Fidei, & ad credendum, vt oportet mysterijs à Deo reuelatis.

9 Quantu ad tertiū proœmij, præsens opusculum in duas diuidā partes. Prima est speculatiua, & methaphysica quæ finietur tribus disputationibus, prima est de obiecto Fidei Theologicæ. Secunda est de actu, & tertia de habitu Fidei Theologicæ, in quibus disputationibus per varia capita diuisis quibusdā interiectis sectionibus, more nostro solito, discutiemus omnia quæ à Theologis tractātur. Secunda pars erit moralis, quæ finietur vnica disputatione in varia capita disposita, & varijs sectionibus diuisa, & si aliquādo opportuerit sectiones in difficultates disecabimus. Diuino ergo fretus auxilio circa primam partem sequitur prima disputatio.

PRIMA PARS OPVSCVLI
METHAPHYSICA, ET SPECVLATIVA.

DISPVTATIO PRIMA.
De obiecto Fidei Theologicæ.

CAPVT I.

De obiecto materiali Diuinæ Fidei.

Sectio 1. *Quodnam sit Fidei Theologicæ primarium, & principale subiectum?*

1 HÆretici Recentiores, inter quos præcipuè Cheminitius, dixerunt, quod principale nostræ Fidei subiectum materiale erat promissio Dei de nostra iustificatione, & remissione peccatorū. Hæretici enim triplicē distingunt Fidem, vnam historicā, miraculorum alterā, & promissionum vltimam: & hanc subdiuidunt in duas, scilicet in generalem, quę est de vniuersalibus promissionibus, v. g. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*: & in specialē, qua vnusquisque iustus, vt formaliter sit talis, debet credere, sibi esse remissa peccata, & consequu-

quuturum esse gloriã infallibiliter, & hanc appellant Fidẽ iustificantem. Cæterum iste error damnatus est in *Trident. sess. 6. cap. 7. 8. & 9.* & latè impugnatur in tractatu de iustificatione; quoniam secundùm Apostolum, *ad Ephes. 4. Vna est nostra Fides, quia vnus Dominus*: & *2. ad Corinth. 4. Habentes eundem spiritum Fidei.* Vnde ad *Hebr. 11.* eidem Fidei, quam definiuit esse *argumentum non apparentium*; tribuit omnia illa munia, scilicet esse historicam, miraculorũ, & promissionum. Nam eadem *Fide*, qua *intelligimus aptata esse sæcula verbo* (quæ ad historiam pertinet) eadem *Abraham credidit Fidelem eum, qui repromiserat*, & eadem filij Israel transierunt Mare Rubrum: atque *Sancti, per* vnicam *Fidem* vicerunt regna, operati sunt iustitiã, adepti sunt repromissiones. Vnde ineptè hæretici distingunt Fides istas nam vnica est formaliter: licet materialiter diuersificetur, vt sequentibus sectionibus patebit.

2 Hoc errore explosò; accedit *Durãdus qui in prologo q. 5.* dixit, obiectum materiale primarium, siue attributionis subiectum primum nostræ Fidei, esse actum meritorium. Cæterum istud Durandi dictum est improbabile, & ipse illud retractauit *in 3. dist. 24. q. 1. num. 7.*

3 Quapropter, prima in hac sectione sententia tenet, quod obiectum primarium, seu principale subiectum materiale attributionis nostræ Fidei, est, non solus Deus, vt sic, sed Deus vt Homo, vel vt Glorificator, Redemptor, &c. hoc est Christus D. Fundamenta omnium istorũ posteà contra nos proponemus.

4 A nobis igitur tenendum est, quod solus Deus, vt sic, præcisè sub sola Deitatis ratione est primarium attributionis materiale obiectum, seu subiectum primarium Fidei Theologicæ. Ita noster *Scot. in prolog. quæst. 3. quæstiũc. 2. §. Ex dictis patet, versic. 3. Persuasio, & in 3. dist. 23. q. vni. §. Ad quæst. vers. Sed nemo potest perfectè assentiri.* Quẽ sequuntur discipuli omnes. *Pytig. disput. 24. quæst. 1. art. 3. concluf. 1. Pitef. disp. 1. art. 2. Smysing. in proœmio, q. 2. n. 41. Fauer. disp. 14. prolog.* vbi *Soffa, quæst. 3. artic. 4. Castillo, disp. 1. q. 3. part. 1. n. 9.* docet Angelicus Præceptor *2. 2. quæst. 1. art. 1. & 1. part. q. 1. art. 7. & in disputa. q. 14. artic. 8. & in 3. dist. 24. art. 1.* Quem sequitur communis omnium sententia, apud *Suarez disp. 2. sect. 1. & Vazquez 1. part. disp. 10. cap. 3.* docuitque noster *Alens. 3. part. q. 68. memb. 7. art. vltimo.*

5 Ratio à priori nostræ sententiæ ea est. Quoniam illud est subiectum principale, & primarium alicuius habitus, ad quod reliqua, quæ aliquomodo terminant habitum, referuntur, &

ordinantur, sed omnia quæ terminant habitum Fidei diuinæ supernaturalis ordinãtur, referuntur ad Deum, & creduntur de Deo, vt sic precisè, & non de alio vltimatè : igitur. Primò enim credimus in Deum, & postea omnia alia credibilia credimus de Deo: igitur Deus, sub ratione Deitatis præcisè est principale subiectum nostræ Fidei, & obiectum materiale eius primarium.

6 Confirmatur *ab Scot.* in prolog. citat. Quia Fides est vna ex partibus Theologiæ principalis, sed Theologia habet pro obiecto, & subiecto materiali primario, quod dicitur attributionis, ipsum Deum vt sic: ergo etiam Fides. Confirmatur secundo. Quia in patria loco Fidei correspondet visio beata, sed hæc respicit Deum, vt sic pro primario obiecto materiali: ergo etiã Fides. Confirmatur tertio. Quia Fides Theologica simpliciter appellatur *Fides Dei, Marc.* 11. non alia ratione, nisi, quia omnia, quæ Fides tangit de Deo creduntur. Quæ est doctrina Paul. ad *Hebræos* 11. dicentis: *Accedentẽ ad Deum opportet credere quia est:* & *Ioannis* 14. *Creditis in Deum, & in me credite;* & *cap.* 13. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te:* quasi Deus sit primum subiectum nostræ Fidei, ad quod reliqua eiusdẽ Fidei obiecta referuntur, credendo omnia illa de Deo.

7 Sed obijcere possunt hæretici pro suo errore contra nos. Quod in *Trident. Sess. 6. cap. 6.* dicitur: ad iustificationem esse necessariam, credere in primis: Deum per gratiam suam remittere peccata propter Christum: igitur obiectum principale, & primo credendum est promissio diuina de nostra iustitia, & remissione peccatorum. Respondeo primo, quod Concilium nõ habet illa verba, vt referuntur à *Suario, sect.* 1. *n.* 4. ex quo transtulit *Castillo in suo n.* 5. Secundo respondeo, quòd Concilium, primò ponit Deum credẽdum, & cætera, vt credenda de Deo. Omnis enim Fides, siuè historiæ, siuè miraculorum, siuè promissionum, aut mysteriorũ refert ad Deum vt sic, quatenus de eo omnia creduntur. Dicit enim *Concilium. Accedentem ad Deũ opportet credere, quia est, &c.*

8 Pro Durando, obijcies. Omnia quæ tradduntur in Sacra Scriptura, ordinantur ad nostrũ meritum gratiæ, & gloriæ, consequendum pro ista vita : ergo actus meritorius est primarium subiectum nostræ Fidei. Respõdeo, quod meritum gratiæ, & gloriæ ordinatur ad Deum Præmiatorem, Redemptorem, & Glorificatorem: & tandem ipsę rationes Redemptoris, Præmiatoris, & Glorificatoris creduntur de Deo, vt sic, sub præcisa ratione Deitatis : & ita

Deus

Deus solus vt sic est primarium subiectum.

9 Sed pro prima opinione obijciunt *Greg. in prolog. q.* 4. vbi *Ægidius, Argentina, Marsil.* & alij apud *Valentiam, tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 1. inter quos numeratur *Caluinus.* Obiectum primarium, seu subiectum principale Fidei est illud, cuius Fides est necessaria necessitate medij, sed Fides Christi D. est necessaria, sicut Fides Dei, necessitate medij: ergo. Et confirmatur: quia omnia credibilia ordinantur ad Christum, & de illo creduntur, sicut de Deo: ergo. Respondeo negãdo maiorem: licet enim necessitas medij increbilitate consequatur ad obiectum principale Fidei: tamen exinde non arguitur, aliquod credibile esse obiectum primarium, & vltimũ Fidei: nã omnia credibilia, quæ creduntur de Christo, vltimatè creduntur de Deo, vt sic: per quod patet ad cõfirmationem.

10 Obijcies secundo; quod *Ioann.* 14. ex æquo exigitur Fides Dei, & Christi, illis verbis: *Creditis in Deum, & in me credite.* Et confirmatur: quia sicut Fides Catholica dicitur Fides Dei, ita, & frequẽtius, dicitur Fides Christi: ergo Deus homo, scilicet Christus, est principale subiectũ nostræ Fidei, & non solum Deus vt sic. Respõdeo, quòd *Ioann.* 14. confirmat nostram sententiam: quia primo exigit Fidem Dei, dicendo: *Creditis in Deum*; & secundo Fidem Christi, dicendo: *& in me credite*; quasi Fides Christi reducatur ad Fidem Dei. Ad confirmationẽ respondeo: frequentiùs dici Fides Christi, non quia Fides Christi, seu Christus sit primarium subiectum Fidei, sed quia comprehendit duo obiecta principalia, & necessariò credenda ad salutem; inter quæ est ordo, quod Deus est principale primum, & primarium, & homo inter secundaria immediatius primario.

11 Sed obijcies: Fide diuina creduntur aliqua de peccatis, sed peccata non creduntur de Deo: ergo Deus non est obiectum nostræ Fidei primarium. Respondeo negãdo consequentiã: nam quæ creduntur de peccatis, creduntur de Deo, etiam si peccata minimè de eo credantur.

Sectio 2. *Quodnam sit obiectũ materiale adæquatum immediatum, seu directum Fidei?*

12 P*Aludanus in* 3. *dist.* 24. *q.* 1. *concl.* 2. docuit nullam esse propositionem creditam per Fidem diuinam, cuius subiectũ sit creatura; vnde secundum ipsum nullum creatum, est obiectum directum, & immediatum Fidei; sed solus Deus est adæquatum obiectum materiale Fidei, quod directè terminat Fidem diuinam. Cæterum omnes Au-

thores improbabilē censent Paludani opinionem, & *Suar. disput. 2. sect. 2. num. 1.* Fidei aduersam dicit esse. Quare, vt ab omnibus certum supponendum est, quod non solū Deus, sed etiam res creatæ sunt, & possunt esse obiectum materiale nostræ Fidei; quoniam istę propositiones: *Abraham genuit Isaac: Beata Virgo perpetuò fuit virgo*; & similes quæ continentur in Scriptura, sunt credendæ Fide infusa, & tamen subiecta sunt creata: ergo.

13 Ad dubium ergo dico; quòd obiectum materiale, adæquatum Fidei diuinæ, seu immediatum, aut quod directè, & immediatè tangitur, & creditur Fide supernaturali nō est solus Deus, sed est ens reuelabile, seu reuelatum à Deo. Ita noster *Scot. in 3. d. dist. 23. q. vnic. §. Secund. & §. Aliter.* Sequuntur eius discipuli. Tenet *D. Thom. 2. 2. art. 1. & q. 14. in disput. art. 8.* & sequuntur ipsius discipuli: estquè cōmunis sententia Doctorum, & *Abulens. in cap. 22. Matthæi.*

14 Probaturque ratione à priori. Quia illud est obiectum materiale adæquatum alicuius habitus, quod potest informari à formali ratione obiectiua obiecti formalis eiusdē habitus, sed quodlibet reuelabile à Deo potest, informari à ratione formali obiectiua obiecti formalis Fidei diuinæ: ergo quodlibet reuelabile comprehēditur sub obiecto materiali adæquato nostræ Fidei: cum autem obiecta creata reuelentur à Deo, sequitur, non solùm Deum, sed etiam res creatas intrare obiectū adæquatum nostræ Fidei.

15 Sed contra dices. Reuelabilia sunt infinita, sed Fides nō potest versari circa infinita: ergo ens reuelabile non est obiectum, quod immediatè, & adæquatè creditur Fide diuina; & confirmatur: quia habitus debet conuerti, & cōmensurari cū obiecto, sed Fides non potest conuerti, & commensurari cum omni reuelabili; quia solū credimus quæ reuelata sunt, non verò quæ possunt reuelari: ergo. Respondeo cum nostro *Scot. distinct. 23.* quod licèt reuelabilia sint infinita, sufficit habitus Fidei finitus cathegorematicè, & sincathegorematicè infinitus; nam per ipsum intellectus redditur potens, vt omnibus reuelabilibus credat, quando actu fuerint reuelata: & sic Fides, & obiectum eius, conuertuntur, & mensurantur: nam si essent infinitæ vlnæ discretæ, vnica esset sufficiens vlna, vt omnes mensurarentur illa.

16 Obijcies secundo. Omnia reuelabilia non sunt æquè credibilia: ergo non continentur sub obiecto adæquato, & directo Fidei: antecedens probatur: quia omnia reuelabilia non

sunt

sunt æquè vera: ergo neq; æquè credibilia: antecedens probatur: quia diuina veriora sunt creatis, quoniam magis necessaria, & creata sunt contingentia. Respõdeo negando antecedens primum: ad probationem distinguo antecedens; secundùm esse rei permitto antecedens, secundùm esse credibiliũ, nego antecedens. Qui enim negaret Beatam Virginem esse Matrem Dei, aut esse immunem ab omni veniali culpa, non minus foret infidelis, & amitteret totam Fidem, quam qui negaret Deum esse Vnum, & Trinum: nam respectu testimonij diuini, & authoritatis ipsius indicendo, quilibet Fidei articulus est æquè verus, & certus in ratione credibilis.

17 Sed obijcies: Habitus charitatis præstantior est habitu Fidei, sed Deus, & creatura non æquè comprehenduntur sub obiecto adæquato charitatis: ergo neque respectu habitus Fidei. Respondeo negando consequẽtiam. Discrimen est, quod motivum formale charitatis, non æquè participatur à creatura: nam ratio obiecti formalis, nẽpè bonitas diuina, est intrinsecè in ipso Deo, & extrinsecè in creatura: at verò motivum formale Fidei æquè informat omnia obiecta materialia, scilicet, extrinsecè: & sic Fides adæquatè, & directè coprehendit creata, & increata revelabilia sub obiecto adæquato eius.

18 Sed contra. Quia motivum formale Fidei est authoritas Dei indicendo, sed talis authoritas Dei non est extrinseca Deo, sed intrinseca: ergo. Hoc argumentum est valdè efficax contra illos, qui decretum Dei constituunt in actu necessariò, & intrinseco diuinæ voluntatis; nam consequenter tenentur, dicere idem de authoritate, & testimonio diuino. Contra nos autem, qui dicimus, formaliter consistere intendentia, vel in alio extrinseco non habet vim: nam consequenter (ad ea quæ diximus tractatu de voluntate, & in quæstionibus quodlibetalibus) dicimus testimonium Dei, sine authoritatem indicendo, consistere in aliquo extrinseco Dei.

19 Sed contra. Quia authoritas diuina, & diuinum testimonium creditur ratione sui, & per se Fide diuina, sed reliqua revelabilia creduntur non per se, sed ratione diuini testimonij: ergo diuina authoritas, & testimonium Dei erit obiectum adæquatum materiale, non verò alia. Hæc obiectio maximam habet difficultatem, & vrgetur amplius: nam authoritas Dei, & testimonium diuinum est credibile immediatè, reliqua verò sunt cre-

credibilia mediatè, quatenus creditur testimonium Dei: ergo. Respondebis, quòd authoritas, & diuinum testimonium creditur, vt *quo*, non verò, vt *quod*. Sed contra; quia diuinum testimonium est obiectum etiam materiale: ergo nō solum creditur, vt *quo*, sed etiam vt *quod*. Respondebis secundo; quòd diuinū testimoniū creditur, vt *quod*, nō immediatè, sed quatenus est reflexivum sui; nam diuinum testimonium, est ratio credendi se, & etiam obiectum creditum, seu credibile aut credendum, quatenus est ratio credendi se, creditur, vt *quo*, & quatenus est obiectum credibile, creditū, aut credendū creditur, vt *quod*. Sed contra; quia qua ratione est ratio credendi se, nihil aliud est, quam authoritas Dei, sed qua ratione est authoritas Dei, etiam creditur, vt *quod*: ergo ea ratione qua creditur, vt *quo*, creditur, vt *quod*, sed qua ratione creditur, vt *quo*, creditur ratione sui, & immediatè: ergo etiam creditur vt *quod* ratione sui, & immediatè, sed reliqua creduntur mediatè ratione diuini testimonij: ergo diuinum testimonium erit obiectum materiale adæquatū Fidei, non verò reliqui articuli Fidei.

20 Pro solutione huius argumenti, & pro maiori intelligentia nostræ difficultatis, notandū veni-, quod obiecta materialia Fidei habent in se aliquem ordinem, vel prioris, vel posterioris, vel ad aliquam rationem formalem, in qua habent vnitatē, vt exinde concipiamus vnitatem per se in obiecto Fidei, & cōsequenter, in habitu Fidei diuinæ. Hic autem ordo potest multipliciter cōsiderari. Primo in esse rei, & hoc modo certissimum est, vt docet *Scot. in 3. distinct. 23.* quòd diuina sunt priora creatis, & necessaria contingentibus, & æterna temporalibus. Secundo, secundùm existentiā, dignitatem, habitudinem vnius ad aliud, vel secundùm maiorē, vel minorem proportionē, aut connaturalitatem ad ipsam Fidem, aut secundùm ordinē dependentiæ vnius ab alio per ordinem ad Fidem. Et isto, vel istis modis primo est certum, quod quæ sunt priora in existēdo, sunt etiam priora per ordinem ad Fidē, & similiter quæ sunt digniora: verum inter articulos, & propositiones Fidei, quædam sunt; in quibus diuina prædicantur de diuinis, & istę obtinēt primū locū; alię sunt, in quibus creata dicūtur de increatis, vt Deus est Homo, vel Mortuus, Glorificator, Creator, &c. & istæ obtinent secundū locū, ad quē redduci possunt illæ, in quibus de creato aliquid increatū prędicatur, vt anima rationalis est immortalis, & istę obtinent vltimum gradū, quāuis inter ipsas propositiones pos-

posit assignari inæqualitas. Omnia autem ista sunt inter se ordinata per ordinem ad Fidem habitudine vnius obiecti ad aliud, vt in prima sectione ostensum est; quia omnia creduntur de Deo, tanquàm de subiecto principali, & primario Fidei: vnde fit, vt ipsamet Fides maiorem propensionem habeat ad veritates diuinas, quam ad reliquas, quia illi sunt magis connaturales, pro quãto virtus magis propensa est in nobiliora, & perfectiora.

21 Difficultas stat, vt explicemus; an ista obiecta, in esse credibilium, habeant ordinem dependentiæ; ita quod sit vnum primum credibile, à quo in esse credibili cætera pendent? Pro negante parte citantur *Caiet. Altisiodor. Maior.* & alij *in 3. dist. 23.* citantur etiam *Gabriel*, & *Capreolus eadem dist. 23.*

22 Verum cum *Scot. in 3. distinct. 25. q. 2. in fine*; dicendum est, quod inter obiecta materialia Fidei est ordo dependentiæ in esse credibilium; & quod sit vnum primum credibile, a quo reliqua in esse talia, dependeant. Expressiùs id habet *Scot in 3. distinct. 23. quæst. vnica. §. Secundo de Fide infusa; vers. Nam sicut*; & *vers. Et hoc modo.* & *vers. Si enim*; & *vers. Ita hic.* vbi dicit Scotus: *Nam credibilibus reuelatis à Deo assentio, quia assentio veracitati Dei, & ideo vna Fides potest esse de omnibus credibilibus, quamuis sint diuersæ rationis, quia in omnibus est vna ratio credendi*; cui primò assentio, & quam primò credimus. Vnde fallitur *Suar. disp. 2. sect. 3. n. 4.* existimans Scotũ tenere oppositum cum Authoribus primæ opinionis: citatque *Scotum in 3. dist. 23. q. 2.* in quo fallitur, quia in *dist. 23.* non est *q. 2.* sed vnica. Hanc nostrã sententiam sequuntur *Vazquez 1. part. disp. 5. cap. 3. Suarez* citatus in suo *num. 5. Durand. Paludan. Marsil. Almain.* & *tenet D. Thom. 2 2. art. 1. quæst. 1.*

23 Ratio à priori sumitur ex *Scot. in 3. dist. 23.* citato. Quia credibilibus reuelatis à Deo assentimus, quia assentimus veracitati Dei, & illam credimus: ergo in esse credibiliũ omnia dependent ab vno primo credibili; scilicet, ab eo quod credã, Deũ dicere, seu ab eo quod credã testimonium diuinum, & primam veritatem indicendo. Respondent aliqui, quod licet Fides infusa supponat illa duo principia, scilicet *Deus non potest fallere, nec falli*, & *Deus dicit hoc*, tamen nõ supponuntur cognita per Fidẽ, sed aliunde. Primum scilicet ex naturali euidentia, quia lumine naturali est euidens, Deum non posse fallere, nec falli: secundũ, per testimonium humanum Ecclesiæ, scilicet per prædicationẽ Apostolorum, aut propter miracula, quæ faciebant: & sic non

est

est primum credibile, inquiunt, à quo reliqua credibilia, in esse talium, dependeant.

24. Sed contra est. Quia cognitio Fidei est certior infallibiliter, quauis cognitione naturali: ergo non potest niti per se, vt Fides supernaturalis est, & infusa, in illis principijs, *Deus non potest fallere, nec falli, & Deus dixit hoc*, vt cognitis cognitione naturali, sed vt cognitis cognitione supernaturali infallibiliter certiori præcunctis alijs naturalibus cognitionibus, sed ista cogni tio est Fides diuina: ergo. Ita enim certò credo Fide diuina, Deum dicere, se esse Trinũ, & Vnum, sicut credo, Deum esse Trinum, & Vnum; & similiter Deum esse primam veritatem, quæ fallere non potest, Fide diuina credo assensu certiori, quam sit cognitio naturalis, quã habemus de tali veritate: quoniam non desunt Theologi, qui dubitent de illa stando in naturalibus, non verò stando in cognitione supernaturali: ergo ista principia debent supponi cognita, & credita cognitione, & assensu supernaturali, sed in hac vita ordinariè loquendo, non est alius modus cognoscendi, & assentiendi supernaturaliter, nisi per fidem: ergo authoritas Dei, seu testimonium eius, aut prima veritas in dicendo est primum in esse credibilis, à quo cætera in tali esse dependent.

25. Respondent alij: quod illa duo principia Fidei (*Deus non potest fallere nec falli, & Deus dixit*) includuntur in omni credibili, quatenus tale est, non tamen supponi necessariò tanquam credita vt *quod*, sed solùm, vt *quo*, & vt ratio credendi; verbi gratia, qui credit Deum esse Trinum, & Vnum, *quia ipse dixit*, non attendit ad veritatem, seu testimonium Dei, vt illud credat, sed vt per illud credat, Deum esse Trinum, & Vnum: nam simplices, imo docti, in actu credendi ex parte obiecti, non discernunt plura credibilia, sed tantum Vnum, scilicet Deum esse Trinum, & Vnum, non verò Deum dicere.

26. Verum hæc responsio iam impugnata manet: iterumque infirmatur: nam credi vt *quo*, est verè assentiri, & cognosci, ita vt intellectus assentiatur, ita esse motivum credendi, vel non? si illud dicas: ergo etiam creditur vt *quod*, & cognoscitur actu supernaturali, vt *quod*, quod sit ratio formalis obiectiua credendi: si dicatur secundum falsissimum est: quia si non credo, & assentior testimonio diuino, neque ipsum poterit esse obiectum formale *quo*: ergo illa principia terminant etiam vt *quod* actum, & assensum Fidei.

Sed

27 Sed pro oppoſita ſententia obijcitur. Quia ſi daretur inter obiecta materialia, in eſſe credibilium, ordo dependentiæ, & vnum primum credibile, ſequeretur, quod Fides indigeret diſcurſu increndo conſequens eſt falſum: ergo, & illud vnde ſequitur. Patet; quia diſcurſus eſt aſſenſus vnius propter aſſenſum alterius, ſed ſi eſſet vnū primum credibile, aſſentiremus alijs credibilibus, quia aſſentimur illi: ergo. Reſpondeo, quod (abſtrahendo à quæſtione: vtrum Fides ſit diſcurſiua, vel non de quo in diſp. 2. cap. 3. ſect. 1.) ſequela eſt falſa: nam licèt Fide aſſentiamus alicui obiecto reuelato, quia credimus Deum teſtificari, non tamen aſſentimur ex vi diſcurſus, & ratione connexionis eſſentialis, extremorum cum medio; ſed ſimpliciter ratione applicationis motiui abſque neceſsitate illationis, vel conſequentiæ, vt patet in ſimplicibus fidelibus.

28 Secundo obijcitur. Diuinum teſtimonium, aut diuina authoritas ſine ordine reſpicit obiecta credibilia: ergo in ratione credibilium nullum habent inter ſe ordinem, aut dependentiam: Patet antecedens; quia Deus liberè reuelat: ergo in eius voluntate ſtat, reuelare primo hanc propoſitionem, quam illam credendam per Fidem: ergo ſolum per ordinem ad liberam voluntatē Dei eſt primū credibile, no verò ex neceſsitate Fidei diuinę. Reſpōdeo diſtinguēdo antecedens, ſine ordine reſpicit obiecta credibilia, in eſſe rei, & conſiderata ſecūdum purum eſſe materiale, concedo; conſiderando ea in eſſe credibilium, nego: quambis enim liberum ſit Deo, reuelare hoc prius, quā aliud, tamē ſuppoſito, quod Deus vult, reuelare quodcūque obiectum materiale, vt credatur; neceſſariū eſt ex neceſsitate Fidei, quod ſeipſum, vel ipſius authoritatem, vt reuelantem ſupponat Fide credendam, & dignam Fide proponat.

29 Arguitur tertio. Inter propoſitiones, quæ continent formalem rationem credendi, verbi gratia, *Deus dixit hoc: Deus non poteſt fallere, nec falli*, & propoſitiones creditas, verbi gratia, *Deus eſt mortuus, &c.* nullus eſt ordo dependentiæ in eſſe credibilium; quia licet vnæ ſequantur ex alijs, ſcilicet ſecundæ exprimis, tamen iſta conſequentia, & conſequutio, non eſt neceſſaria ad credendum: nam ſimplices fideles credunt ſecundas propoſitiones ignorantes ſequelam, aut conſequutionem earum ex alijs: igitur in eſſe credibilium, non eſt ordo dependentiæ iſtarum ab illis, ſed ſolum poteſt eſſe or-

ordo dependentiæ inter obiecta materialia credibilia, seu propositiones creditas, & ratione formalem credendi, vt est obiectum quo credimus, non verò, vt est obiectum creditum. Respondeo: quod licèt inter obiecta purè materialia non sit talis ordo, negari tamen non potest, quod inter ista obiecta, & obiectum formale, non sit ordo, adhuc cognitus complexè, & creditus vt quod: vt cōstat ex n. 29. & 26.

30 Obijcies *Scotū in 3. dist. 25. q. 2.* in fine: Vbi ait *in §. Adsecundum. Quod fides infusa non habet vnitatē ex obiecto primo, quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem omnium credibiliū.* Ista verba, nisi fallor, deceperunt Suarium; vt pro contraria opinione referret Scotum; sed respondeo; quod Scotus. ibi, solùm vult, quod Deus. vt obiectū cognitum per Fidem non mouet ad credendum reliqua credibilia: non tamen negat, quod obiectū formale Fidei, sit primū in esse credibilis, & primum respectu cæterorum, non solùm, *vt quo*, sed etiam; *vt quod*. Sed contra, quia absolutè dicit *Scot.* citatus in vltimis verbis, quod Fides *non habet vnitatem ex aliquo, vt obiecto*. Respondeo hoc verum esse loquendo de Deo, vt sic præcisè, non verò de motiuo formali credendi.

31 Ex inde patet solutio ad argumentum, n. 19. propositū: videlicet, quod quamuis verum sit, quod diuinum testimonium credatur ratione sui, reliqua verò obiecta materialia ratione diuini testimonij: tamen necessarium non est; quod ad credendum eis, semper credatur actu, & formaliter diuinum testimonium; sufficit enim, quod alias creditum supponatur. Vndè fit, quod, & si reliqua obiecta materialia credantur ratione diuini testimonij, ipsa etiam credūtur immediatè, & sic intrant, & complent obiectum adæquatū materiale Fidei. Vide *Scotum dist. 23. §. Aliter potest poni. V. Et iste modus ponendi*; ante finem.

32 Quæres: inter istas propositiones: *Deus est: Deus non potest fallere, nec falli*: & *Deus dixit hoc*, est aliquis ordo? Respōdeo, quod in esse rei ordinantur sicut sunt positæ: in esse autē credibilis, ita se adinuicem includunt, vel quasi vna ab altera dependeat; vt non videantur, inter se habere ordinem prioris, vel posterioris.

Sectio 3. *Quotuplex sit obiectum materiale Fidei diuinæ?*

33 SVppono quod obiectum, quod Fides diuina credit, est aliquid complexum, complexione, se tenente, nō ex parte ipsius obiecti, sed ex parte nostri intellectus: nam obiectum po-

potest esse simplicissimum, & nullam in se admittens complexionem, tamen per ordinem ad assensum Fidei cõplexũ est, quia est complexus Fidei assensus.

34 Hoc suppositio; huius tẽporis hæretici triplicem Fidem distingunt per ordinem ad triplex tantum obiectum. Primam vocant historicam, qua credimus res historiales. Secundã appellant miraculorum, qua creduntur miracula. Tertiam promissionum, qua creduntur promissiones, & quod remittuntur peccata: & per hanc, dicunt hæretici, quòd homines iustificantur.

35 Cæterum quamuis materia Fidei comprehendat historias, mīracula, & promissiones; tamen per ordinem ad ista tria obiecta, distinguere triplicem Fidem est error in ipsa Fide. Nã *Divus Paulus ad Ephes.* 4. docet; *quod vnus Dominus, & vna Fides:* & ad *Hebræos* 11. eidem Fidei quam definierat esse *argumentũ non apparentium*, tribuit versari circa historias, miracula, promissiones, & cætera: nam dicit: *Fide vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Alius autem error de iustificatione formali per Fidem impugnatur tractatu de gratia.

36 Breuissimè igitur ad nostram sectionem respondendum est; quòd obiectũ materiale Fidei est multiplex: complectitur enim, non solùm veritates necessarias: v.g. *quòd Deus est*, & similes, sed etiam veritates contingentes, & hoc, siue de futuro: v.g. *Antichristus erit, &c.* siue de præterito: v.g. *diluvium vniversale fuit, &c.* Complectitur etiã veritates supernaturales, & multas naturales, quæ lumine naturali possunt cognosci: in hoc nõ est immorandum, quia nulli dubium, & ab omnibus supponitur certum, ex scripturis.

37 Difficultas in præsenti est. Vtrùm materia Fidei conuenienter in Symbolo Fidei tradatur, seu vtrũ fidei Symbolum materiam Fidei conuenienter comprehẽdat? Circa quod suppono, grauiter errasse aliquos, dubitantes hoc Symbolum esse Apostolorum, quia quod Apostolicum sit, est communis totius Ecclesiæ traditio firmata dictis Sanctorũ Patrũ, *Clementis, Aug. Hieronym. Ambros. Chrisost. Leonis*: videaturque *Baronius tom.* 1. *anno* 44. vbi tradit fuisse cõpositum anno decimo à Passione Christ. D. quando Apostoli per vniuersum mundum diuidi, & separari voluerunt: tum, vt omnes eandem Fidei normã regulam, & signum haberent, & populis traderent: tum, vt facilè quotidiè fideles possint Fidei professionem repetere; tum, vt fideles possint à falsis prædicatoribus intendentibus Fidem destruere, tueri.

Et

38 Et si obijcias Epistola ab vno Apostolo scripta est canonica, sed Symbolum non est scriptura canonica: igitur non est ab Apostolis compositum. Respõdeo negando consequentiam; primo, quia licet sit certum, quòd sit ab Apostolis compositum, tamen non est simpliciter de fide, nec ab Ecclesia definitum. Secundo, quia ad scripturam canonicã requiritur, quòd non solum secundùm veritatem sententiarum, sed etiam secundùm singula verba tradatur regente, gubernante, & dictante Spiritu Sancto. Tertio, quia Apostoli nõ scripserunt Symbolum, sed sine scriptura tradiderunt, & docuerunt, vt docet *Aug. Serm.* 119. *de tempore*. Dices: ergo ad credendum sufficit Apostolorũ traditio. Respondeo affirmatiuè contra hæreticos, qui solis scripturis canonicis credunt.

39 Præter Symbolum Apostolorum, est aliud, quòd dicitur Nizenũ, quia in eo fuit inchoatum, vel Constantinopolitanũ, quia in eo fuit auctum, & magis declaratum, vel Ephesinum, quia in Concilio Ephesino primo fuit approbatum: illa autem additio: *Filioque*, non constat in quo Concilio (*ait Suarez sect. 5. disput. 2. n. 5.*) vel à quo Pontifice sit addita: sed existimo fuisse additam, & confirmatam à Cõcilio Lugdunensi; vbi Præsidente Diuo Bonauentura in eam veritatem venire fecit Græcos. Est etiam aliud Symbolum, quod dicitur Diui Athanasij, quæ omnia Symbola eandem Fidei materiam, quantum ad substantiã, cõtinent, sicut etiam continent alias Fidei propositiones, quæ inueniuntur in varijs Concilijs.

40 Hoc notato, ad difficultatem dico, quòd materia Fidei sufficienter continetur in Symbolo. Probatur primo ratione. Quia in Symbolo continentur omnia, quæ ad Fidei substantiã pertinent: ergo. Antecedẽs probatur, quia ibi ponitur Deus, qui est Beatitudinis, quam speramus obiectum: Mysterium Trinitatis: Ponitur etiam Christus, & Incarnationis Mysterium, quod est via per quam tendimus ad Patriam: Ponitur Ecclesia præsens visibilis militans, intra quã solam salus sperari potest: Item ponitur resurrectio, vita æterna bonis, & pœna æterna malis præparata, & iudicium finale futurum: ergo sufficientissimè Symbolum cõplectitur materiam Fidei Catholicæ. Secundo probatur ex *August. serm.* 181. *de tempore*, vbi ait: Symbolum breue est verbis, sed magnũ in Sacramẽtis; quidquid enim de Deo & Christo in scripturis traditum est, in Symbolo continetur: ergo, &c. Tandem probatur ex communi Patrum, & Scholasticorum consensu.

41 Obijcies: in Symbolo Apo-

Apostolorũ ponitur descẽsio ad inferos, & Sanctorũ cõmunio, quæ non ponũtur in Nizeno, & in Nizeno ponitur processio Spiritus Sancti à Patre, quæ non ponitur in Symbolo Apostolorũ: immo in Nizeno additũ est processio Spiritus Sancti à Filio, quæ prius fuerat omissa: ergo Symbolũ Apostolorũ nõ complectitur sufficienter materiam fidei, & confirmatur: quia ex D. Paulo, primũ omniũ opportet credere Deũ esse, & remuneratorẽ esse, sed neutrũ istorũ ponitur in Symbolo: ergo &c. Confirmatur 2. quia in Symbolo nõ continetur Eucharistia, quę est vnũ ex principalioribus nostræ fidei mysterijs. Confirmatur tertio, quia in Symbolo Apostolorum dicitur credo in Sanctã Ecclesiã, cum tamen debeat dicere credo Sanctã Ecclesiam.

42 Respõdo cũ nostro *Alens.* 3. p. q. 69. quod Symbolũ Apostolorũ cõplectitur sufficientissimè omnẽ materiam fidei necessariam ad instructionẽ fideliũ, & salutẽ consequendã. Nizenum verò cõtinet alia, non quatenus sint necessariò ad salutẽ explicatius credere, ac creditur in Symbolo Apostolorũ, sed ad maiorẽ explicationẽ, & confutationẽ hæresum: & eodẽ modo dicendũ est de Symbolo Athanasij. Ad primã confirmationem respondeo negando minorẽ, quia cõtinentur in primo articulo, & in articulo de futuro iudicio. Ad secundã confirmãtionẽ respondet *S. Thom.* 2. 2. q. 1. art. 8. ad 6. Quod mysteriũ Eucharistiæ cõtinetur sub articulo de omnipotentia Dei, & in articulo de Incarnatione Verbi: Hoc nõ placet *Cardin. de Lug. disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 64. *& de Eucharistia, disp.* 5. sed minus placet quod ipse dicit: potest etiã dici, quod cõtinetur in articulo de passione, & videtur posse intelligi in articulo de cõmunione Sanctorũ. Si enim secundũ Eminentissimũ *Cardinalem de Lugo disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 63. *ly quod remunerator si* cõtinetur in articulo omnipotẽtiæ; cur nõ cõcederet idẽ de Eucharistiæ mysterio, quod maximè omnipotentiã exaltat, nec tã facile Diui Thom. doctrina deseratur. Etiã *Eminentiss. de Lugo dicit*; quod *ly remunerator est*; cõtinetur in illis verbis, *vitã æternã*: verũ omnino non placet, quia in Symbolo Apostolorũ prius est illud, *inde venturus est iudicare viuos, & mortuos*, in quo expressius videtur contineri, quod *remunerator est*. Quod autẽ *Suarez* respondet in suo *n.* 9 in fine, videtur non cõstare cũ doctrina ab ipso numeris antecedentibus tradita.

43 Exquires. Omnis propositio fidei est articulus fidei? Respõdeo, quod licet omnis articulus fidei sit propositio de fide, non tamen è contra. Ita *Alens.* citatus *Scot. dist.* 25. *q.* 1. *§. Sed posito, V. Sed habito*, vsque *ad §. Sed hic.* vbi alij antiqui Scholasti-

stici. Addit ergo articulus supra propositionē de fide specialē difficultatem, vel quantum ad sui explicitam credibilitatē, necessariā, vel in esse rei. Sed hæc quæstio mihi videtur de nomine. Alij dicūt articulū addere supra propositionē, esse cōpositū ab aliquo Apostolo: vnde iuxta hoc, sicut fuerunt duodecim Apostoli, duodecim erūt articuli fidei: si verò attēdamus ad primam opinionē, quatuordecim erūt articuli. Sed iuxta dicta, videtur posse dici, quod licet quatuordecim sint articuli fidei expliciti: impliciti tamē, tot sunt, quot propositiones fidei.

Sect. 4. *Vtrùm materiale obeictum fidei successu temporis creuerit, vel interdum minutum fuerit?*

44 SVppono primo; dubium procedere de obiecto materiali per se fidei, quod reducitur, & totū cōprehenditur sub cognitione Dei, vt Deus est, & Christi, vt Redemptor est, iuxta illud *Ioann. 14. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solū Deū, & quē misisti Iesum Christū.* Vnde sensus difficultatis est: vtrū cognitio Dei, & Christi fuerit maior, vel minor pro diuersis Ecclesiæ temporibus.

45 Suppono secundo, quod credēdi est duplex modus: vnus implicitus, secundū quē dicitur aliquis, credere aliquod obiectū in alio, in quo continetur. Alius est explicitus, secundū quē aliquis credit aliquid in seipso, vt in obiecto, circa quod immediatè versatur assensus fidei. Sed inter istos modos est differentia in modo variationis: nā modus credendi explicitè solū variatur secūdū magis, & minus, quatenus de eodē mysterio fidei potest formari perfectior, vel minus perfectus cōceptus; ita quod ista diuersitas, secundū magis, & minus, non est in ipso assensu fidei, sed in apprehēsione obiecti credibilis. Modus verò credendi implicitè, non variatur secundū magis, & minus præcisè, sed secundū diuersa principia, in quibus fundari potest. Nā qui credit Deū esse, quia Deus reuelauit, taliter quod habeat animum paratum credendi omnia reuelata, habet vnū modum credendi implicitè; & qui credit per relationē ad Ecclesiā explicitè credentē, habet aliū modū, vt contingit in simplicibus hominibus: & qui credit alicui propositioni, in qua alia continetur, vt conclusio in principio, vel medio, habet aliū modū credendi implicitè, v.g. qui credit Christū esse hominē, implicite credit esse risibilem, & qui credit Christū esse Redēptorē implicite credit, mortuū fuisse pro hominibus.

46 His notatis: dico quod quantū ad substantiā credibiliū eadē fuit fides à principio generis humani vsque nunc. Ita *Scot. dist. 25. q. 1. §. de primo dico*, & om-

omnes Scholastici. *Lorca ad q. 1. D. Thom. art. 6. Suar. disp. 2. sect. 6. n. 3. Lug. disp. 3. sect. 5.* docet *Alens. q. 69.* & probatur. Quia, vt inquit *Paul. ad Hebræos 11. sine fide impossibile est placere Deo:* & reddēs rationem ait: Quia accedentē ad Deū opportet, credere, quia est, & quia remunerator est: sed ista duo continent totam substantiam materiæ fidei: quia iuxta Pauli definitionē; *fides est sperandarum substantia rerū;* & res sperandæ eædē fuerunt in omni tēpore secundū substantiā, scilicet obiectiua, & formalis beatitudo, & reliqua, quę ad illā consequendā spectant: ergo in omni tēpore, quoad credibilitū substātia, eadē fuit fides in omni statu. Nā dicit *Apostolus secunda ad Corinth. 4.* loquens de antiquis Patribus; *habentes eundē Spiritū fidei.* Ad quod facit, ait *Suar sect. 6. n. 3. disp. 2. illud Actor. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datū hominibus, in quo opportcat, nos salnos fieri* legantur, *Act. 17. ad Ro. 3.* & ad *Hebr. 9.* atque *D. Gregor. hom. 17 in Ezech.* accōmodans huic nostri conclusioni, illud Marci 11. *Et qui præibant*, id est antiqui Patres, *& qui sequebantur*, id est post Christi aduentū, *omnes clamabant: O sanna filio Dauid*, id est eamdem fidē habebant; ex quo non leuiter confirmatur opinio Scoti de aduentu Christi Domini etiā si non peccaret Adamus. Quare *Eusēb. lib. 1. histor. c. 4.* dicit, quod omnes fideles ab initio mūdi possunt appellari Christiani: idē habet *Epiph. hæres. 66. & August. tract. 45. in Ioann* dicit: *Tēpora variata sunt, non fides.* Legatur *lib. 18. de ciuit. c. 47. & sermon. 8. de tempore*, ait; *vna est fides noui, & veteris testamenti.*

47 Ratio est clara. Quia in omnibus viatoribus semper fuit vna Ecclesia: ergo vna fides quoad substantiā credibiliū: nā fides est forma costituēs Ecclesiā. Et cōfirmatur primo. Quia in omni tempore, secundū substantiam, semper fuit in omnibus hominibus vna iustitia, & sanctitas: ergo etiā vnū fundamentū iustitiæ, & sanctitatis, quod est fides. Secundo confirmatur; quia per eumdē mediatorē Christū omnes tēdunt in eamdē beatitudinē: igitur eadē est fides, ac fuit in omni statu in omnibus hominibus quantū ad substantiā credibiliū, ergo obiectū materiale fidei, quantū ad substantiā, nunquam creuit, nec diminutū est.

48 Dico secundo. Quod licet, quoad fidē implicitā, materia fidei successū temporis, nō creuerit, nec minuta fuerit: quoad fidē tamē explicitā certū est creuisse, vt docet omnis Schola, & probatur manifestè. Quia regulariter, vniuersaliter loquēdo, in statu legis Euangelicæ creuerūt reuelata à Deo, quoad numerū: ergo successū tēporis creuit obiectū materiale fidei. Erat enim, inquit *S. Thom. 2 2. q. 1. art. 7. ad 4. & q. 176. ar 6.* tēpus aduentus

Christi veluti iuuētus Ecclesiæ, quia temporis plenitudo, sed tēpus iuuentutis est perfectius, & acremēti: ergo homines in præsenti statu sunt in fide perfectiores, & in statu incrementi: maximè cū in tali statu erat Christus lux vera, quę illuminat omnē hominē, ergo homines viciniores aduentui Christi Domini sunt magis lumine fidei illustrati ex parte obiecti credibilis.

49 Sed contra obijcies. Quia Adam, velut primus totius humani generis parēs, habuit magis explicitā fidem, & maiorem Ioāne Baptista, & omnibus alijs filijs eius, Beata Virgine excepta. Itē Moyses, & Abrahā maiorē fidē habuisse videntur, quam multi ipsis posteriores. Imò Dauid maiorē fidē habuit quā alij Reges successores eius. Imò videtur nō improbabile, hos omnes habuisse fidē explicitā omniumcredibilium, quæ vsque ad hoc tempus sunt reuelata: ergo successu temporis non creuit obiectum materiale fidei.

50 Respōdeo; quod cōparatio non debet fieri, nisi inter statum Ecclesiæ quoad corpus, & communitatem eius: & vt sic absolutè est vera nostra conclusio. Præter quam quod, adhuc comparādo capita, & Principes statuum Ecclesiæ, iudicamus Petrū, & Sanctos Apostolos excellentiores fuisse in sciētia fidei cæteris alijs antiquioribus, quales fuerunt Adam, Abraham, Moyses, Dauid, &c. iuxta promissionē Christi D. apud *Ioann. 14. 15. & 16. Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcūque dixero vobis*; & subdit *omnia, quæcumque noui à Patre, nota feci vobis.* Vnde *Epiph. hæres. 66. ait: Apostolos accepisse donum; quo omnia ipsis clare Spiritus Sanctus expossuit*: claritate videlicet fidei explicitę. Et ratio est; quia fides Ecclesiæ dicitur fundata supra fidem Apostolorum: erant enim noui Testamenti Doctores, & fidei Magistri.

51 Sed obijcies: Post multum temporis à Christi aduentu sunt multæ propositiones de fide definitæ, quæ antea non erant de fide; vt quod B. V. nunquā peccauerit venialiter; quod iustificatio fiat per qualitatē inhærentē: quod Christus habuerit duas voluntates, & aliæ, quæ sunt in Cōcilijs: ergo nunc est magis extensa fides; quam fuit in Apostolis, & in primitiua Ecclesia status Euangelij post Christi aduētum. Respondent aliqui negādo maiorē: quia in præsenti Ecclesia non sunt nouæ reuelationes, nec noua credibilia; solum enim quoad explicationem, non vero quoad numerū credibiliū, augetur fides in Ecclesia: *ita Vualdens. lib. 2. doctri. fidei antiq. cap. 22. & 23. D. Tho. 2. 2. q. 1. art. 10. ad 2. Castro lib. 1. cap. 8. contra hæreticos, Cano lib. 2. de locis, cap. 7. & lib. 4. cap. 4. & Lorca disp. 17. n. 2.* sequitur *Gaspar Hurt. disp. 1. dif-*

diffic.4. vbi ait errasse Ioachimũ Abbatem Benedictinum; & Petrum Ioannem, Franciscanum, dicentes Apostolos, non percepisse sensum Euangelij, sed hunc perceptum fuisse, vel à Sancto Benedicto, vt dicebat Ioachimus, vel à Sancto Francisco, vt dicebat Petrus Ioannes. Sed (quidquid sit de Ioachimo cuius non fuit discipulus Petrus Ioannes, vt euidenter probat *Nitela Franciscana, fol. mihi* 1. & *fol.* 334. & 335.) Bonus Hurt. in hoc authoritatem non habet; manifestè enim quidquid dicit de Petro Ioanne ignorat: quia tale vnquam Petrus Ioannes Franciscanus dixit.

52 *Suarez* verò *sect.6. disp.* 2. *n.*18. Respondet: quod loquẽdo de propositionibus, quæ pertinent veluti ad substãtiam fidei, & mysteriorũ, est falsum antecedens, non verò de propositionibus contingẽtibus, & nõ pertinẽtibus ad fidei, & mysteriorũ substantiam, v.g. quod Alexãder X. sit verè Põtifex, quod Tridẽtinũ sit legitimũ Conciliũ, & similes aliæ: & respectu harũ propositionũ in præsenti Ecclesia, nõ est incõueniens dicere, quod creuerit fides; neque est incõueniens concedere, quod Apostoli non habuerunt fidẽ explicitã de illis, sed tantũ vniuersalem: quia non fuit necessariũ, illis reuelare omnia futura in indiuiduo, sed sufficit, quod omnia, quæ Christus nouit à Patre quoad fidei substantiã, vel quasi ad substantiã fidei pertinentia, in indiuiduo, & explicitè eis notescerent, & quæ non pertinebant ad substãtiã fidei sufficiebat, vt illis manifestarentur, & reuelarẽtur, secundũ modos communes, & principia generalia necessaria ad discernẽdas propositiones fidei per assensum, vt ita dicã, experimentalẽ fidei. Quod cõfirmatur, ex eo quod *Act.* 10. & 15. fuit controuersia inter Apostolos post Pentecostem circa modum vocationis gentiũ, & de cessatione legaliũ: atque Sãctus Ioann. in Apocalip. multa futura cognouit, quæ alijs Apostolis reuelata non sunt.

CAPVT II.

De obiecto formali diuinæ fidei.

Sect. 1. *Quod est obiectum formale quo, fidei diuinæ?*

53 *Manichæi* (quos sequitur *Abailardus*, vt ait *D. Bernard. epist.* 190. *ad Innocẽtium*) vt refert *S. Aug. lib.* 1. *de vti. credẽdi, c.* 1. dixerũt, quod obiectum formale *quo* fidei erat humana ratio: eo quod, *qui citò credit*: ex *Eccles.* 19. *Leuis est corde*: & 1. *Ioan.* 4. dicitur: *Probate Spiritus, an ex Deo sint. Et* 1. *ad Thessaloni.* 5. dicitur: *Omnia probate, quod bonum est tenete*: ergo ratio humana est fidei diuinæ motiuum,

& obiectum *quo* formale credẽdendi fide diuina. Alias, si humana ratio non esset motivum credendi, sequeretur, esse credẽdum credibilibus contra rationem; quod dici non debet.

54 Sed quod humana ratio non sit fundamentum, in quo nitatur fides Christiana est de Fide: & consequenter est error ponere pro obiecto *quo* formali fidei humanam rationem. Solum enim potest esse conditio ad credendum, vel vt proponatur obiectum credendum, siue vt apprehendatur, quid sit quod proponitur ad credendũ, vel vt cognoscatur, vt credibile, vel vt proponatur obiectũ credendum, quod non est impossibile, nec rationi contrarium; & hoc tantum probant hæreticorum argumenta.

55 Manichæorum, & Auallardi placitum errorem esse, manifestè deuincitur ex *Apostolo* 1. *ad Chorint.* 2. dicente: *Prædicatio nostra non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Quare *cap.* 10. dixit opportere, *captiuare intellectum in obsequium fidei.* Et *Matthæi* 11. dixit Christ. D. ad Petrum: *Caro & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus, qui in cœlis est*: id est non credidisti, me esse Filium Dei viui ex motiuo, & ductus humana ratione, sed ductus illustratione, & reuelatione diuina; & sic *Matth.* 10. dixit Christ. D. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.*

56 Secundo deuincitur ex Sanctis Patribus: Nam *Augustin. ser.* 1. *de Trinit.* dicit: *Fidelis sum, credo, quod nescio; & serm.* 20. *de verb. Apost.* dicit: *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia, & tract.* 40. *in Ioan.* dicit: *Credimus, vt cognoscamus, non cognoscimus, vt credamus: & hom.* 32. inquit; *Arcana Dei prius quærunt credentes, vt fiant intelligentes. Et Gregor. hom.* 26. dicit: *Quod fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Et Nazianzen. orat.* 34. *aliàs* 2. *de Theologia*, ait: *Fidem potius, quam rationẽ sequamur.* Vbi fidẽ rationi opponunt Sancti Patres vnanimi consensu.

57 Tertio deuincitur ratione. Quia mysteria fidei præcipua no possunt concludi, & humana ratione demonstrari: ergo humana ratio non potest esse regula, motiuum, seu obiectũ formale *quo* credendi fide diuina, sed aliquid superius supernaturale debet esse. Et confirmatur: quia vel talis ratio humana esset euidens, vel probabilis? si primum, cum cognitione euidenti fides non subsistit: si secundum, sequitur fidem esse quandam opinionem, quod est plusquam falsum: nã fides est assensus

sus firmissimus, certissimus, & absq; formidine oppositi, qualiter non est opinio: ergo.

58 Hoc igitur errore deuicto: inter Catholicos prima sententia tenet, quod ratio dominij, siue dominium diuinum est motivū fidei, & obiectum, quo formale eius. Sed istud placitū reijcitur manifestè; quia fides distinguitur ab obediētia, sed obediētia respicit alterius dominiū, vt motivū formale: ergo fides non respicit dominium Dei, vt motivum formale. Et si obijciatur illud *Paul. Captiuantes intellectū in obsequium fidei, ad Chorinth.* 10. Sed captiuus obsequens respicit aliū vt Dominum: ergo fideles, qua tales respiciunt dominium diuinum, vt motivum ad credendum. Respondeo negando consequētiam: quia fideles, qua tales sunt, non sunt captiui, sed solum præsupponūtur ingenui, & obedientes.

59 Secunda verò sententia dicit: quod ratio Glorificatoris est obiectum formale, & motivū fidei. Verū ista opinio Durādi, & Ægidij reiecta est à nobis, cap. 1. sect. 1. & iterum reijcitur, quia 1. *Ioann.* 1. *dicitur; hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum.* Fundamenta autē huius opinionis euersa sunt, & destructa loco citato.

60 Tertia sententia dicit: quod Deitas est motivum formale fidei, secundum præcisum Deitatis conceptum, & modificationem in Deitate intellectū. Ita satis probabiliter noster *Aureol. dist. 24.* qui citat *Scotum q. 3. prolog. in q. 2. lateral. §. Cōtra istas. V. Cōcedo igitur, & dist. 23. q. vnī. §. Aliter potest poni.* Nam veracitas diuina, sicut reuelasse, est cōditio ex parte obiecti ad credendum, sicut omnipotentia ad actum spei. Relinquamus hanc sententiam in isto statu: nā fundamenta eius infrà ponemus contra nos, & ibi soluemus.

61 Quarta sententia tenet, quod prima veritas est motivum formale fidei diuinæ. Ita communiter Scholastici; sed nō omnes eodem modò philosophantur de hac prima veritate. Quod vt declaremus, oportet in Deo, triplicem veritatem distinguere. Prima est transcendens, & passio entis, qua omne ens est verum, & dicitur veritas in essendo. Secunda est veritas in cognoscēdo; estquè adæquatio intellectus ad rem, & percep tio rei vt est in se. Tertia dicitur, veritas in dicendo, & est adæquatio verbi ad rem significatam per verbum. Dum igitur Scholastici tenent, quod obiectum formale quo, & motivum formale fidei consistit in prima veritate, non loquuntur de veritate transcendentali, sed de alijs.

62 *Diuus* namque *Bonaventura dist. 24. artic. 2. q. 2. Valentia*

disp. 1. q. 1. pun. 1. & alij dicunt esse primã veritatẽ in cognoscendo. Noster verò *Alens. 3. p. membr. 4. q. 68. Ricard. Albert. Mag. S. Tho. 2. 2. q. 1. art. 1.* vbi *Caietan. Durand.* & *Ægidius disput. 9. dub. 3.* affirmant esse primã veritatẽ indicendo. Fundamenta horum modorũ dicendi postea obijciã, dũ nostrũ placitũ proponamus.

63 Quinta verò sententia medium inter quartam tenet, scilicet, quod obiectũ formale fidei est prima veritas in cognoscendo, & dicendo simul, vt reuelãs: ita quod reuelatio intret etiam rationẽ formalẽ motiui. In quo etiã est difficultas: nã quidã loquũtur solum de reuelatione actiua, quę est locutio Dei, & productio speciei impressæ, qua extra manifestatur credendũ. Ita *Arag. 2. 2. q. 1. art. 2.* Alij verò è contra intelligũt de reuelatione passiua, scilicet de cognitione rei reuelatæ, id est de auditione obiecti reuelati. Ita *Bañez 2. 2. q. 1. cõcl. 6.* Alij autem vtramque reuelationem includunt in ratione formali formalis motiui fidei diuinæ; ita *Lorca disp. 2. n. 12. Suar. disp. 3. sect. 2. n. 3.* & 4. citatur *Vazq.* ab aliquibus, sed fallũtur: citantur *Pitig.* vterque *Hurt.* & alij verũ ego existimo, quod omnes isti Authores sentiũt idẽ, quod *Arag.* tenet *Lugo disput. 1. sect. 7. num. 114.*

64 Dicendũ à nobis est: Quod authoritas diuina, seu prima ſuma, & infinita veracitas Dei prout in actu primo includit veritatem, & infalibilitatem, tã in cognoscendo, quàm in dicendo simul, est motivum formale, & obiectũ *quo* formale fidei diuinæ supernaturalis. Hanc sententiam iudico esse *Scoti in prolog. q. 1. §. Ad quæst. V. Vtrum autẽ, & q. 3. quæstiunc. 2. lateral. §. Ad primam quæst. & in 3. dist. 23. §. Secũdo de fide infusa, & §. Aliter potest poni, & §. Ad quæst. tamẽ dico, V. Quod autem, & §. Ad argumenta principalia,* & citari potest in *dist. 24. §. Ad aliud pro opinione 2. & in quodlib. 7. art. 2. & in quodlib. 14. art. 1. & 3. & quodlib. 17. §. Conclusionẽ,* vt citat & intelligit *Smising. q. 2. Proœmij, à nu. 61.* ex quo *Castillo disp. 1. q. 3. n. 47.* & sequuntur ferè omnes Scotistæ vno, vel altero excepto, & ex parte conueniunt Authores 5. sententiæ.

65 Et Prob. 1. Quia non cõsistit motivũ formale fidei in Deitate, vt dixit tertia sentẽtia: Neque in sola veritate in cognoscẽdo: Prætereà diuina reuelatio nõ intrat obiectũ formale fidei diuinæ: ergo. Prima antecedẽtis pars probatur. Quia Deitas est motivũ cognitionis clarę, & euidẽtis, scilicet visionis beatificæ: ergo nõ potest esse motivũ formale cognitionis obscurę, qualis est fides: Quia cognitionis claræ intuitiuę, & euidẽtis, atq; cognitionis obscurę diuersum est motivũ formale. Secũda antecedẽtis pars probatur: Quia fides niti-

fitur testimonio infalibili, sed per summā veritatē in cognoscendo solū, non potest intelligi Dei testimoniū infalibile; quia licet per illam veritatē sequatur, non posse falli: tamen ex eo non probatur formaliter, non posse fallere: ergo veritas præcisè in cognoscendo non potest, sola esse formale fidei motivum.

66 Tertia antecedentis pars probatur. Primo ex *Sco. dis. 23. §. Cōtra si fides, & §. Aliter potest, V. Et si e modus, & V. Et tūc, & V. Ideo nō respicit pro formali obiecto in eis reuelari.* Et ratio est. Quia obiectū *quo* formale est illud, in quod vltimo resoluitur fides, sed in reuelationē, siue actiuā, siue passiuam, nō resoluitur vltimo fides diuina: ergo nō ingreditur rationē formalē formalis motivi fidei. Probatur minor: nam si quæratur, quare creditur Deū esse trinū, & vnū: respondetur, quia Deus dicit: & si quæratur quare creditur Deus dicens, respondetur: quia est summę, & infinitæ authoritatis, & nō potest fallere, nec falli, vbi sistimus: igitur reuelatio non intrat conceptum formalē essentialē motivi formalis fidei diuinę, sed ad sum mūest cōditio essentialis, & sine qua non est obligatio ad credēdum; & authoritas Dei, seu veracitas infinita, quæ ex veritate in cognoscēdo, & dicēdo simul, quasi in actu primo, completur, erit motivum formale fidei.

67 Cōfirmatur q; ex ipso *Scot.* Quia reuelatio actiue, vel passiue est ens rationis, ergo non potest esse obiectū formale *quo* habitus realis, sicut est fides: secūdo confirmatur; quia habitus fidei est Teologicus: ergo non potest habere pro motivo formale aliquid creatū, qualiter est reuelatio. Respōdebis cū *Suar. & Hurt.* quod testificatio, siue reuelatio se habet veluti vnio, & informatio, aut causalitas formalis. Sed contra; quia ex hoc sequeretur, quod motivū potētiæ visiuæ esset inhesio coloris, & sic de alijs: est enim inhesio coloris cōditio tantū, vt possit videri color, nō verò intrat rationem formalem motivi potentię visiuę. Respōdebis cū illis, qui tenēt, quod decretū liberū Dei consistit in actu intrinseco diuinæ voluntatis, quod reuelatio, & testimonium Dei, nō est aliquid extrinsecū ipsi Deo, sed est ipsa met veracitas, & actus intrinsecus Dei cognoscēdi, & dicēdi. Sed cōtra primo, quia iam hęc sententia nō differret à nobis. Secundo; falsum est, quod reuelatio non sit aliquid extrinsecum Deo: est enim quædā loquutio exterior, & manifestatio ad extra obiecti credibilis.

68 Secūdo probatur à priori nostra cōclusio. Quia illud est obiectū formale *quo*, seu motivū formale fidei diuinæ, quod est immediata causa formalis, propter quā credimus fide diuina, sed sic

se

se habet authoritas diuina, & veracitas Dei, quæ completur ex veritate indicendo, & cognoscendo: ergo hæc veracitas est formale motivum fidei. Minor probatur: quia in hoc complexo harum duarum veritatum vltimo, & ex æquo fides diuina resoluitur: igitur veracitas diuina, eiusque authoritas, prout ex æquo inbibit vtramque istam veritatem in cognoscendo, & dicendo formaliter, est causa formalis, propter quam credimus fide diuina. Probatur maior: Quia in id vltimo complete resoluitur fides, à quo accipit firmitatem, & infallibilitatem, atque certitudinem infallibilē ipsa fides, sed firmitas, infallibilitas, & certitudo ex æquo sumitur ex vtraque ista veritate: ergo. Minor claret: Quia ex veritate in cognoscendo præcisè, solum potest oriri, quod Deus non fallatur; non tamen potest oriri, quod non possit fallere: & ex veritate in dicendo præcisè solum potest oriri, quod Deus non possit fallere, non verò sequitur non posse falli: ergo veritas, certitudo, firmitas, & infallibilitas fidei ex æquo sumitur ex vtraque veritate in dicendo, & cognoscendo.

69 Sed pro tertia sententia nostri Aureoli obijcies: primo *Scotum in prolog. q. 3. in 2. lateral. §. contra ista, V. concedo igitur, & in 3. dist. 23. §. aliter potest poni, V. & iste modus ponendi.* Respondet *Castillo disp. 1. q. 3. n. 34.* quod Scot. non habet verbum de hoc: sed bona venia fallitur Castillo. Quidam Magister meus in manuscriptis respondet, quod *Scot. in prolog.* loquitur de obiecto materiali principali, seu attributionis. Sed mihi veriùs placet dicere *Scotum* loqui de obiecto Theologiæ, prout est scientia: *in 3.* autem satis clarè tenet *Scot.* quod prima veritas sit obiectū formale *quo.*

70 Obijcit secundo Aureol. Deitas est, inquam vltimo resoluitur fides: ergo ipsa est motivum formale. Antecedēs probat: nam inquirenti cur credis? Respondetur, quia est verax: & si vlterius inquiratur; cur credis Deum esse veracem? Respondetur, quia est Deus, & ibi sistitur: ergo in Deitatem vltimo fides resoluitur. Respōdet Felix, quod resoluitur vltimo fides in Deitatem, vt in radicem essendi. Sed contra: ergo radix essendi erit motivum formale. Ferè eodem modo respondet *Castillo nu. 52. ex Suario,* & non est improbabilis solutio. Sed aliter respondeo primo; Quod resoluitur in Deitatem, non in motivum formale fidei, sed vt in obiectum cui, seu attributionis. Secundo respondeo; quod resoluitur in Deitatem, vt in obiectum, ex quo, & veracitate fit vnum obiectū *quod* formale. Tertio respōdeo, quod

quod nō resoluitur in Deitatem: & ad secundā inquisitionē probationis antecedentis respondeo: quia est prima veritas, & quia non potest falli, nec fallere. Et si iterum inquiras, semper fiet circulus in authoritate, & veracitate diuina, quātū ad motivum formale credendi. Alias color non esset motivum formale vissus, sed foret mixtio diuersarum qualitatum. Si enim per impossibile, non esset Deitas, & daretur summa veracitas in cognoscendo, & dicendo, ibi vltimo resolueretur fides.

71 Obijcies tertio: obiectū formale *quo* fidei diuinæ, & visionis beatæ est idem, sed obiectū *quo* motivū visionis beatæ est Deitas: ergo, & fidei diuinæ. Respondetur negando maiorē. Sed obijcit doctissimus noster Soria. Fides est perfectissima virtus intellectualis: ergo debet habere perfectissimum obiectū, & motivum, quale est Deus vt sic sub ratione Deitatis. Respondetur: Quod authoritas, & veracitas Dei est perfectissimū motivum, & cum Deo identificatum.

72 Obijcit quarta sentētia: quia tota veritas, & authoritas alicuius testis reducitur in certam eius scientiam, & in veram eius cognitionem resoluitur. Vndè testis ocularis præfertur testificanti ex auditu; vndè *Ioann. cap. 1.* commendans authoritatem, & testimonium Christi dicit: *Deū nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris ipse narrauit*: atque *Paul. 2. ad Corinth. 2.* Commēdans authoritatem testimonij Spiritus Sancti ad scientiam summam recurrit, dicens, quod *omnia Spiritus Sanctus scrutatur etiam profunda*: ergo obiectum formale fidei est veritas in cognoscendo. Respondetur negando antecedens: quia potest aliquis cum certa scientia ire contra mentem, seu mentiri, & fallere, & huic non debetur fides, nisi habeat famā, quod in dicendo sit veridicus, & non à sue factus mentiri. Vndè si testis sit ocularis, etiam potest recusari, quia est infamatus, quod habet consuetudinem dicendi falsum in iudicio, siue de falso teste. Ex Diuo Ioann. & Paul. solum sequitur, ad infallibilitatem, motiui fidei requiri summam veritatem in cognoscendo: non tamen probatur, ipsam tantum sufficere sine veritate in dicendo in actu primo ad formale motivum fidei diuinæ.

73 Obijcies: Prima veritas in cognoscendo, & dicendo in actu primo nihil aliud est, quam summa scientia Dei, & bonitas infinita eius, sed constitutivum Dei est scientia, & bonitas Dei: igitur Deus secundum suam essentiam, & consequenter, quatenus est Deus, seu secundum

dum rationem Deitatis, est motivum formale fidei, vt dicebat tertia sententia. Vel saltim (si renuas, cum omnibus Scotistis, concedere constitutivum Dei, esse scientiam ipsius) sequitur quod motivum formale fidei sit Deus secundum conceptum Deitatis, & primæ veritatis in cognoscendo: videtur posse dici, quod veritas in dicendo non est bonitas essentialis Dei, sed attributalis, quæ consistit in virtute inclinante ad conformandū lo quutionem cum cōformitate ad obiectum scitum, sicut est in se; & sic non habet vim argumentum.

74 Pro quarta sententia obijcies: Ratio formalis alicuius rei nequit consistere in duobus formaliter distinctis, sed vtraque ista veritas formaliter distinguitur: ergo motivum formale fidei ex æquo nō includit vtramque. Respondeo negando maiorem: quia conceptus formalis humanitatis imbibit formaliter duos cōceptus formales formaliter distinctos, animalitatis scilicet, & rationalitatis. Sed dices: ergo beatitudo nostra ex æquo consistit in actu intellectus, & voluntatis. Respondetur: quod beatitudo consistit in perfectissima cōsequutione, & operatione, vltimaque possessione summi boni, quæ solum est in fruitione voluntatis.

75 Sed pro quinta opinione (in quantum includit diuinā reuelationē formaliter in motivo formali fidei) obijcies aliquas scripturæ autoritates: Nā 1. *Ioann.* 5. dicitur: *Qui credit in Filium, habet testimonium Dei in se.* Respondeo, quod habet testimonium Dei in se, vt applicatio motivi, non verò vt motivum formale: testimonium enim, & reuelatio diuina solum est ad proponendam veritatem credendam, vt dicitur *Ioann.* 18. *Ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Sed contra insurgit Suarez: quod authoritas Dei est sicut forma respectu materiæ fidei, & reuelatio est informatio, & vnio, & causalitas formæ, sed causalitas formæ, & vnio formæ ad materiā, non est tantum conditio: ergo reuelatio est plusquam conditio essentialis. Respondeo, quod vnio formæ ad materiam solū est conditio essentialis, vt forma tribuat effectum, non verò est forma dans esse formaliter. Deinde comparatio non est sic facienda, sed sicut approximatio inter agens, & passum. Dices: si reuelatio sit clara est diuersum motivum, ac si Deus reuelet obscure: ergo reuelatio spectat ad obiectum formale formaliter. Respondeo solum esse diuersas cōditiones eiusdem motivi formalis.

76 Dices: reuelatio diuina est infalibilis: ergo dat infalibilita-

tatem actui fidei. Respondeo à se nego : à diuina authoritate concedo antecedens. Obijcies: sicut Deus reuelauit, se esse, & alia attributa eius, ita reuelauit, se esse veracem omnino: igitur sicut credimus, esse omnipotẽtem, quia reuelauit, credimus es se infinitę veracitatis, quia reuelauit: igitur reuelatio est obiectum formale *quo* motivum fidei. Respondeo negando consequentiam vltimam: nam etiam reuelationi Dei assentior, & illi credo propter summam, & infinitam authoritatem Dei, & veracitatem eius. Obijcies; quidquid diuina authoritas dicit est verum, sed Deus reuelat obiecta credibilia nostræ fidei: ergo omnia sunt vera, & credibilia, quia Deus reuelat: igitur reuelatio est causa, & ratio formalis credẽdi. Respondeo ex hoc solum sequi, quod reuelatio sit applicatio authoritatis diuinę, & veracitatis infinitæ ad obiecta, vt fiant credibilia proximè per reuelationem tanquam per conditionem, non verò tanquam per rationem formalem. Licet enim forma nõ tribuat effectum formalem, nisi vt vnita, tamẽ vnio non est ratio formalis compositi, sed conditio ad dandum effectum formalem, sine qua non erit constitutum, nec compositum.

77 Sed contra obijcies: igitur omnia credibilia non sunt æquè credibilia: Patet; quia motivum formale fidei, non æquè participatur ab omnibus credibilibus: nam authoritas, & veracitas diuina est intrinsice in ipso Deo, & extrinsece increbilibus creatis. Quære solutionem *cap. 1. sect. 2. à num. 17.* Et potest dici, quod authoritas Dei, & veracitas non constituunt formaliter, prout sunt motivum formale fidei, in aliquo intrinseco Dei, sed in aliquo extrinseco, nempè in adæquatione, & conformitate scientiæ diuinę, & ipsius bonitatis attributalis ad obiecta reuelabilia. Sed cõtra, quia ista adæquatio, & conformitas nihil aliud est quam reuelatio obiecti: ergo reuelatio erit motivum formale.

78 Sed respondeo negando consequentiam illam *n.* 77. illatam: nam licet in esse rei authoritas, & veracitas diuina sint intrinsecè in ipso Deo, & extrinsecè in creaturis, tamen in esse credibilium æquè sunt in Deo, & creaturis per applicationem motivi, quæ fit virtute reuelationis obiectorum ad potentiã informatam habitu fidei. Sed cõtra: igitur eodem modo possumus philosophari de habitu charitatis, quod æquè respicit Deum, & creaturas: & ita tam amabiles erũt creaturæ, ac Deus per applicationem motivi formalis charitatis virtute præuiæ cognitionis obiecti diligibilis, si-

sicut tam credibilia sunt obiecta creata, ac Deus per applicationem motivi formalis fidei virtute reuelationis: ergo vel dicēdum est, quod omnes articuli fidei non sunt æquè credibiles habitu fidei diuinæ, sicut Deus, & creaturæ non sunt æquè amabiles habitu charitatis: vel si sunt æquè credibiles, motivum formale fidei tantum erit reuelatio diuina, connotans authoritatē, & veracitatem Dei, non verò ipsa authoritas, aut veracitas Dei. Solutionem quære; nam vsque tunc efficax videtūr mihi hoc argumentum: sed vide *c. 1. sect. 2. n. 31 & 19.* & exinde patebit aliqualiter solutio. Existimo autem quintam sentētiam probabilem *in Scot.*

Sectio 2. *Quodnam est obiectum formale quod fidei diuinæ?*

79 Gregorius *q. 4. prolog. art. 2. Marsil. q. 2. art. 5. Ægidius 1. part. q. 3. & Albertus in 2. dist. 1. art. 2.* dixerunt: quod Deus sub ratione Saluatoris erat obiectum quod formale fidei. *Vasquis* autem *in prolog. q. 3. art. 2.* affirmauit, quod Deus sub ratione verbi, vel sub ratione voluntatis, erat obiectum formale *quod* alij verò apud *Scotū in prologo q. 3.* dicunt, quod Deus sub ratione boni, alij quod Deus sub ratione entis infiniti: & tenent *Faber. & Pilosus, ex Scot. citato, §. Ad primam quæstionem.* Isti sunt modi dicendi inter Catholicos.

80 Communis sententia ait: quod Deus solum sub ratione Deitatis est obiectum formale *quod*, & prima ratio credendi. Citatur *Scot. q. 3. prolog. §. Ad primam quæstionem*, & sequitur *Smising. q. 2. proœmij, num. 65. & Pitigi. in 3. dist. 24. q. 1. art. 3. concl. 1. & alij* in manuscriptis, vt *Felix cap. 2. dif. 1. docet D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. & 1. part. q. 1. art. 7.* sequuntur que *Suarez disp. 3. sect. 1. num. 6. Lorca disp. 2. Vazquez disp. 10. cap. 5.* & alij Recentiores. Docet etiam *Alens. 3. part. q. 68. membr. 4. & 7. art. 6.* & alij apud *Lorcam.* Probat quidam doctissimus meus Magister ea ratione, ex *Suario citato*. Quia fides, vt sic, nititur testimonio diuino, in quo differt fides à scientia, & opinione: ergo Deus est obiectum formale *quod* fidei. Verum hæc ratio solum probat, quod testimonium Dei est ratio formalis obiecti fidei, non verò probat, quod Deus sit, vt sic obiectum formale *quod* fidei.

81 Alius Scotista benemeritus *Castillo disp. 1 q. 3. à nu. 21.* probat ex *Suario & Lorca* citatis hanc communem sententiam. Quia Deus per rationem, qua constituitur obiectum attributionis primarium, & subiectum primum credibile, de quo cætera credibilia creduntur, & ipse de

de nullo alio creditur, constituitur obiectum formale *quod*, sed vt diximus *cap. 1. sect. 1. num. 4.* per rationem Deitatis constituitur primum subiectum in esse credibile: ergo per talem rationem constituitur obiectum formale *quod* fidei. Confirmat primo ex Lorca, & Suario. Quia Theologia, & fides habent idē obiectum formale *quod*, sed Theologiæ obiectum *quod* est Deus sub ratione Deitatis, ergo etiam fidei. Secundo confirmat ex eisdē. Quia finis fidei est, maiorem Dei præstare notitiam: ergo Deus sub ratione Deitatis est obiectum formale *quod* (alias non præstaret maiorem notitiā de Deo) quia sub ista ratione est omnium radix. Tandem cōfirmat ex eisdem. Quia idem obiectum formale *quod* est fidei quod futurum est visionis beatæ, sed visionis beatæ obiectum formale *quod* est Deus sub ratione Deitatis: ergo.

82 Cæterum, & si ista sententia valdè probabilis sit: tamē si oleum, & operam super Scotum non perdidimus, & mea in eius intelligētia nō me fefellit: videtur in sentētia Scoti dicendā; quod obiectū formale *quod* fidei diuinę est Deus non precisè secundū Deitatē, sed vt verax est summè, & infinitè. Ita expressè *Scot. in 3. distin. 24. §. Secundo de fide infusa*, & probatur primo: quia obiectum formale *quod* est constitutum ex subiecto primario attributionis, & ex ratione formali, seu obiecto *quo*, sed Deitas vt sic, non est obiectum formale *quo*, nec ratio formalis specificatiua fidei, & tribuens illi vnitatem, sed tantum conuenit hoc authoritati diuinæ, seu infinitæ veracitati eius: igitur Deus, secundum quod est infinite verax, est obiectum formale *quod*. Probatur secundo; quia illud est obiectum formale *quod*, quod imbibit in se rationē formalē, inquam vltimo resoluūtur omnes veritates illius habitus, cuius est obiectum *quod* formale, sed Deus sub ratione præcisa Deitatis non est in quem fit vltima fidei resolutio, sed hoc competit veracitati diuinæ: ergo Deus secundum quod verax, est obiectū *quod* formale, non verò præcisè secundum Deitatis rationem.

83 Probatur tertio: quia alicuius habitus illud est obiectum *quod* formale, quod continet in se virtualiter omnes veritates illius habitus, sed Deus secundū quod est summè, & infinitè verax, continet in se omnes veritates omnium credibilium, quæ habitu fidei creduntur: ergo. Minorem probat *Scot.* citatus: quia fides non habet certitudinem ex obiecto (intellige materiali) sed ex veracitate testis, scilicet Dei: igitur secundum Scotum Deus vt verax est obiectum primum formale *quod* nostrę fidei, & hoc mo-

modo inquit *Scot.* intelligitur, quomodo sit vna fides omnium credibilium. Quia habens ipsam credit omnia reuelata esse vera eodem habitu, quo credit, reuelantem esse veracē. Igitur Deus, vt verax, est obiectum formale *quod* non verò precisè sub ratione Deitatis.

84 Ad argumenta pro cōmuni sententia facta respōdeo; quod solum probant, Deum sub ratione Deitatis esse obiectum, seu subiectum attributionis primarium materiale, non verò probant esse obiectum *quod* formale. Negatur igitur maior primi discursus: nam obiectum formale *quod* in esse talis, non constituitur per hoc, quod omnia credibilia credantur de eo, sed per hoc, quod in se contineat formaliter rationem formalem credendi omnibus credibilibus reuelatis, quæ nō est Deitas præcisè, sed authoritas, & veracitas Dei. Non enim credo formaliter omnia esse credibilia, quia credo præcisè Deum, vt Deus est præcisè, sed quia credo Deum, vt summè, & infinitè veracem. Ad primam confirmationem nego, quod Theologiæ, & fidei sit idem obiectum quod formale, licet sit idem subiectum attributionis. Ad secundam confirmationem respondeo non facere contra nos, sed potius pro nobis: nam assignando pro obiecto, *quod* formali Deum, vt verax est in dicendo, & cognoscendo, finis fidei perfectissimè saluatur: quia non possumus habere maiorem notitiam de Deo per fidem, nisi quæ fundatur in veracitate Dei. Ad vltimam cōfirmationem; Respondeo negando maiorem: solum enim est vera de subiecto primario attributionis, non verò de obiecto *quod* formali. Aliarum sententiarum fundamenta sunt parui momenti, & ex dictis facilè ruunt.

Sectio 3. *Vtrùm habitus fidei, vel auxilium spectent ad motivum formale fidei?*

85 REspōdeo ad difficultatem sectionis, quod habitus fidei, illustratio specialis, siue auxilium non ingrediuntur motivum formale fidei diuinæ; sed solum se tenent, vt conditio essentialis. Ita *Smising. in præm. nu. 66. Pitig. Cast. disp. 1. q. 3. p. 4. num. 67. & 68. Felix cap. 2. mihi difficult. 3. in manuscriptis*, & cōmuniter omnes Scotistæ. Tenēt etiam *Suar. disp. 3. sect. 3. Lorca*, & alij contra *Aragon, Bañez, Albertum Magn.* & alios dicentes, habitum fidei, lumen, siue auxilium constituere fidei formale motivum.

86 Sed quamuis in hoc conueniat communis sententia differant tamen Authores: vtrùm sit conditio necessaria ex parte ob-

obiecti; an verò ex parte potentiæ. Nam quod se teneat solum ex parte potentiæ, defendunt Suarez citatus, Felix, & communis opinio: ea ratione. Quia habitus fidei summit speciem suam ab obiecto formali: igitur supponit illud: ergo habitus fidei non ingreditur motivum fidei, vt conditio se tenens ex parte obiecti. Et confirmatur: quia habitus fidei, & auxilium solum sunt principium causans assensum fidei, non verò motivum assentiendi: ergo habitus, & auxilium solum sunt ex parte potentiæ, non verò ex parte obiecti. Confirmatur secundo: quia primus actus fidei diuinæ in adulto, quando primo conuertitur ad fidem, præcedit habitum, sed actus præsupponit obiectum, & motivum formale cum omnibus conditionibus: ergo habitus fidei, non se tenet ex parte obiecti, sed solum ex parte potentiæ.

87 Quod autem se teneat vt cõditio essentialis ex parte motivi formalis, & obiecti, defendunt, meo videri *Molina*: & fortasse id solum intentant *Aragon*, *Bañez*, & *Albertus Magn.* tenet verò aperte *Silu.* citatus, & probat primo ex *Scot.* 3. *sent.* 23. §. *De fide infusa* dicente. *Et quia, quod Deus asserit, supernaturaliter revelat, ideo fides assentiens tali revelato, quia assentit veracitati revelantis, est habitus supernaturalis: revelat autem credibilia, quando infundit habitum.* Et subdit: *Quia habēs fidem, non credit articulum ex euidentia obiecti, sed quia credit veracitati infundentis habitum, & in hoc* (scilicet infundendo habitū) *revelantis credibilia*, atque hoc modo intelligere dat *Scot.* qualiter sit vna fides omnium credibilium: quia omnia creduntur, vt reuelata à Deo in quantum infundit habitum, eodem habitu quo creditur, quod reuelans est verax: ergo de mente *Scot.* habitus fidei se habet ex parte motivi, & obiecti formalis, sicut reuelatio: quia idem videtur apud Scotum infundere habitum, & reuelare credibilia supernaturaliter.

88 Respondet Felix: quod Scot. ibi, solum vult probabiliter, quod Deus reuelans sit obiectum formale fidei. Sed contra est primo: quia satis clarè Scot. indicat, quod Deus, vt reuelans, non sit obiectum fidei formale, sed tantum veracitas reuelantis: ergo Scot. non vult probabiliter, quod Deus vt reuelans sit obiectum formale *quo* fidei. Secundo, quia *Scot.* §. *Contra si fides infusa* expressè reijcit reuelationē à constitutiuo motivi, & obiecti formalis *quo* fidei: ergo solutio non tenet. Tertio admissa solutione contra est: idem est secundum Scotum Deus reuelans, & Deus infundens habitum, sed Deus reuelans per

te probabiliter in Scot. est obiectum formale *quo* fidei: ergo etiam Deus infundens habitum: vel saltim Deus infundens habitum est conditio se tenens ex parte obiecti, sicut (in sententia Felicis) Deus reuelans.

89 Respondet Felix ad istã tertiam instantiam, quod *Scot.* non vult, quod habitus se teneat ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ, & efficienter, & ita ait, appellatur reuelatio effectiua, & sic, inquit, loquitur *Scot. in 3. dist. 24. §. Ad aliud pro opinione 2. & dist 25. §. Ad primum principale, V. Ad secundum*, vbi, inquit iste doctissimus meus Magister, reuelationem distinguit Scot. ab infusione habitus.

90 Sed contra: primo; quia reuelatio non solũ se tenet ex parte potentiæ, sed etiã ex parte obiecti, sed secundũ Scot. idẽ est reuelatio, & habitus infusio: ergo sicut reuelatio se habet ex parte obiecti, ita, & habitus. Secundo contra est: quia Scot. locis ab isto doctissimo meo Magistro citatis, nihil habet eorũque affirmat: imo potius loco citato, *dist. 25 §: Ad secundũ ait Scot. Quod potest Deus aliter ordinare, vt prius reuelet aliquid hominibus, per infusionem fidei & credẽdorum reuelationem quam Angelis*: ergo no benè vidit Scot. Felix, neque Lichetus.

91 Secundo probatur iste dicẽdi modus, quia ex parte obiecti se tenet omne determinativum potẽtiæ naturalis, qualis est intellectus, ad actum, sed habitus fidei, & auxiliũ est determinativũ potentiæ intellectiuę ad actũ fidei diuinæ supernaturalis: ergo se habent ex parte potentiæ, & obiecti: & confirmatur: quia authoritas, veracitas, & reuelatio, diuina sunt motivũ de se indifferens ad fidem infusam, & adquisitam earundem propositionum: igitur sine alio, scilicet sine habitu, vel auxilio, non sufficiẽter determinant intellectũ, nec inclinant ad actum fidei diuinæ supernaturalis: ergo habitus, vel auxilium, se tenent ex parte obiecti; patet cosequentia: quia licet habitus adquisitus specificetur per actus, tamen actus fidei diuinæ supernaturalis specificatur per habitum, sed actus specificantur per obiecta: igitur habitus fidei diuinæ se tenet ex parte obiecti specificantis actũ in esse supernaturalis. Confirmationis antecedens, patet etiam: nã hæreticus credit multas propositiones fidei propter veracitatẽ Dei reuelantis, & tamen nõ credit fide infusa, & diuina supernaturali. ergo.

92 Respondet Pater Felix, quod obiectum semper manet eodem modo, & solum requiritur, vt actus sit supernaturalis: quod potentia eleuetur, vel per habitum, vel per auxilium. Sed contra: per te, vt actus sit supernatu-

naturalis requiritur habitus: ergo habitus specificat actum in esse supernaturali, sed actus specificantur ab obiectis: ergo habitus, non solum se tenet ex parte potentiæ, sed etiam ex parte obiecti.

93 Tertio probatur iste dicēdi modus: quia lumen glorię, nō solum se tenet ex parte potētiæ, sed etiam ex parte obiecti (quēadmodum lumen naturale, seu lux respectu obiecti visibilis materialis) ergo similiter habitus fidei. Antecedens probatur, quia licet sit Deus vbique præsens, tamen eo non videtur, quia nō est facialiter prę̄sens: igitur vt Deus sit facialiter præsens intellectibus beatorū, datur sumē glorię: ergo nō solum se tenet ex parte potentiæ beati, sed etiā ex parte obiecti beatitudinis, commensurando, & coaptando illud potentię, & potentiam illi: ergo similiter habitus fidei coaptat motivum formale fidei cū potentia, & potentiā cum motivo, vt actus in specie supernaturalis euadat, tā ex parte potentię, quā ex parte obiecti, & motivi formalis. Quod autē respodet Felix cū Suario, ex dictis manet sufficiēter impugnatū, & impugnatum tractatu de visione. Et confirmatur, quia habitus fidei datur ad simpliciter operandū, & non ad operandū facilius: ergo non solum ex parte potētiæ, sed etiā ex parte obiecti se tenet fidei habitus: quia operatio oritur simpliciter ab habitu, & potentia. Tandem reuelatio passiua, se habet vt conditio ex parte obiecti, & tamen reuelatio passiua est obiecti auditio.

94 Ad fundamenta primi modi dicendi; ad primum respondet Castillo concedendō totum, loquendo de obiecto in esse formalis *quo*, seu in esse motivi, non verò in esse formalis sub *quo*: & explicat exemplo: nā licet potētia intellectus habeat, & supponat ens vt sic pro obiecto motivo, tamen vt hic, & nunc intelligat, ipse intellectus, prout agens, denudat illud à materialitate sensibili, & redditur intelligibile, & sic ens affectum hac nuditate tamquam conditione, hic, & nunc mouet intellectum, vt illud actu intelligat: sic similiter habitus fidei supponit veracitatem Dei, vt obiectum motivum, & specificativum eius: tamen vt tale motivum, hic, & nunc specificet actum fidei diuinæ, eget illo habitu, vel auxilio, sine quo non specificabit actum supernaturalem, nec erit motivum ad actum supernaturalem, & fidei diuinæ. Quæ solutio, licet non sit ita clara in ipso Castillo, valde mihi quadrat.

95 Ad primam confirmationem sufficienter est responsum ex dictis, quod habitus, vel auxiliū, non solum sunt principiū

causans assensum fidei, sed dedeterminativum potentiæ ad assentiendum, & specificativū actus in esse fidei diuinæ supernaturalis; cum autem actus specificentur ab obiectis, optimè hinc sequitur, quod habitus, vel auxilium se teneant ex parte obiecti, vt conditiones specificantes, non verò vt rationes formales motiuæ. Ad vltimam confirmationem respondetur: quod licet tunc actus fidei, præcedit, habitum, tamen non præcedit auxilium: & sic nullius roboris est fundamentum primi modi.

96 Sed contra insurgit *Suarez* in suo *n.* 11. Quia tale auxilium, prout recipitur in homine adulto, qui primo se cōuertit ad fidem, non distinguitur ab ipso actu, sed actus non potest constituere suum obiectum, sed illud supponit: ergo neque habitus: neque auxilium se tenēt ex parte obiecti. Respondeo negando maiorem. Secundo: quia licet, prout recipitur in homine, gratis concedamus, tamen prout exit à Deo, potest intelligi, quod se teneat ex parte obiecti motiui ad specificationem assensus fidei diuinæ supernaturalis.

97 Ad argumentum, *n.* 91. propositum respondere intendit *Suarez* in suo n. 15. Dicendo quod hæreticus non resoluit suam fidem in diuinum testimonium, sed potius in humanum, & in suo proprio iudicio, & opinione, & sic non habet eamdem rationem formalem credendi, quam habet Catholicus; quod, ait, *Suarez*, est sententia omnium Theologorum. Sed contra efficacissimè argumentor. Ratio quare hæreticus non habet eamdem rationem formalem credendi, ac Catholicus, non potest alia esse, nisi quia non habet habitum fidei: igitur habitus fidei se tenet ex parte motivi, & obiecti formalis: igitur ex ipsius Suarez doctrinā secūdus modus dicēdi est verior cum omnibus suis probationibus.

Sect. 4. *Qualiter authoritas Ecclesiæ, & eius testimonium spectent ad obiectum formale Fidei?*

98 NOtādum est primo, quod Ecclesia (quæ est fideliū cōgregatio, & corpus quoddam morale, cuius caput Christus, & Pontifex ritè electus ipsius Vicarius, & Diui Petri successor, vt visibile caput) potest dupliciter considerari, primo vt est humana, & ciuilis respublica; & sic eius authoritas politica, & si maxima, tamen quia humana est fallibilis. Secundo quatenus est Spiritus Sancti organum, per quod nobis reuelat mysteria fidei, iuxta illud *Matth.* 10. *Nō enim vos estis qui loquimini, sed Spi-*

Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis, & vt sic Ecclesiæ authoritas, ex infallibili Spiritus Sancti assistentia est infallibilis.

99 Suppono; quod regula infallibilis ad proponendas res fidei est ipsamet Ecclesia abinitio mundi: quia ante Moysem, à quo cepit Scriptura, erat fides in hominibus. Quæ regula, & potestas proponendi infallibiliter: an sit in Pontifice, & in Concilio ritè congregato fortè dicemus infrà in disputatione appendice. Interim tamen breuiter supponitum probatur. Nã *primæ ad Thimoteum 3.* dicitur: *Ecclesiæ Dei, quæ est columna, & firmamentum veritatis*, & *Lucæ 22. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

100 Hoc notato *Durand.* & *Almat.* ad motivum formale fidei spectare politicam, & humanam authoritatem Ecclesiæ dixerunt. Tribuitur *Scoto* sed falsò: *Pitig. Bañez.* & noster *Medina tib. 5. de recta in Deũ fide, cap. 11.* affirmant authoritatem diuinam Ecclesiæ, & eius testimonium, spectare ad formale fidei motivũ. *Valencia* verò ait, quod actus Ecclesiæ, vt definientis spectat ad motivum formale: at vero actus Ecclesiæ, vt proponentis, dicit, esse solum conditionem; ita *tom. 3. q. 1. punct. 1. §. 5. & 6* Alij vero tenent, quod respectu fidei vniuersalis, seu Catholicæ, authoritas, & testimonium Ecclesiæ est motivũ formale; secus vero respectu fidei particularis. *Suarez vero sect. 10. n. 10. cũ Caie. q. 1. ar. 1. 2.* tenet, authoritatem Ecclesiæ, quo ad nos, esse motivum, in quo vltimo resoluitur fides; non vero in se: quia vt sic consequenter loquitur dicens, quod solum est authoritas Dei, vt reuelans: quia authoritas Ecclesiæ semper est instrumentalis, & vltima resolutio actionis non in instrumentum, sed in principalem causam fit: nam authoritas Christi maior fuit quam totius Ecclesiæ, & nihilominus dixit doctrina mea non est mea.

101 Dico igitur. Ecclesiæ authoritas prout Ecclesiæ, & prout intelligitur esse in Ecclesia, neque testimonium eius, intrant rationem motiui formalis fidei diuinæ, siue infusæ, siue acquisitæ, siue Theologicæ, & particularis, siue vniuersalis, aut Catholicæ, siue ratione sui, siue rationi nostri. Ad probandã istã assertionem vtuntur aliqui Scotistæ, *Castillo q. 4. nu. 10. & Felix c. 2. dif. 5.* authoritate *Scot. in 4. dist. 11. q. 3. §. Ad argum. pro prima opinione. & 2. V. Et si quæras.* Sed certè si Scoti verba rectè perpendantur, ex eis ista conclusio minimè probatur; sed potius ex illis colligitur, veracitatẽ diuinã Ecclesiæ esse formale motivum fidei; quia veracitas ista est eadẽ cum veracitate Dei.

102 Quare ratione probo conclusionem. Primo de authoritate, quia in Angelis, & in Adamo fuit vera fides, sed in illis nō fuit Ecclesiæ authoritas, nec testimonium, aut propositio necessaria ad credendum; igitur. Et cōfirmatur, quia Ecclesiæ authoritas non distinguitur ab authoritate Dei, nisi per denominationem extrinsecam ab institutione diuina; ergo potuit non esse hæc denominatio extrinseca: quia potuit Deus, non instituere, quod Ecclesia participaret eius authoritatem, sed tunc maneret integrum motivum formale fidei diuinæ, siue infusæ, siue acquisitæ, siue vniuersalis, siue particularis, adhuc quoad nos, posita reuelatione, vt cōditione: ergo. De testimonio autem magis clarè probatur illis rationibus, quibus supra ostensum est, quod testificatio, siue reuelatio diuina, solum est conditio, non verò motivum, & obiectum formale *quo*.

103 Dico secundo: quod Ecclesiæ authoritas, prout Ecclesiæ est, solum est conditio, & hoc non essentialiter requisita ad fidem, seu ex natura rei, sed tantum ex diuina institutione, attendendo ad statum nostræ fragilitatis, & atemperando se nostro modo operandi per sensibiles regulas.

104 Dico vltimo: Quod Ecclesiæ authoritas, quoad substantiam, materialiter, & non reduplicatiuè, prout Ecclesiæ est, est motivum formale, & obiectum formale *quo* fidei diuinæ cum omnibus supra positis conditionibus. Et testimonium Ecclesiæ, non formaliter prout Ecclesiæ est, sed quasi materialiter, & secundum substantiam, est conditio essentialis ad fidem diuinam. Primum probatur. Quoniam Ecclesiæ authoritas isto modo, nec formaliter distinguitur ab authoritate diuina, sed ista est motivum: igitur, & Ecclesiæ authoritas. Confirmatur: quia in authoritatem Ecclesiæ, sic spectatam, resoluitur vltimo fides: ergo. Deinde, testimonium Ecclesiæ est etiam quoad substantiam reuelatio, & testificatio Dei: ergo est conditio essentialis, & isto modo intelligo, posse componi opiniones, quas aliqui diuisas existimant; & iudico hanc conclusionem probari magis illo loco Scoti supra citato, quam Scotistarum intentum.

105 Obijcit prima opinio: in authoritatem diuinam Ecclesiæ resoluitur vltimo fides: ergo est motivum formale. Respondeo; distinguo antecedens; prout consideratur in Ecclesia nego; materialiter cōcedo. Sed contra quia dicit *August. cap. 4. contra Epist. fundam. Euangelio nō crederem, nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret.* Ergo authoritas Ec-

Ecclesiæ, & eius testimonium intrant formale motivum. Respondetur negando consequentiam: solum enim est instrumētum, & organum applicās motivum, sicut tuba. Vel distinguo, quod Augustin. non loquitur de authoritate Ecclesiæ prout Ecclesiæ est, sed considerando Ecclesiæ authoritatem secundum substantiam, & materialiter. Sed contra: quia authoritati Ecclesiæ debetur fides, non humana, ergo diuina: alias talis authoritas foret fallibilis. Respondeo, quod authoritati Ecclesiæ, vt Ecclesiæ debetur fides diuina, vt obiectum materiale creditum; quia fide diuina credo, ipsam habere authoritatem Dei, & Spiritus Sancti assistentiam ad definiendum de fide, non verò vt motivum credendi formale, sed vt organum in quo est hoc motivum.

106 Sed contra: Ad credēdum debemus stare alicui regulæ infallibili, ne propter multitudinem errorum omni vento doctrinæ circumferamur, vt ait *Paul. 2. ad Corinth. 5.* sed ista regula est Ecclesia: ergo ipsius authoritas est motivum. Respondeo: quod ad hoc sufficit, quod ex intentione diuina sit conditio, vel vt organum applicans motivum formale. Sed dices contra: Hæreticus in eo distinguitur à Catholico, quod ille nō credit Ecclesiæ: ergo authoritas Ecclesiæ est motivum formale. Respondeo: quod Hæreticus distinguitur à Catholico in eo, quod negando authoritatē Ecclesiæ, renuit applicari sibi, vt oportet formale motivum fidei, scilicet authoritatem, & veracitatem diuinam: non verò quia immediatè neget motivū, sed mediatè, quatenus negat Ecclesiæ authoritatem, seu quod authoritas diuina sit in Ecclesia.

107 Sed pro tertia sententia obijcit Valencia: quādo Ecclesia definit secundum authoritatem diuinam, & Spiritus Sāti assistentiam, talis authoritas est authoritas ipsius Dei, sed authoritas Dei est motivum formale: ergo & authoritas Ecclesiæ. Respondeo, quod hoc argumentum probat vltimam nostram conclusionem, non verò est contra primam.

108 Sed pro sententia Suarij obijcies. Quia nos non possumus resoluere fidem diuinam expressè in diuinam veracitatē, sed in regulam visibilem Ecclesiæ; ergo quoad nos authoritas Ecclesiæ est motivum formale. Respondeo, quod resoluendo fidem in authoritatem Ecclesiæ non formaliter prout Ecclesiæ, sed materialiter possumus expressè, resoluere fidem in veracitatem diuinam: & sic quoad nos, si verè resoluatur fides, authoritas Ecclesiæ, vt Ecclesiæ

est, non est motivum, sed solum instrumentum in quo, vel quo applicatur motivum formale fidei. Quarta sententia facili nititur fundamento, & sic de illa nō curo. Quia quod fides sit Catholica, vel priuata, est quid accidētale, & ad summum solum sequitur, quod authoritas Ecclesiæ est conditio, vt fides sit Catholica; non verò sequitur, quod motivum formale fidei Catholicæ sit authoritas Ecclesiæ.

109 Ex dictis resoluta persistit celebris illa quæstio latè exagitata ab Authoribus, præcipuè à nostro *Medina, lib. 5. de recta in Deum Fide*; *Lugo disp. 1. à sect. 2.* videlicet, quid sit illud in quod vltima nostræ fidei resolutio sit? Nam dicimus, neque esse deitatem, neque reuelationem, neq; primā veritatem in dicendo solum, neque solum in cognoscēdo, neque ipsum habitum fidei, vel auxiliū, neque ipsam authoritatem politicā humanā Ecclesiæ, neque ipsam authoritatem diuinā Ecclesię, quatenus Ecclesiæ est reduplicatiuè, sed est ipsa diuina veracitas, & authoritas, primaq; veritas diuina, in cognoscendo simul, & dicendo. Quia ex dictis constat, quod hæc authoritas solum est motivum formale fidei, & obiectum *quo* formale eius, & adæquata ratio formalis, propter quā credimus, & in illa ratione sistimus. Reliqua autem, vel sunt conditiones essentiales, vel conditiones ex institutione diuina, vel non sunt integra ratio formalis propter quam credimus.

110 Sed obijcies. Fides acquisita diuina, siue sit vera, siue apparens resoluitur in diuinam veracitatē: ergo vel fides acquisita diuina non distinguitur à fide diuina infusa, vel fides diuina infusa non resoluitur vltimo in veracitatem diuinam tantum. Respondeo, distinguo antecedens; resoluitur in diuinam veracitatem eodem modo; ac fides diuina infusa, nego, diuerso modo concedo: & hoc sufficit ad specificandum actum ab alio actu, etiam si respiciant eandem rationem motivā, & idem obiectū formale: sicut charitas patriæ, & viæ, & motus rectus, & circularis in sententia probabilissima Scoti. Et si quæras: quis nā sit iste diuersus modus ratione cuius, etiā si assensus fidei acquisitæ, & infusæ habeant idem motivum, differant specie? Respondeo, quòd fides acquisita dicit ordinem ad habitū acquisitū, & fides infusa ad habitum infusum. Præterea, quia vna dicitur per se infallibilis, scilicet infusa: atverò acquisita est infallibilis per accidens, iuxta qualitatem testimonij diuini, veri, vel apparentis.

111 Obijcies; igitur assensus fidei infusæ non resoluitur integrè in authoritatem Dei, sed in

in habitum infusum. Respondet optimè, & consequenter noster Castillo, negando consequentiam; quia in habitum solū resoluitur assensus fidei infusæ, vt in conditionem obiectiuam, vt actus sit sicut opportet supernaturalis, non verò vt in causam formalem per se mouentem, vt obiectum *quo* formale, sed solū, velut ratio sub qua. Vnde Magister meus *Felix c. 2. diff. 6.* minus benè notauit *Castill.* in cōsequentię: nam in hoc consequentissimè loquitur Castill. & doctè.

112 Obijcies tertio: si quæratur; cur credis *Deum*, v. g. *esse Trinum, & Vnum*? Respondebis, quia Deus dicit, qui nec potest fallere, nec falli. Et si iterū quæratur: *Quare credis Deum dicere*? Respondetur, quia Ecclesia dicit: & si iterum quæratur: *Quare credis Ecclesiæ dicenti*? Respondebis, vel quia habet homines fidedignos, Sanctos, &c. vel quia credo, quòd Ecclesia habet Spiritus Sancti assistentiam, & authoritatem Dei ad testificandas res de fide: & ex primo sequitur, quod resolutio vltima fidei fiat in testimonium humanum, & politicū, fallibile Ecclesiæ, atque ex secundo sequitur, quod vltimo resoluatur in authoritatem diuinā Ecclesiæ assensus fidei: primum non potest dici: ergo secundū: quia si quæratur; quare credis, Ecclesiam habere assistentiam Spiritus Sancti, & authoritatem Dei, ad testificandas res fidei; respondebis vltimo, quia Ecclesia dicit: ergo, vel committitur circulus, vel authoritas Ecclesiæ est id, in quod vltimo resoluitur assensus fidei.

113 Respondeo; quòd credo Deum esse Trinum, & Vnū: quia Deus, qui non potest fallere, nec falli reuelauit per se immediatè antiquis Patribus, vel mediatè per alios Sāctos, scilicet per Ecclesiam, cui semper assistit Spiritus Sanctus, & ipsa authoritas diuina: ita quod reuelatio immediata, vel mediata, se habet, vt conditio ad credendū: & hoc quod est, non posset fallere, nec falli, per quod explicatur diuina veracitas, eiusq; authoritas, conflata, ex veritate in dicendo, & cognoscendo, se habet, vt motivū formale credendi. Et sic quādo iterum inquiritur: quare credis quod Deus dicit se esse Trinū, & Vnum. Respondeo; quod, tanquā ex motiuo formali credo, Deum dicere se esse Trinum, & Vnum, propter eius veracitatem: & vltra non est progrediēdum, si inquisitio sit de motiuo formali: quia veracitas infinita Dei est ratio credendi se, & alia dicta, & reuelata à se, siue realiter, siue formaliter distincta. Si verò fiat inquisitio de instrumētis, & conditionibus siue ex natura rei, siue ex institutione diuina, necessarijs ad credendū tunc respondebimus, quod quia Ecclesia, (ha-

(habens Spiritus Sancti assistentiam, & diuinam authoritatem, & vt sic regula infallibilis in rebus fidei) dicit.

114 Obijcies quarto. Secundum nos assensus fidei infusę reducitur in habitum fidei infusum, seu in internam illustrationem, vel auxilium aliquomodo, saltim, vt in conditionem, se tenentē ex parte obiecti motivi, sed habitus fidei, illustratio, siue auxilium est vniuscuiusque proprium: ergo fides resoluitur in internum lumen, & iudicium proprium vniuscuiusque: sed consequentia est Lutheranorū: ergo etiam maior argumenti: quæ est sententia nostra: & videtur adhærere sententiæ Manichæorum, dicentium, quod humana ratio spectabat ad motivum formale. Respondeo; concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Hæreticorum enim Lutheranorum, Caluinistarum, & Manichæorū error erat, quod ex suo speciali iudicio mouentur ad credendū scripturę, & suum iudicium credunt esse verum ex Scriptura, eo modo, quo ab eis intelligitur, & hoc est error: non verò quod nos dicimus: quia lumen, quod nos ponimus, est supernaturale, & quod ponunt hæretici, est naturale, & proprium intellectus.

115 Inquires: Quomodo Ecclesia sit certa de sua fide cum varietate opinionum de formali, & vero motivo fidei infusæ? Ratio dubitandi est: quia actus & obiectum debent proportionari: Ergo si Ecclesia est certa de fide, etiam debet esse certa, de motivo suæ fidei: ergo vel non est certum, sed in opinione potest poni fides Ecclesiæ, vel omnes debemus conuenire in certitudine motivi formalis, & non opinari circa illud. Respondeo breuiter; quod opinionum varietas solum facit, quod Ecclesia non sit certa speculatiuè, & methaphysicè loquendo, de vero motiuo; non verò facit, quod sit incerta de vero motivo physycè, & practicè, nam ad credēdum fide diuina supernaturali, non est opus; quod methaphysicum, & speculativum motivum formale fidei credatur vt *quod*, sed sufficit, vt attingatur, vt *quo*: aliàs nullus rusticus haberet fidem: imò nec multi viri docti, & sancti; quia assentiunt mysterijs fidei, vt *quod*, absque eo quod recordentur de speculatiuo, & methaphysico conceptu motivi, sed solum ex eo quod Ecclesia dicit, & diffinit, quod Deus reuelando interposuit suā authoritatem: per quod sufficiēter applicatur motivum; quia in definitione Ecclesiæ continetur Deus sub ratione Domini, Glorificatoris, & vt Deus, seu sub ratione Deitatis, & authoritas diuina, siue prima veritas in dicēdo, & cognoscendo, & reuelatio

tio diuina, actiua, & passiua, & habitus, siue illuminatio, & cosequēter omnia motiva de quibus est opinionum varietas: & sic qui credit alicui articulo propter authoritatem Dei reuelantis per se, vel per Ecclesiam certum motivum attingit physicè, & practicè licet incertum speculatiue, & methaphysicè.

116 Sed objicies: Ecclesia nō est solū practicè, & physicè certa de sua fide, sed etiam methaphysicè, et speculatiuè: ergo etiam debet esse certa de motiuo methaphysicè, & speculatiuè. Respondeo negando antecedens. Dices: ex nostra conclusione, & resolutione sequi, quod quis certo sciat, se habere fidem. Probatur sequela: quia physicè, & practicè scit, se attingere verū motivum fidei. Respondet *Scot. dist. 23. §. Sed quid dicis*: quod solum est certus se habere fidem, non verò est certus an sit naturalis, vel supernaturalis: quia naturaliter non potest esse certus de habitu supernaturali. Sed contra: quia licet hæc solutio obuiet quod non sequatur, vt aliquis sit certus certitudine naturali, quod habeat fidem supernaturalem, non tamen obuiat, quod non sequatur, vt aliquis sit certus certitudine fidei diuinæ: quia ex eo Ecclesia est certa per te, de sua fide supernaturali, quia est certa physicè, & practicè de vero motivo: ergo, quia quis scit practicè, se attingere verum motivum, etiam erit certus; quod habeat habitum fidei supernaturalem, eadem certitudine fidei sicut Ecclesia. Respondeti potest, quod est dispar ratio de Ecclesia, ac de quocumque homine in particulari: nam Ecclesia habet reuelationem, non verò quilibet homo de suo habitu supernaturali fidei.

CAPVT III.

De loquutione, & auditione, siue de reuelatione diuina necessaria ad Fidem.

Sectio 1. *Quid, & quotuplex sit reuelatio diuina?*

117 QVoad primum conueniunt omnes, reuelationem diuinam nihil aliud esse, quam loquutionem manifestatiuam obiecti, & veritatis credendæ: id est signum, siue ex natura rei, siue ex institutione diuina, ordinatū, quo vtitur Deus, vt manifestet alicui aliquam rē, siue istud signum, sit species impressa, siue expressa, vt probabiliter dixi tractatu de Angelis. Verumtamen, quia loquutio, & reuelatio diuina, circa mysteria fidei, sit obscura, distingui debet, à scientia infusa, qua Deus communicauit aliquibus notitiam claram aliquorum obiectorum, in eo quod scientia in-

infusa habetur per species proprias obiectorum, at verò fides, seu assensus fidei non habetur per proprias, & particulares species, sed per generales, & vniuersales species, mysterij reuelati, vt docet *Scot. in 3. dist. 23. §. Aliter potest poni.*

118 Quoad secundum (ex quo magis primum patebit) nō satis mihi se explicant Theologi, dum solum diuidunt diuinā reuelationem in actiuā, & passiuā: atque in descriptione vtriusque reuelationis satis confusè loquuntur. Quapropter mihi magis placet, diuinam reuelationem prima sui diuisione diuidire in actualem, & habitualē. Reuelatio habitualis est infusio habitus fidei diuinæ supernaturalis: quia per infusionem habitus est illustrata potentia, & illuminata respectu omnium credibilium supernaturaliter; & admodum, quo species obiecti virtualiter repræsentat cognoscibile, vel visibile, ita habitus fidei infusus confusè, obscurè, & quasi virtualiter continet omnia obiecta credibilia in esse credibilium: nam fidei supernaturalis habitum, considero quamdam participationē diuinæ authoritatis, & veracitatis Dei, tā in cognoscendo, quàm in dicēdo inclinantem intellectum ad assensus infallibiles, ita quod sicut Deus ab intrinseco non potest fallere, nec falli in suis assertis, ita neque Ecclesia, aut quodlibet membrum Ecclesiæ non possit fallere, nec falli in assensu circa ea, quæ asseruntur à Deo, atque isto modo optimè intelliguntur duo: primum qualiter fides sit vna secundum, qualiter fides sit obscura. Existimoque hanc doctrinam esse de mente *Scoti* ex professam *dist. 23. §. Secūdo de fide infusa, V. Et quia*, vbi ait *Scot. quod Deus reuelat credibilia quando infundit habitum.* Et infra inquit: *Habens fidem non credit articulum esse verum ex euidentia obiecti, sed propter hoc quod assentit veracitati infundentis habitum, & in hoc reuelantis credibilia*: vbi clarissimè habitus infusionem, & reuelationem credibilium idem esse pronuntiat.

119 Reuelatio verò actualis videtur mihi, quod sit infusio alicuius speciei impressæ, vel expressæ, aut alterius signi, siue cōceptus manifestantis expressè, formaliter, & actu connexionē, vel complexionem obiecti credibilis, & habitualiter reuelati, per infusionem habitus. Hęc autem reuelatio est duplex, altera actiua, & altera passiua; existimoquè, esse vnam, & eamdem rem, scilicet, vnum, & idem signum, & vnum, & eumdem conceptum, qui quatenus infunditur, & prouenit à Deo dicitur loquutio, & reuelatio actiua, & quatenus cum eo tendit intellectus in rem reuelatam, & per eū cog-

cognoscit intellectus cõplexionem obiecti credibilis dicitur auditio, & reuelatio passiua, vel potest dici, quod reuelatio passiua est alter coceptus causatus ab intellectu creato, quo cognoscit reuelationem actiuam, & complexionem obiecti reuelati, & credibilis.

120 Cæterũ, vt clariùs hanc rem tractemus, speculãdum est, quod reuelatio actualis potest esse multifariam, & multis modis, sicut dicit Scriptura, quod olim loquutus est Deus Patribus, primò in Prophetis, secundo nouissimè in Filio suo, tertio in Ecclesia; quæ loquutiones, inquit *Scot. in 4. dist. 1. q. 5. §. Contra opinionem, vers. Fallitur ergo*, seu reuelationes, non opportet, quod sint productiuæ conceptus expressi de re credibili, sed sat est quod sint signa rememoratiua conceptus præhabiti de re. Vnde aliquando Deus reuelat, & quasi loquitur ad extra hominibus per verba qualiter loquutus est in Filio, qui vt homo prædicauit verbis proponendo mysteria fidei: & sic etiam reuelat in Ecclesia, quando definit, & proponit credendam aliquam propositionem: aliquando verò per scripta reuelat, vt loquitur in Scriptura; & aliquando permanum, vt quando operatur miracula, & ipsis confirmat aliquam veritatem. Perceptio autem horum signorum dicitur reuelatio passiua, in quãtum intellectus apprehẽdit (absque ad hæsione, vel assensu, id est non componendo, vel diuidẽdo) complexionem terminorum.

121 Ex quibus sequitur primo; quòd reuelatio actiua actualis non est aliquis actus Dei ad intra, sed ad extra, licet alias connotet actus intellectus diuini, & diuinæ voluntatis, vt necessariò per requisitos, tanquã in quibus fundatur infallibilitas reuelationis. Sed obijciunt aliqui; quia de reuelatione diuina debemus philosophari, sicut de prædestinatione diuina, sed prædestinatio dicit in recto voluntatis, & intellectus actum, vel saltim voluntatis, & de cõnotato actum intellectus: ergo. Vel saltim debemus philosophari, sicut dicitur de decreto, quod consistit in actu intrinseco voluntatis connotando eius obiectum, vel fieri obiecti: ergo. Respondeo, solum debere philosophari, sicut de creatione, vel productione rerum ad extra, seu glorificatione, aut iustificatione: & sic ruunt omnes obiectiones.

122 Sequitur secundo. Quod reuelatio passiua non est ipse assensus Fidei, vt in consulto dixerunt aliqui Thomistæ: nam antequam assentiam, aprehendere debeo complexionem veritatis, cui assentio: imò post simplicem apre-

apprehensionē cōplexionis debet subsequi consultatio, & iudicium de veritate reuelationis, & posteà voluntas imperat assentiri, vel non assentiri, vel dissentiri, vel suspendere assensum.

123 Sed inquires: reuelatio est quid supernaturale? Respondeo, quòd reuelatio habitualis est supernaturalis quoad substātiā, & intrinsecè. In hoc non est dubiu: quia habitus fidei infusæ est secundùm substātiam supernaturalis. Difficultas est de reuelatione actuali, tā actiua, quàm passiua. Et dico, quòd reuelatio actiua, vel est de obiecto, quod viribus naturæ nō possumus cognoscere, vel est de obiecto, quod possumus viribus naturę cognoscere? si est primò modo, videtur dicendū, quod est supernaturalis quoad substantiā; quāuis oppositū, nō sit improbabile, sicut dicitur de visione beata, & de actu fidei, & non est alienū à mente Scoti. Si verò est secundo modo, videtur, quod sit secundùm substantiā naturalis: quia tamē non est debita, sed gratia Dei est, illā dare, & quia ordinatur ad actum supernaturalem, dicenda est supernaturalis semper: quia ex *Milevitano cap 4. Donum Dei est scire qui agere debeamus.* Neque Pelagius reprehensus fuit, quia appellauit reuelationem gratiā, sed quia nullam aliam gratiam ponebat. Et si obijcias. Naturaliter cognoscimus Deum esse, & credimus Deum esse fide diuina; ergo. Respondeo, quòd cognitio naturalis de esse Dei, prout nititur principijs naturalibus euidentibus, non est, quæ ordinatur ad actū, quo fide diuina credo, quod Deus est, sed est alia cognitio confusa, certa, sed non euidens: videatur *Scot. quæst. 1. prologi.*

124 Loquendo autē de reuelatione passiua; videtur dicēdum, quod est supernaturalis quoad modum, & naturalis secundùm substantiā. Probat noster Castillo ratione non contemnenda: quia reuelatio passiua actualis est auditio reuelationis actualis actiuæ, sed auditio reuelationis actualis actiuæ est naturalis secundùm substātiam: ergo. Probatur minor; nam in Catholico eadem secundū substantiam est auditio reuelationis actiuæ actualis, ac in hæretico, sed in hæretico est naturalis secundùm substantiam: ergo. Cōfirmatque ex *Scot. in 4. dist. 10. quæst. 8.* vbi docet *Scotus*, quod quantumcumque obiectum sit supernaturale, quoad produci, tamen semel producto, iam naturaliter percipitur, quia est positum intra spheram intellectus: ergo etiam si reuelatio actiua sit supernaturalis, tamē semel producta, & posita in intellectu, perceptio ipsius ab intellectu est naturalis, sed ista perceptio est re-

reuelatio passiua, ergo intrinsecè est naturalis, v.g. & si miraculum resurrectionis Lazari sit opus in debitum, & supernaturale, tamen semel facto, perceptio eius est intrinsecè naturalis: quia Lazarus resuscitatus naturaliter mittit species repræsentantes ipsum vivum, cum anteà erat mortuus: quæ sententia placet.

125 Cæterum, quia ista reuelatio passiua dicit ordinē ad reuelationem actiuam, appellāda est supernaturalis: nam sicut actiua non est debita, sed ex gratia Dei, ita neque passiua: & sic quo ad modum est supernaturalis; & præterea, quia ordinatur ad assensum fidei supernaturalē, per imperium, & inclinationē habitus fidei, in quo habitualiter continetur illa reuelatio. Et confirmatur, quia eadem est in hæretico, ac in Catholico, sed in hæretico est naturalis, & in Catholico supernaturalis: & Catholicus solum distinguitur ab hæretico circa mysteria ab vtroque credita, in eo quod vnus nō habet habitum, & Catholicus habet: ergo per ordinem ad habitū redditur supernaturalis reuelatio passiua: ad modum quo per imperium charitatis actus aliarum virtutū moraliū supernaturales dicantur quo ad modum, & nō quo ad substantiam. Aliquas authoritates adducit nostet Castillo satis cōgruè ad ostēdendum hanc supernaturalitatis modificationem ex habitu in reuelatione passiua: videantur.

Sectio 2. *Vtrùm fides Catholica specie differat à fide particulari?*

126 FIdes Catholica dicitur, quæ nititur vniuersali reuelationi factæ toti Ecclesiæ: fides autem particularis, quæ nititur reuelationi factę alicui particulari personæ, quæ reuelatio vt sit vera non debet reprobari ab Ecclesia, nec opponi cęrimonijs, & doctrinæ, aut vsui Sanctæ Ecclesiæ: legatur *Gerson. 1. part. Alphabet. 14. & 19.*

127 Sit cōclusio: Fides Catholica, & fides particularis tolū differunt accidentaliter, non verò essentialiter, & in specie. Est de mente clari *Scot. in 3. dist. 23. §. secundo de fidei fuso.* Sequuntur omnes Scotistæ. *Castill. disput. 2. q. 2. n. 7. & Felix cap. 3 diff. 2. tenent Bellarm. de iustificatione, lib. 3. cap. 3. Vega, Corduba, Catherin. Vazquez 1. 2. disput. 201. cap. 4. Pityg. disp. 25. art. 2. concluſ. 4. & Suarez disp. 3. sect. 10.* in quo in consequenter videtur loqui.

128 Probatur ratione ex *Scot.* Quia vtriusque fidei est vnū formale motivum, & eadem ratio formalis obiectiua credendi: igitur no sunt essentialiter, seu specie distinctæ fides. Respondebis, quod habēt diuersos modos tēdendi per diuersas conditiones essen-

essentiales, sicut amor viæ, & Patriæ, & motus rectus, & circularis ad eundē terminum. Sed contra; quia reuelatio est solum conditio essentialis; quod autē, sit vniuersalis, vel particularis, per accidens se habet ad rationē essentialem fidei: alias assensus fidei cum euidentia in attestante, & assensus fidei per obscuram reuelationem essent fides specie distinctæ; & similiter assensus fidei ex immediata reuelatione, & assensus fidei per reuelationē mediatam; & ita Apostolorum fides, & fides cęterorum Catholicorum specie differrent, quod non potest, probabiliter defendi. Et confirmatur; quia id quod omnibus fide Catholica propositum est ad credendum, propositum fuit vni solum, videlicet Moysi, vel alio Prophetæ, aut B. Petro. Cōfirmatur secūdo, quia reuelationi Petri, siue fiat vni, siue multis eadem fides datur; ergo similiter reuelationi diuinæ: quod enim vna albedo sit in vno subiecto, & alia in pluribus, non distinguit illas specie: ergo.

129 Probatur ab authoritate: nam *Trid. sess. 6. can. 16.* ait: *Quod si quis dixerit, se certò infallibili certitudine habiturum magnū perseuerantiæ donum, nisi hoc speciali reuelatione didicerit anathema sit*: ergo quis poterit infallibiliter scire ex particulari reuelatione, se perseueraturum in gratia, vsq; in finem, sed iste assensus est obscurus habens idem obiectū formale, ac assensus Ecclesiæ, quo assentitur, quod qui perseuerauerit vsque in finem, salvus erit: igitur sunt fides eiusdem speciei. Et confirmatur ex ad *Hebræos 11.* vbi *Paul.* commendat fidem Sarræ in reuelatione particulari de futuro filio, & *Gen. 18.* reprehēditur, quia tarda fuit in credendo reuelationi particulari.

130 Sed *Caiet. 2. 2. q. 1. ar. 1. dub. 2. & q. 5. art. 3. Bañez, Valencia, Canus, Sotus, Zumel.* & alij oppositū defendunt, & contra nos obijciunt. Primò: qui nō credit reuelationi particulari sibi factæ, non est hæreticus, benè tamen, qui nō credit reuelationi vniuersali: ergo istæ duæ fides distinguntur specie. Secūdo: quia fides Catholica fundatur supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, secus verò fides reuelationum particularium: nā secundū Bañez fundatur in speciali transeunte lumine infuso: secundùm Valenciam fundatur in prudentia, & secundùm alios in fide supernaturali, distincta à Catholica. Sed respondetur ad argumentum: quòd in vtroque casu amitteretur fides, sed in vno primò casu non est hæreticus; ex eo quod non dissentitur cū pertinatia, sicut ille, qui dissentitur à reuelatione Ecclesiæ. Ad secundum respondeo; quòd illa est differentia accidentalis, & ratum ex institutione diuina;

sed

sed instat Valencia, quòd Zacharias non peccauit contra fidem, sed contra prudentiam nō credens Angelo reuelanti, sibi natiuitatem Ioannis: ergo fides non inclinat in particularem reuelationem, sed habitus prudentiæ. Respondeo cum D. Ambros. in eundem locum, quòd Zacharias peccauit contra fidē; non verò fuit hæreticus, quia nō fuit contumax.

131 Sed Lorca tenet, quòd quādo obiectū reuelationis particularis, est refferibile in Deum, & in vtilitatem Ecclesiæ, fides reuelationis particularis non distinguitur specie à Catholica: si verò obiectum non sit refferibile in Deum, ait distingui specie: & sic obijcit contra nos: Fides non solum specificatur ab obiecto formali *quo*, sed etiam à formali *quod*, quod est Deus: ergo si obiectum particularis reuelationis non refertur ad Deum, fides illa nō erit eiusdem speciei cum Catholica. Respodeo, quod etiā peccatū, vt remissibile, & punibile refferri potest ad Deum, & assensus circa caudā canis Tobię.

Sectio 3. *Quænam reuelatio sit sufficiens conditio ex parte obiecti ad assensum fidei?*

132 DVbium procedit de reuelatione actuali, nō de habituali: quæ actualis reuelatio in præsenti est multiplex; vna est expressa formalis, & immediata: & de hac non potest esse difficultas, quia certum est, sufficere ex parte obiecti ad actum fidei supernaturalis. Secunda est formalis confusa, sed immediata; qualis est illa, qua immediatè reuelatur, quòd Christus est homo, sed quia homo est rationale animal, talis reuelatio formaliter, & immediatè, sed confusè reuelat, quòd Christus sit animal rationale: nam definitum, & definitio sunt idē formaliter, & sic, qui reuelat expressè, formaliter, & immediatè definitum, formaliter, & immediatè reuelat definitionē, licet confusè. Tertia est reuelatio mediata, & virtualis, & est illa quæ oritur ex formali, & immediata, expressaq; reuelatione, quasi per Theologicum discursum ex duabus de fide, v. g. *Christus est Deus, & homo, sed tam Deus, quàm homo habet suam propriam voluntatem; ergo Christus habet duas voluntates*; (verū hæc magis videtur mihi reuelatio formalis confusa, imò formalis expressa) vel habētem vnam de fide, & alterā euidenter notam, v. g. *homo est risibilis, Christus est homo; ergo Christus est risibilis*. Quarta est reuelatio existimata diuina, sed non vera. Quapropter sub hac sectione triplex venit examinanda difficultas.

133 Prima difficultas est. Vtrū immediata reuelatio for-

malis, sed confusa, sit sufficiens conditio ex parte obiecti, ad assensum fidei? v. g. an sit de fide, *quod Christus sit animal rationale*, quia expressè, immediatè, & formaliter reuelatū est esse hominem, & sic confusè, & immediatè, & formaliter, quod sit animal rationale: & an sit de fide *B. Petrum esse Sanctum per gratiam habitualem*; quia reuelatum est, quòd omnis iustus sit talis per gratiam habitualem. Et similiter, *Ioannē, & Paulū, ex Adamo sit de fide* contraxisse originale; quia cōfusè cōtinentur in illa expressa, & formali reuelatione, omnes descendentes ex Adamo oriuntur cū peccato originali?

134 Negant absolutè aliqui, eo fundamento ducti; quia fides non est discursiua, & ex parte affirmatiua sequitur, esse discursiuam, & consequenter nitteretur lumine naturali. Alij verò, vt *Lorca disp. 6. n. 14. Suarez disp. 3. sect. 11. num. 5. Ægidius, ex Valēcia tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 2. Smising. in Proœmio, num. 21. & 22.* dicunt quod si reuelatio formalis confusa consideretur præcisè, vt confusa, non sufficit ad obiectum fidei constituendum: at verò si consideretur, vt explicit 1, explicata, expressa, & declarata per discursum Theologicum, vt sic est sufficiens conditio ex parte obiecti ad assensum fidei, sed non taliter, quod discursus se habeat, vt motiuū, sed vt cōditio præsuppositа.

135 Pro nostra sententia nota: quod reuelatio primo potest considerari in se ex parte intentionis reuelantis, & ex parte ipsius reuelationis actiuæ. Secundo ex parte illius, cui fit reuelatio, & ex parte reuelationis passiuę. Primò modo reuelatio non est confusa; quia secundùm intentionem reuelantis, & attenta ipsa reuelationis actiuæ natura, sub ratione cōmuni comprehēdit omnia particularia, v.g. Deus habens præsentia omnia indiuidua humana obiectiua reuelauit quod omnis homo morietur: tamen ex parte audientis, & reuelationis passiuæ, ex incapacitate illius, cui fit reuelatio, quia vnico actu, & intuitu non potest audire totū, quod loquitur à reuelante, reuelatio est cōfusa passiuè. Vnde fit, quod, vt homo credat, hunc hominē in particulari fore moriturū recurrat ad discursum; scilicet: *Omnis homo est moriturus, hic est homo: ergo hic homo est moriturus*: non quia ad credendū simpliciter sit necessarius discursus, sed quia ad demonstrandū esse euidēter credibile, quod hic homo est moriturus, attenta cōditionis humanæ natura, discursus est necessarius. Potest tamen ipsa reuelatio actiuè esse confusa, v.g. Deus reuelat, *quod statutum est hominibus semel mori*: vbi suppositio est cōfusa, quia non pro singulis generum

rum, sed pro generibus singulorum: nam Lazarus, & filius viduæ Nain bis mortui sunt. Et ex in capacitate audientis, siue ex parte reuelationis passiuæ, potest nō esse cōfusa, quia audiens potest intelligere; quod supponat illa lex vniuersaliter pro singulis omnibus hominibus, nisi alias, per immediatam, & expressam reuelationem, & testimoniū constaret de exceptione.

136 Hoc notato dico: Reuelationē formalem confusam esse sufficientem conditionem obiectiuā applicantē motivum formale ad assensum fidei diuinę supernaturalis. Probatur: quia expressè cognitum, & confusè cognitū quoad rē significatam, est omnino idem, sicut definitū, & definitio: igitur vtrumque attingitur fide, v.g. si attingitur fide, quòd *Christus est homo*, etiam attingitur fide, quòd *Christus est animal rationale*: & si attingitur fide, *quod est homo*, etiā fide attingitur; quòd *constat vero corpore, & anima*; & similiter, si est de fide, quòd *Christus est Deus, & homo, & quod, rā Deus, quàm homo, habent suā propriā voluntatem*, etiā est de fide, *quòd in Christo sunt duæ voluntates*; & similiter si est de fide, quòd *omnes in Adam peccauerunt*, supponendo pro generibus singulorū, etiam est de fide *Petrum, & Ioannem contraxisse originale*, & omnes illos, qui per reuelationē, & testimoniū immediatum nō sunt excepti, si qui sunt *præter B. Virginem*: & sic de *B. Petro quoad iustificationē eius per gratiam habitualē*, & de alijs similibus propositionibus: nā discursus, qui interuenire solet in similibus, non est simpliciter necessarius ad assensum fidei ex vi reuelationis confusæ, sed ex nostro imperfecto modo cōcipiendi, & ad ostendē dum esse euidēter credibilia talia obiecta reuelata formali reuelatione, licet confusa. Et confirmatur: quia semel facto discursu hoc, v.g. *Christus est homo, sed homo cōstat vero corpore, & anima: ergo Christus constat vero corpore, & anima*, si posteà proponatur mihi, quod *Christus constat vero corpore, & anima*; de fide diuina supernaturali assentio illi nullo tunc facto discursu, sed solū propter motivū formale sufficienter applicatū per reuelationem formalem expressam; de eo quod *Christus est verus homo*: ergo, &c.

137 Ad argumēta primæ sententiæ patet ex dictis solutio: nimirū, quod discursus qui interuenire solet in similibus propositionibus, vt illis assentiamur, solū est necessarius per accidens, & propter imperfectum modū cognoscendi nostrum, non verò ex defectu reuelationis, quæ immediatè cadit, & supra definitū, & supra definitionē: & ita tam de fide est, quòd *Christus est homo*, quā quod *Christus est animal rationale*: hic non est audiendus

Cardinalis de Lugo *disp. 1. sect. 13. §. 1. n. 258.* dicens Scotum non distinguere Theologiam à fide infusa: hoc quidem falsum est. Citat Lugo Scotum *in 3. distinct. 35* Sed apertè fallitur Lugo, quia tale nunquam docuit, nec dixit Scotus.

136 Secunda difficultas est. Vtrùm reuelatio virtualis, & mediata sit conditio sufficiens, ex parte obiecti ad assensum fidei? Vel vt alij proponunt: vtrū propositio elicita ex duabus de fide, vel ex vna de fide, & altera euidenter naturaliter nota sit de fide.

139 Huius difficultatis pars negatiua suadetur à Theologis antiquioribus (*Greg. Maior. Gabri. Okam. Capreol. Caiet. & Thomistis, ex D. Thom. 1. part. qu. 1. art. 1. & 2 quos sequuntur Molin. Suarez disput. 3. sect. 11. & n. 7. Lorca disp. 6. Ægid. disp. 9 dub. 9. Valenc. & Torres*: atque ex nostris *Pitzg. in 3. disp. 24. q. 1. art. 1. & Smising. in Proœm. quæst. 1. à n. 16* & videtur de mente *Scoti in 3. dist. 24. & in prolog. quæst. 4. & 5. Lateral.*) Primo sic Suarez. Quia reuelatio mediata, & virtualis, siue ratio assentiendi per reuelationem virtualem, & mediatam, non est merè diuina, & supernaturalis, sed ad assensum fidei, & ad obiectum eius requiritur mera ratio assentiendi diuina, & supernaturalis; ergo reuelatio virtualis non sufficit ad assensum fidei supernaturalem. Et confirmatur: quia talis assensus non potest esse certior, quam assensus præmissę naturalis: quoniam conclusio sequitur partem debiliorem, sicut effectus à causa, sed assensus fidei diuinæ est certior, quocumque assensu circa præmissam naturalem: ergo assensus propositionis virtualiter reuelatæ, non potest esse assensus fidei: & consequenter reuelatio virtualis non sufficit ad assensum fidei.

139 Tamen ista ratio Suarij infringi potest. Quia in sententia probabili, voluntas credendi, siue pia affectio non est supernaturalis, & tamē est necessaria ad assensum fidei: ergo quod reuelatio mediata, & virtualis non sit supernaturalis, nō tollit, quòd assensus propositionis illatæ sit supernaturalis. Præterea, visio Beatifica, etiā si eliciatur à propia intellectus virtute, quæ naturalis est est supernaturalis; quia aliud comprincipium, scilicet lumen, est supernaturale: ergo etiam assensus propositionis elicitæ ex vna naturaliter nota, & ex altera de fide, erit supernaturalis. Et si respondeat *Suarez*, quod intellectus non elicit, nisi vt eleuatus principio supernaturali. Contra: quia in præsenti etiam præmissa lumine naturali nota nō concurrit ad assensum fidei circa conclusionem elicitam, nisi vt eleuata,

vel

vel coniuncta cum altera de fide supernaturali; vt vtrobique est eadē ratio. Quod autem in confirmatione dicit Suarez, quod assensus propositionis illatæ nō est ita certus, sicut assensus præmissæ, videtur mihi voluntariè dictum. Ferè eodem modo infringitur *Lorca*, & Eminentissimus Cardinal. de Lugo *disput. 1. sect. 13. §. 1. num. 262.* qui *disp. 2. sect. 3. à num. 111.* suimet oblitus oppositum videtur tenere.

140 Secundo suadetur pars ista negatiua: quia assensus illius conclusionis est assensus scientificus, & euidens: at assensus fidei non est sic: ergo reuelatio virtualis non sufficit ad assensum fidei. Sed neque ista ratio conuincit: quia vna ex propositionibus, ex quibus infertur cōclusio, est de fide, & consequenter obscura, licet certissima: & sic conclusio non est euidens, sed adhuc manet obscura, licet certissima: solum enim est euidens ex suppositione, non intuitiuè, sed abstractiuè.

141 Tertio suadetur negatiua pars. Quia reuelatio supponit scientiam rei reuelatæ in reuelante: sed reuelatio virtualis non supponit scientiam rei reuelatæ virtualiter: ergo reuelatio virtualis nō sufficit ad assensum fidei: minor probatur: quia rusticus reuelans docto, quod in sua domo est vnus homo: doctus assentiretur, quòd talis homo esset risibilis, ad quod non assentiretur reuelans, quia ignorat hominem esse risibilem, eo quod homo est: ergo reuelatio virtualis non est sufficiens ad assensum fidei. Sed neque ista ratio alicuius est momenti: quia licet in rustico reuelante id accidat, non verò in Deo, de cuius reuelatione in præsenti agimus.

142 Quarto tandem potest suaderi pars hæc negatiua. Quia si quis assentiretur, quòd *Christus sit homo*, & negaret, quòd *Christus est risibilis*, non foret hæreticus, neque errans in fide: ergo eo est, quia assensus propositionis illatæ, & virtualiter reuelatæ, non est assensus fidei, sed assensus Theologicus, metaphysicus, & scientificus ergo reuelatio virtualis ad assensum fidei non sufficit. Sed neque huic rationi acquiescunt graues Authores, qui oppositam opinionem tuentur, quamuis pauciſsimi sint: negant enim antecedens argumēti.

143 Quare affirmatiua pars suadetur (à nostro *Vega lib. 9 in Tridentia. cap. 39. Cordub. lib. 10. cap. 17. Can. 6. de loc. cap. vlt. & lib. 12. c. 7. Turrecrem. lib. 4. sum. part. 2. cap. 9. Cather opusc. de certit. grat. assert 6. Soto. & ex parte*, incidunt in hanc partem Authores pro opposita parte relati, præcipuè *Lorca* in suo *num. 12.* & *Suarez in suo num. 11.*) primò sic à Vega; assensus circa istas

propositiones, scilicet quod *Deus est infinitus, incorporeus, quod Pater est distinctus realiter à Filio, quod Christus habet duas voluntates, quod sub singulis speciebus consecratis, Christus sit cum corpore, & anima*, est assensus fidei, sed tamē istę propositiones, & similes aliç multæ, non sunt in se reuelatæ immediatè, sed solum virtualiter, propter illationem earum ex formaliter, & immediatè reuelatis: ergo reuelatio virtualis sufficit ad assensum fidei.

144 Ad hoc argumentum respondent *Lorca num.* 14. & *Suarez num.* 12. Quòd assensus illarum propositionū est assensus fidei, non propter illationem earum ex immediatè reuelatis, siue non propter reuelationem mediatam, aut virtualem, sed quia immediatè sunt reuelatæ, eo quod immediatè continentur in Sacra Scriptura, vel in diuinis traditionibus, eisdem, vel æquiualentibus terminis, quod eruditè demonstrat Lorca de multis propositionibus, sed non de omnibus: nam quod *Deus sit infinitus*: quod *Pater realiter à Filio distinguatur*: & *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio*, non satis est expressè reuelatum: & similiter, quod *Alexander Septimus sit verus Papa* est de fide; & tamē non est immediatè reuelatum, sed mediatè, & virtualiter: ergo reuelatio virtualis sufficit ad assensum fidei.

145 Secundo suadetur: nam præfactæ conclusiones innituntur veracitati diuinę, eiusque testimonio: ergo participant rationem formalē fidei: ergo sunt certæ de fide, & consequenter reuelatio virtualis sufficit ad assensum Fidei. Respondet Lorca: quòd solum innituntur diuino testimonio mediatè, & virtualiter, nō verò ipsi testimonio in se formaliter actu, & immediatè. Sed ista solutio non placet: nam respondet cum ipsamet difficultate, de qua in præsenti est controuersia.

146 Tertio suaderur à Cano. Nam erroribus contra istas conclusiones labefactatur fides ipsa, & qui non daret illis assensum pertinaciter foret hæreticus: ergo sunt de fide; & consequenter reuelatio mediata sufficit ad assensum fidei diuinæ. Patet totū antecedens. Quia in bona consequentia, ex cōtradictorio consequentis cōuincitur antecedentis falsitas, v. g. si aliquis negaret, quod *Christus est risibilis*: contradictorium eius, scilicet *Christus non est risibilis*, erit ipsi verū; sed ex isto contradictorio sequitur quod *Christus non sit homo*, & ad illud fatendum cōuincitur negans, *Christum esse risibilē*, quod est labefactere fidem, & hæresis: ergo dicendum est, quod ad veritatē reuelationis spectat, vt eadem certitudine teneantur illa; quæ necessariò sunt connexa cū illis,

illis, quæ formaliter testificãtur, ac tenentur ipsa formaliter, immediatè, siue expresè reuelata, & testificata. Respondet *Lorca*, quòd solum sequitur periculum ruinæ contra fidem, & ideò solũ in directè, & quodammodo fidei opponitur; tamen non ideò esset hæreticus, qui proteruè negaret eas, sed solum esset suspectus de hæresi inquiunt *Suarez*, & *Lorca num.* 12.

147 Quarto tandem suaderi potest affirmatiua hæc pars. Quia resurrectio mortuorũ proponitur à *Paulo* 1. *Corinth.* 15. nobis vt credẽda per reuelationem virtualem: ergo sufficit ad assensum fidei. Respondetur; quòd resurrectio est reuelata immediatè per illationem, & probationem expressam contentã in ipsa Scriptura, & quæstio est de reuelatione mediata, & virtuali, quæ sola industria humana, & ingenio deducitur.

148 Propter istas difficultates vtrinque positas *Vazquez* 1 *part. disput.* 5. *cap.* 3. vtramque volens conciliare sententiam, quasi media via procedit, dicendo, quòd si reuelatio virtualis, nempè discursus, sumatur tanquam ratio formalis motiua, propter quam credimus, conclusioni illatæ ex præmissis, prima sententia est vera, & rationes secundæ nihil obsistunt. Atverò si sumatur, vt conditio præsupposita, videlicet, quia per talem discursum nobis daret explicitè, quod erat implicitè, & virtualiter reuelatum, secunda sententia est vera, & rationes eius illam persuadent; atque oppositæ primæ sententiæ rationes, nihil contra eam faciunt.

149 Istum modum sequuti sunt alij Recentiores, inter quos Pater *Castillo disput.* 2. *q.* 3. *part.* 1. *à num.* 11. Primum probant ferè eisdem argumentis, quibus prima sententia; & in ea sic intellecta conuenio: quia discursus est motivum solum humanum, & fides non nititur, nisi in motiuo formali diuino: assẽsus enim ortus ex tali motiuo præcisè solum est assensus scientificus, non verò fidei diuinæ: nam assensus iste, de quo in præsenti, innititur præcisè veritati intrinsecæ propter intrinsecam connexionem, vel identitatem, medij dispositi in præmissis cum tertio, quod infertur in cõclusione: atverò assensus fidei nititur veritati extrinsecæ dicentis.

150 Dices: conclusio Theologica oritur à præmissa de fide, sed præmissa de fide oritur à veritate extrinseca reuelantis: ergo etiam conclusio Theologica nititur extrinsecæ veritati dicẽtis. Respondetur, distinguendo antecedens, oritur à præmissa de Fide formaliter, vt de fide est, nego: oritur à præmissa de fide specificatiuè, & quasi materialiter, concedo: & similiter

concedo minorem, & distinguo cōsequens: virtualiter, mediatè, specificatiuè, & quasi materialiter concedo: formaliter, & immediatè, nego consequentiam. Si enim cōclusionis veritas oriretur à præmissis de fide, vt formaliter de fide sunt, conclusio esset, non solum virtualiter, & mediatè, sed etiam formaliter, & immediate reuelata. Vnde constat discrimen inter scientiam Theologiæ, & habitum fidei.

151 Secundam autem partem istius modi dicendi probat *Castillo, ex Scoto dist. 34 §. his suppositis, vers. Per alia duo dona*, cum *Smising. in Proœmio*. Quia dicit *Scot.* quod intellectus, & scientia non sunt duo habitus, licet duo dona Spiritus Sancti, sed vnus habitus infusus fidei, qui, vt imperfectus, inclinat ad assensum primorum articulorū, & vt perfectus inclinat ad assensum conclusionum, quæ inferuntur ex illis articulis primis: non taliter, vt credat conclusionem per eundem actum, per quē deducitur conclusio, sed per aliū distinctum, quia ille primus non est actus credendi. Sed bona venia fallitur Castillo, quia tale ex Scoto colligi non potest: imò si hæc esset mens Scoti, plus ex eo colligeretur, scilicet, quod reuelatio virtualis foret perfectior, vel ita perfecta conditio ad assensum fidei, ac est reuelatio formalis. Patet sequela; quia *Scot.* dicit, quod donum scientiæ est fides perfecta: ergo si *Scotus* exponendus est, vt exponit *Castillo*, perfectior actus fidei erit iste, *Christus est visibilis*, quam iste, *Christus est homo*.

152 Secundo probat *Castillo*; quia semel cognita conclusione, ex vi veritatis præmissarum, potest diuerso actu credi conclusio propter veracitatem reuelantis præmissam, aut præmissas. Sed extra chorum difficultatis saltat noster *Castillo*. Quia iste assensus iam non nititur reuelationi virtuali, sed formali, & immediatæ: & difficultas est: Vtrùm reuelatio virtualis sufficiat ad assensum fidei?

153 Tertio probat Castillo: ex illo discursu Pauli, quo probat ipse resurrectionem mortuorum 1. *ad Corinth.* 15. Verum nec ista ratio suæ sententiæ fauet: quia Pauli discursus non est virtualis reuelatio, sed formalis, & immediata; & difficultas est de obiecto solum virtualiter reuelato.

154 Tandem probat noster Castillo. Si reuelatio virtualis non sufficeret ad obiectum fidei, eo esset, quia sequeretur, quod fides esset discursiua, sed non sequitur: ergo sufficit. Probat minorem: quia in tali casu non creditur conclusio propter præmissas, sed semel facto

cto discursu, per alium actum assentitur conclusioni, quasi propter nouam reuelationem, quæ explicatur per discursum. Sed ista ratio etiam est insufficiens; primo. Quia ista noua reuelatio, vel est ipsemet discursus, vel est formalis, & immediata reuelatio ipsius conclusionis, vel præmissa ex qua deducitur conclusio? si primum: ergo iam creditur conclusio propter præmissas, & non in se, & sic talis assensus non est assensus fidei: si secundum: ergo reuelatio formalis est necessaria ad assensum fidei, & non sufficit mediata, & virtualis: si tertium; talis assensus est assensus cōclusionis propter præmissam, non verò assensus conclusionis immediatè, & in se: ergo non est assensus fidei.

155 Secundo insufficiēs est ratio nostri Castilli. Quia ista noua reuelatio est reuelatio habita per discursum spectans ad tertiā operationem intellectus, sed reuelatio requisita ad fidem, ex ipsomet *Castillo disp. 2. q. 1.* solum spectat ad primam operationē intellectus: ergo illa sua reuelatio non sufficit. Respondet Castillo: quod minor est vera de reuelatione expressa, & formali, non verò de virtuali. Sed contra: Quia Paul. per discursum reuelauit Resurrectionem; & tamen talis reuelatio est expressa immediata, & formalis: ergo doctrina nostri Castilli non habet consistentiam. Quare secundo respondet; quod postquam conclusio deducta est ex præmissis, necesse est, apprehendere illam, tanquam reuelatam (quia in cōclusione non cognoscitur, vt reuelata, sed solū, vt necessariò cōnexa cum veritate intrinseca præmissarum) vt possit terminare fidem; & sic semper est verum, quod reuelatio passiua sit primæ operationis.

156 Sed (quod pace doctissimi huius Magistri mei dixerim) videtur mihi, quod in re non obscura alucinatus est. Quod sic ostendo clariùs imè. Propositio in conclusione non cognoscitur, vt reuelata (per te) sed neque ante conclusionem cognoscebatur vt reuelata (quia non in se, vt manifestum est, & supponi debet, neque in alio cognoscitur, vt reuelata, ante conclusionem) ergo si in conclusione non cognoscitur, per te vt reuelata, postquā cōclusio deducta est, impossibile est apprehēdere illā, vt reuelatā; quia nullū est mediū in quo, vt reuelata apprehēdatur: igitur sicut in cōclusione non manet obiectum fidei, neque terminus assensus fidei; ita neque transacto discursu, aut præsuppositō, sicut postquam conclusio deducta est ex præmissis, quia non potest intelligi, vt sufficienter reuelata.

157 Hucusque præsentem difficultatem proposuimus, & cir-

circa eam oppositas opiniones, æqualiter decertare videritis: ita vt difficilè mihi sit determinare, cui adscribatur victoria: ne tamen problematicus exiitam, quid à nobis tenendum sit, breuiter sequentibus conclusionibus explicabo.

158 Sit prima conclusio. Reuelatio virtualis est sufficiens conditio ad constituendum obiectum definibile proximè de fide. Hæc conclusio est contra *Molinam: qui 1. part. q. 1. art. 2. disp. 1. & 2.* ita adhæret primæ sententiæ, vt asserat conclusiones elicitas, ex vna de fide, & altera euidenti, vel ex duabus de fide, non esse de fide etiam si ab Ecclesia definiantur, sed semper manere sub certitudine Theologica. Verum existimo, nostrā conclusionem tenere expressè nostrum *Cordub. lib. 1. q. 17.* vbi tenet, plurima esse definita ab Ecclesia, quæ non sunt immediatè reuelata ante definitionē, sed deducebantur ex immediatè reuelatis: in quo genere, ait Cordub. sunt fere omnes definitiones: ergo secundum Cordubam mediata reuelatio constituit obiectum reuelatum sic proximè definibile de fide. Illud autem quod respondet *Lorca* in suo *n.* 14. euacuatum manet supra à nobis *n.* 144. quia ante Ecclesiæ definitionem non erat expressè, & immediatè reuelata talis distinctio Patris à Filio realis; nec infinitas Dei; & alia, sed tantum erant virtualiter reuelata in expressa reuelatione processionis Filij à Patre. Tenet etiam, meo videri, hanc sententiam *Suarez* in suo *n.* 11. tenens contra Molinam conclusionem Theologicam prius solum contentam in reuelatis, esse per Ecclesiæ definitionem immediatè de fide: igitur secundum Suarez, ante definitionem Ecclesiæ, illa conclusio erat obiectum proximè definibile de fide: & appellat suā doctrinam communem sententiam Theologorum cōtra Molinam. Tenet *Lugo disp. 1 sect. 13. §. 2. num. 279.* licet plus addat: quod obiectum conclusionis nō solum sit specificatiue de fide, sed quod possit credi assensu fidei.

159 Sed obijcit Molina. Ecclesia non potest facere, vt aliquid sit de fide, quod antea de fide non erat, sed ante definitionem Ecclesiæ conclusiones illatæ no erat de fide: ergo neq; post definitionem Ecclesiæ: igitur neque reuelatio virtualis facit conclusionē obiectum proximè definibile de fide ab Ecclesia. Et confirmatur: quia Ecclesia non habet nouas reuelationes, vt noua dogmata fidei constituant. Ecclesiæ enim definitio, ait Molina, solum confert nobis, quod nobis certo constet, illud esse certum de fide: sicut enim materia fidei non potest minui, ita

ita neque successu tēporis crescere, quod ex nostra conclusio de sequitur manifestè, posse augeri: ergo reuelatio virtualis nō constituit obiectum sic reuelatū proximè definibile ab Ecclesia, vt ex inde efficiatur obiectum proxime fidei.

160 Sed contra Molinam instargo ex dictis in hac *disput. 1. cap. 2. dub. 4.* Primo: quoniam Ecclesiæ authoritas (nō formaliter vt Ecclesiæ authoritas est, sed quasi materialiter) est ipsamet formalissimè authoritas diuina, atque quod Ecclesia definit ipse Deus per Ecclesiam testificatur, sed Ecclesia definit talem veritatem (virtualiter reuelatam) in se: ergo Deus illam formaliter, & in se testificatur: ergo manet obiectum fidei constitutum expressè. Nam reuelatio Dei, & eius testimonium idem est, & æque certum, siuè per se ipsum, siuè per eius organum, scilicet Ecclesiam, vel per alium ministrum præbeat. Maior, in qua est difficultas, patet euidenter contra Molinam; nam Ecclesia regitur in definitionibus Spiritu Sancto. Vnde Concilia communiter præmittunt, se esse in Spiritu Sancto legitimè congregata: & propterea quatuor primi concilia generalia habētur vt quatuor Euangelia; quia eadem authoritate gaudent in definitionibus de fide, sicut Euāgelia. Et confirmatur: quia cū definit Ecclesia, non est minoris authoritatis, quā Scriptura in illis; quæ ipsa cotinet, sed omnia quæ sunt in Scriptura, sunt propriè, & immediatè de fide: ergo etiā omnia, quæ definiuntur ab Ecclesia: vt quid enim dixit *Augustin contra Epistolam fundamenti, cap. 1. Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ authoritas me moueret.*

161 Quapropter facilè soluuntur argumenta Molinæ. Distinguo enim maiorem: quod ante non erat de fide formaliter, vel virtualiter permitto: quod antea non erat de fide formaliter, nego maiorem: & distinguo minorem: non erant de fide immediatè, & formaliter, concedo; mediatè, habitualiter, & virtualiter, nego: & nego consequentiam primam, & secundā. Ad confirmationem: respondeo ex dictis *cap. 1. dub. 4.* quod, quantum ad fidem explicitam, Ecclesia bene potest, quasi noua dogmata efficere pro temporū necessitate, & contingentia: & vt sic, licet obiectum materiale fidei minui, non possit, benè tamen potest crescere.

162 Sit secunda conclusio. Reuelatio virtualis cōstituit obiectum sic reuelatum, obiectum materiale fidei credibile, sed absque eo quod inducat necessitatem, & obligationem ad assensum fidei; taliter, quod oppositus actus, scilicet dissensus, vt error directus, & hæredis for-

formalis contra fidem, sed ad summum erit error periculosus in fide, & errori, aut hæresi proximus, & suspitionis notam habens. Hanc conclusionem videtur tueri *Suarez* in suo *num.* 12. in fine; & *Lorca* etiam in suo *n.* 12. cum *Corduba*, & *Greg. de Valencia*, atque *Lug. disp.* 1. *sect.* 13. *§.* 2. *num.* 279. & sequitur ex prima conclusione, & probatur. Nam eo ipso, quod aliquod est proximè de fide definibile, est reuelatum à Deo, sufficienti reuelatione ex parte Dei, vt illud à numeretur inter obiecta materialia fidei: tamen non est sufficienti reuelatione passiua reuelatum, & promulgatum, seu intimatum: & sic nō inducit obligationem ad assensum, ita, quod dissensus directè sit contra fidē, erit verò periculosus in fide, & hæresi proximus, & suspectus de hæresi: quia negans similes conclusiones suspicatur negare præmissas, quæ in euidentiores sunt ipsâ conclusione.

163 Tertia difficultas est. Vtrum reuelatio existimata diuina, sed non vera possit, esse sufficiens ad assensum fidei infusæ? Pars negatiua est certissima, communissima, & verissima doctrina Catholicorum. Et ratio est clara. Quia secundum fidem, & *Tridentinum sess 6. cap.* 9. fidei non potest falsum subesse: eo quod semper, fundatur in authoritate diuina, quæ nec potest falli, nec fallere, & reuelatio existimata diuina, sed non vera non fundatur in Dei authoritate, & sic non potest, esse conditio sufficiens ad assensum fidei infusæ: periret certè tota fidei nostræ certitudo, nam ex tunc posset quis cum fundamēto dubitare; an eius fides fundaretur in reuelatione apparenti, aut in vera.

164 Sed obijcies: reuelatio diuina in se ipsa non videtur, sed communiter proponitur nobis per homines: sed potest contingere, vt nobis proponatur, vt reuelatum à Deo, quod reuelatum non sit reuera: ergo illa reuelatio videtur sufficere: maior est certa; minor probatur, nam potest simplex, & rusticus fidelis doceri à suis pastoribus de re aliqua, vt reuelata à Deo, quæ re vera talis non est: consequentia autem iam patet: quia in alijs virtutibus elicitur actus virtutis per rationem obiecti existimatam: ergo etiam similiter in fide: qui enim existimat hanc hostiam esse consecratam, verum Religionis actum elicit, illam adorando, cum re vera non est cōsecrata: & si quis diligit proximum propter sanctitatem in illo existimatam prudenter, verum charitatis actum elicit, etiam si proximus hypocrita sit; & similiter si quis inuincibiliter Deum oculis corporeis videri verum actum spei eliceret, qui illam

illam visionem speraret: ergo similiter in nostro casu de assensu fidei.

165 Variè respondent Doctores ad rationem istam dubitandi contra nostram resolutionem. Primo dicunt aliqui, inter quos *Altisiodorensis*; quod est impossibile, vt contingat, credere, vt reuelatum, quod reuera à Deo reuelatum non est, sine peccato mortali; nam si homo, quantumbis simplicissimus sit, faciat, quod est in se, illuminabitur à Deo; sed hæc solutio est contra experientiam, & contra conditionem humanam, & sic reijcitur a Theologis.

166 Quare *Maior* respondet; admittit ergo casum, & ait, quod assensus est eiusdem substantiæ cum vero actu fidei infusæ: tamē non est actus fidei: quia de intrinseca ratione fidei est veritas, & talis actus non est verus. Sed ista solutio, licet veris neget, fidei falsum sub esse, in re tamen fidei talsum sub esse fatetur; quia in substantia est idem actus: ergo respicit idem obiectū formale, & eumdem habitum: ergo habitus fidei producit actū in sua substantia falsum, quod est implicatorium.

167 Vnde alij aliter respōdent, & distingūt tres actus; primus est, iudicium practicum ante voluntarem credendi: secundus est voluntas credendi: tertius est ipsemet assensus obiecti reuelati: & de primo, & secundo actu admittunt esse eiusdem rationis cum illis, qui prærequiruntur ad assensum veræ fidei: & vt sic admittunt instantias de actibus virtutum, ellicitis cum ignorantia invincibili: de tertio verò actu negat, esse fidei infusæ: quia deficit ei verum obiectum, seu vera conditio obiectiua, scilicet specialis motio interna Spiritus Sancti: quia ad id, quod in se falsum est, non potest Spiritus Sanctus, specialiter mouere: alias testificaretur falsum.

168 Hæc solutio est probabilis, quambis displiceat Suario: qui sic respondet; scilicet illam reuelationem non sufficere ad assensum fidei, quo vsque certo, & indubitanter, constet, esse cōforme doctrinæ Ecclesiæ, in qua non potest esse falsitas. Sed contra: quia potest homo rusticus doceri à suo Parocho, quod illud obiectum est reuelatum, & conforme doctrinæ Ecclesiæ: ergo solutio Suarij non est sufficiens.

169 Quare dicendum est, quod in tali casu assensus obiecti sic reuelati, & assensus fidei non diuinæ infusæ, sed humanæ, vel ad summum erit assensus fidei diuinæ acquisitæ: quia in re talis assensus, non oritur ex vero obiecto formali, neque ex conditione vera requisita ex parte obiecti; neque ex habitu supernaturali, & sic talis assensus est assensus fidei, quasi, vt moralis vir-

virtus est, non vero vt supernaturalis, & infusa est: & sic sit satis ad instantias supra positas.

170 Quarta difficultas est: vtrum reuelatio diuina, vt credita fide acquisita, sit sufficiens ad assensum fidei. In hac difficultate est vna opinio dicens, quod vt res reuelatæ possint credi fide diuina, est necessarium, vt prius fide humana credatur reuelatio: ex quo necessariò sequitur, quod ad assensum fidei fiat conditio necessaria reuelatio diuina, vt credita fide acquisita. Tribuitur hæc opinio *Scot. in 3. distinct. 23. & Gabrieli, quæst. 2. artic. 1.* sequitur *Medina de recta in Deum fide lib. 5. cap. 11.* & in eamdem sententiam incidere videntur *Cano lib. 2. de locis, cap. 7. Durand. distinct. 24. quæst. 1. num. 8.* Fundamentum esse videtur: quia vt credamus, esse vera, quæ dicuntur à Deo, necesse est, credere dicta, & testificata esse à Deo, sed quod sint dicta à Deo non possunt credi fide infusa: ergo acquisita: alias sequeretur processus in infinitum.

171 Et confirmatur: quia si puer, cum peruenit ad vsum rationis iam baptizatus, non habet veritates fidei sibi propositas per aliquam humanam authoritatem, non poterit illas credere fide infusa, etiam si habeat habitum infusum fidei: ergo signum est, quod habitus fidei prærequirit fidem acquisitam, vt exeat in actus. Neque aliud voluit *Paul. ad Roman. 10.* cum dixit. *Fides ex auditu.* Quod non potest intelligi, nisi de fide humana, quæ acquiritur per prædicationem sine charitate, non vero de fide infusa, quæ solum infunditur à Deo, & cum charitate.

172 Oppositam sententiam tenent *Capreolus, Canus, Valencia, Marsilius*, & alij, quos sequitur *Suarez section. 12. num. 7.* dicens: reuelationem diuinam, vt creditam fide diuina tantum esse obiectum fidei diuinæ, non vero, vt credita est fide humana. Fundamentum est, quia æquali certitudine debent credi res reuelatæ, & ipsa diuina reuelatio, sed illæ creduntur fide infusa: ergo reuelatio diuina, non credita fide humana, sed vt credita fide diuina constituit obiectum fidei, seu conditionem necessariam ad assensum fidei.

173 Et confirmatur contra primam opinionem: quia certitudo fidei infusæ est supernaturalis, certitudo vero fidei acquisitę est naturalis: ergo impossibile est, vt illa pendeat ab ista, sicut infallibile à fallibili: alias tam imperfecta esset fides Catholici, ac Hæretici: quia sicut fides hæretici fundatur in authoritate humana, & acquisita, ita fides Catholici.

174 Tertia vero opinio qua-

quasi media videtur, dicens, quod reuelatio diuina constituit obiectum fidei, nec vt credita fide diuina, nec vt credita fide humana, sed solum vt apprehensa. Nititur eo fundamẽto. Primo: quia ista via occluduntur difficultates emergentes in prima, & secunda sententia. Secundo: quia fides infusa non præbet assensum reuelationi, & rebus reuelatis per modum discursus: sed simpliciter tendendo in rem reuelatam, eo ipso, quod sufficienter proponitur, vt reuelata: ergo ante assensum non requiritur iuditium, quo intellectus iudicet rem esse à Deo reuelatam, neque per fidem infusam, neque per fidem acquisitam; etiam si alias reuelatio sit credibilis eadem fide infusa, qua res reuelatæ creduntur.

175 Cæterum inter has opiniones dico primo. Ad assensum fidei infusæ non requiritur, quod reuelatio obiecti crediti credatur fide diuina actu, & formaliter, neque fide humana. Ita debent fateri omnes, tam secundæ, quàm tertiæ opinionis: neque negant Doctores primæ sententiæ, sed facilè colligitur ex *Scot. distinct. 23. §. 2. de fide infusa*, & manifestè probatur: quando quis assentitur alicui obiecto euidenter à Deo immediatè reuelato, vbi ille assensus sit, absque eo quod reuelatio sit credita actu, & formaliter fide infusa, vel acquisita, vt ait *Scot. quodlib. 14. §. De primo, V. Sed fides acquisita*: ergo, &c.

176 Dico secundo: de lege ordinaria, in communiter incipientibus credere, semper prærequiritur fides acquisita de reuelatione diuina, & de diuino testimonio: hoc est quod tantum volunt Authores primæ sententiæ præcipue noster *Scot. citatus, num. 170. in §. Suo, De primo certum est*, & probatur ex illo *Paul. ad Roman. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Deinde probatur argumentis pro prima opinione factis, id solum intendentibus.

177 Notanter dixi in incipientibus credere; nam in fidelibus iam adultis non est necesse ad assensum fidei credere obiectum assensus esse reuelatum, sed satis est, apprehendere obiectum, & illud credere: & hoc modo prima, & tertia sententia sunt conformes, & veræ: at verò secunda sententia laborat, meo videri, in æquiuoco, existimans primam sententiam velle reuelationem diuinam, vt creditam fide acquisita, esse motiuum formale fidei; quod falsum est, maximè quantum ad nostrum Scotum attinet.

178 Quare ad fundamenta secundæ opinionis respondeo: op-

optimè probare, reuelationem diuinam, vt creditam fide humana non esse necessariam ad obiectum formale, & motivum fidei, imo neque conditionem necessariò requisitam ad assensum fidei: nō verò probare quod in incipientibus credere, de potentia ordinaria, non requiratur reuelatio diuina, vt credita fide humana, non vt motivum formale credendi, sed vt conditio ad assensum fidei infusæ.

Sectio 4. *Vtrùm diuina reuelatio possit esse fallibilis, falsa, & incerta? & consequenter, si possit fidei diuinæ subesse falsum?*

179 AFfirmatiuam partem sectātur hæretici Priscilianistæ: qui, vt refert *Aug. lib. contra mendat, & hæres. 70.* affirmarunt, Deum aliquando fuisse mentitum, & Authorem mendacij, sequuntur *Armenij* apud *Castro, verbo Deus, hæres. 13.* Pro qua parte etiam referuntur aliqui Catholici, loquendo de potentia absoluta, & sunt *Nominales. Holcot, Adamus, Ariminus, & Aliacus.* Quorum fundamendamēta infra videbimus, atque ex parte videntur consentire Scholastici asserentes, Deū se solo posse infundere habitum, & actū erroris, & similiter defensantes Deum posse vti amphibologia in suis locutionibus.

180 Pro solutione nota primo: Quod mendatium, seu mētiri, est affirmare falsum ex intentione, & cognoscendo falsum esse, quod loquitur: & hoc est contra mentem ire. Difficultas est; vtrum necessariò requiratur ad mendatium intentio fallendi? Nam multi cum *Lorca disp. 7. num. 2.* negant; ex quo *Vrbina in manuscriptis*, alij verò affirmant cum *Diuo B. B. dist. 38. q. 1. art. 1* & sequuntur Recentiores, & Magistri mei doctissimi *Felix cap. 4. diff. 1 & Castill. disp. 3. q. 1.* pro vtraque parte refertur *Scot. dist. 38. in 3. q. vnic. §. Aliter dicitur.* Et secunda sententia habet validissimam *Aug.* authoritatem apud *Gelasium in cap. beatus*; vbi ex ipso sic definitur mēdacium: *Est falsa vocis significatio cum animo fallendi.* Sed non minorem authoritatem ex eodem *Aug.* possunt afferre Authores primæ opinionis: nam in *secundo soliloq.* ait: *Mendaces in hoc à fallacibus differūt, quod omnis fallax appetit fallere sed nō omnis vult fallere, qui mentitur.* Videtur mihi posse componi, dicendo esse necessariam intentionem fallēdi, aut decipiendi virtualem, cōtentam in ipsa affirmatione falsi ex animo, seu cognoscendo loquutionem esse falsam, non vero intentionem formalem, & actualem decipiendi: & ita possunt explicari Augustin. & Scot.

Sed

181 Sed est maximè aduertendum, quod in Deo idem est, loqui falsum, & mẽtiri: eo quod nihil ignorat: & sic non potest loqui affirmatiuè falsum, quin menciatur. At verò in hominibus, cum sint scientiæ limitatæ, potest reperiri loquutio falsa sine mendacio, & mendaciũ sine falsitate materiali, licet cum formali. Exemplum primi: siquis invincibiliter ignorans aduentum Christi dicat, quod Christus non venit, falsum dicit, & tamen non mentitur. Exemplum secundi est: siquis invincibiliter ignorans aduentum Christi existimat non venisse, affirmaret *Christus venit*, mentitur, & verum dicit materialiter, licet formaliter proferat falsum.

182 Item aduertendum est, quod dupliciter potest intelligi hoc, quod est, dicere falsum, & mendacium: vno modo recitatiuè: alio vero modo affirmatiuè: Primo modo sumptum non est propriè mentiri, sed solum concurrere ad entitatem physicam mendacij: Secundo verò modo est mentiri strictè. Tandem est aduertendum, quod aliud est præceptum non menciendi; aliud verò est præceptum dicẽdi veritatem, vel est vnum, & idem præceptum includens duas formalitates, & prohibitiui, & præceptiui, seu imperatiui, vel positiui, & negatiui: vt prohibitivum est, seu negativũ, obligat semper, & pro semper: vt vero præceptivum, & positivum est, obligat, sed non pro semper.

183 Secundo supponẽdum est, ex *Aug. in Enchiriaio, cap. 17.* Quod error, est vera pro falsis, aut falsa pro veris probare: idem habet *cap. 4. contra Academicos.* Vnde error erit approbatio assensus falsæ propositionis; & habitus inclinans ad talem assensum erit habitus erroneus. Sed existimo quod Aug. loquitur hic sumpto errore pro mendacio, si approbatio erroris fiat ex animo. Tamen error inueniri potest in quacumque materia, siue fidei, siue Theologiæ, siue naturali, vel humana, vt circa artes liberales, & mechanicas.

184 Cæterum error dupliciter potest considerari; vnus est simpliciter deceptivus, qui ita inducit fallaciam in audiendi, quod ex nullo principio creato possit de opposito certificari; qualiter foret assensus huius propositionis: *Personæ diuinæ non sunt realiter distinctæ*; quia sunt eadem vni tertio; & similiter habitus inclinans ad talem assensum. Alius autem est secundum quid deceptivus; quia ex altero principio poterit facilè certificari intellectus de oppositio; sicut vaculus in aqua, qui apparet fractus inducit ad errorem, secundum

quid, quia intellectus habet vnde facilè certificetur de oppositio. Item in errore sunt duo, & entitas physica positiua, & entitas priuatiua, siue deformitas, & carentia conformitatis ad obiectum; & ista carentia potest dupliciter considerari: primo physicè; secundo moraliter; & vt est carentia rectitudinis debitę volũtaria; & vt sic error pro prissimè dicitur mendacium, non verò primo modo secundum entitatem positiuam, & priuatiuam quam physicè includit in se.

185 Tandem tertio suppono quod amphybologia est loqui insensu alieno amente audientis, siue vtendo verbis ambiguis, quæ habent multos sensus: v.g. siquis dicat *Petrus est bonus homo*, siue habentia determinatum sensum, sed mentaliter restrigitur à loquente, v.g. Ioannes interrogatus à Iudæis, *Elias es tu?* respondit. *Non sum Elias*, cum tamen Christus dicat esse Eliam.

186 His præmissis, sit prima conclusio. Non solum de facto, sed simpliciter, & absolutè repugnat, Deum mentiri, nõ solũ immediate, & per se, sed adhuc per alios. Hæc est Catholicorum sententia: & quoad primam partem est de fide: quoad reliquas partes non est ita apud alios, sed cum *Suario disp. 3. sect. 5.* totam assertionem iudico certam de fide. Probaturque primo ex sacra Scriptura: nam num. 23. dicitur: *Non est Deus sicut homo, vt menciatur. Et Ioannes 2. Omne mendacium ex veritate*, idest ex Deo, *non est*; *& ad titulum 3. Quia non mentitur Deus, & Matth. 24. Cœlum, & Terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Conueniunt firmissimè omnes Ecclesiæ Patres, quorum aliqui ex his locis, non solum affirmant repugnãtiam de facto, sed etiam de posibili. Sed magis clarè istam impossibilitatem exprimunt sequentia: dicitur enim ad *Hebræos 6. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est, Deum mentiri firmissimum solatium habeamus.* Loquitur enim ibi Apostolus de iuramento, & promissione diuina manifestatis per reuelationem. Super quæ verba *Ambros. lib. 6. epistol. 37.* interrogans: *impossibile istud nunquid infirmitatis est?* Respõdet: *Impossibile istud non infirmitatis, sed virtutis, & maiestatis est; quia Dei virtus non recipit leuitatis errorem, nec veritas mendacium. Et Athanas. lib. de Incarnatione Verbi*, ait: *Absurdum est Deum mentiri, non enim Deus fuisset.* Idem dicit *August. lib. 1. de Symb. ad Catechum. cap. 1. Deus omnipotens est, & sic mori non potest, falli non potest, mentiri non potest; & ideo omnipotens est, quia ista non potest.*

Le-

Legatur *libr. 22. de ciuitate cap. 25.* Alij sunt Patres, videantur in Recentioribus, qui omnes Sancti Patres in eo conspirant, vt eamdem repugnantiam dicant esse, in eo vt Deus possit mentiri, ac in eo vt possit ipse, desinere esse, sed istud simpliciter repugnat: ergo, & illud.

187 Probatur ratione: primo, quia, vt inquit *August.* ex opposito, nostræ fidei firmitas, & veritas rueret; nam eo ipso licitum foret, in dubium vertere omnia, quæ Deus dixit per se, vel per alios: nam qui in vno mentitur in omnibus mentiri poterit: quia, secundum Philosophum, id lucrantur mendaces, quod etiam vera dicentes non credantur: ergo, &c. Secunda ratio, & est à priori, sic se habet. Mentiri, seu mendacium est intrinsecè malum: ergo simpliciter, & absolutè Deo repugnat: Quia de fide est, Deum non posse peccare. Antecedens probatur primo ex omnibus Philosophis naturalibus, quorum Princeps, *4. Ethicorum cap. 7.* ait: *Omne mendacium per se improbum & vituperabile est. Et Augustin. hæres. 70.* videtur tenere, esse de fide: de quo latè nostri *Castro, verbo, Mendacium, & Corduba, quæstion. 29.* Secundo probatur, quia mendacium ex se est valdè nocivum, & disonum naturæ rationali, & natura sua aptum inferre nocumentum, & iniuriam proximo, decipiendo, & deducendo ad errorem, quod non tantum singulis, sed toti communitati nocet, euertendo societatem fidelitatem, fidem, & fiduciam inter creaturas rationales.

188 Tertio patet antecedens. Quia malitia nō potest separari à mendacio ex dispensatione diuina: nam mendacium non est malum, quia prohibitū, sed ideo prohibitum, quia in se malum: licet enim lex contra mendacium possit explicari, ita quod præcipiat, non dicere mēdacium, & quod dicatur verū: & quantum ad hoc vltimum possit dispensari lex: quia vt sic non videtur præceptum legis naturalis strictè: tamen quoad primū dispensari non potest; nam vt sic est præceptum strictè naturalis legis, vel saltim magis immediate connexum cum præceptis primæ tabulæ, & necessario sequutum ex principijs practicis, & per se notis, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*; & sic exponitur *Scot. in 3. distinction. 37. & 38.*

189 Quarto probatur illud antecedens. Quia nullo fine, nullaque vtilitate potest reddi licitum mendacium: ergo est intrinsecè malum. Patet antecedens ex *August. hæres. 70.* vbi, & in principio *lib. 1. contra mendac.*

oppositum, vt erroneum notat in Priscilianistis. Et antecedens nostrum definiuit *Alexander III. in cap. super ea de vsuris*: dicens, *sacra Scriptura prohibet, pro alterius vita mentiri*: teste enim Paul. non sunt facienda mala, vt eueniant bona ad *Rom. 3.* in sola enim substantia actus falsi ex animo, & habitudine, ad obiectum consistit malitia mendacij: & sic nulla potest circumstantia aduenire, quæ auferat a mendacio malitiam: ergo est intrinsecè malum, sed Deus non potest, malum intrinsecè morale operari: ergo etiam repugnat illi, per se mentiri posse, non solum per se, sed neque per alium authoritate sua loquentem affirmando, aut negando, sed etiam promittendo: quia ad *Timotheum 2. Fidelis est, & seipsum negare non potest. Et Deuteronomij 32. Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus, & rectus.* Et Psalm. 114. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

190 Sed obijciunt hæretici: Priscilianistæ, & Armenij primo: quia in sacra Scriptura sunt multa mendacia, sed ea dicta sunt à Deo per reuelationem, & testificationem per se, vel per alios authoritate ipsius Dei: ergo. Probatur maior; nam sunt multæ figuratæ loquutiones, & hyperboles, *Genesis 22. Multiplicabo semen tuum sicut arenam maris.* Et ironiæ: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Genesis 3.* & antiphrases, vt *Iob. 1. Nisi in faciem benedixerit tibi*: & similes aliæ. Respondeo quod, ex *Augustin. capit. 10. contra mendacium*, in figuratis locutionibus non est mendacium: nam in vsu, & existimatione hominum aliud, quam præseferunt, significant; in hyperbole, non totum quod explicatur, sed aliquod magnum: in ironia, & antiphrasi oppositum, quam verba sonant, significant secundum hominum vsum.

191 Obijciunt secundo. Multas prædictiones propheticas in sacra Scriptura euentu caruisse: ergo testimonium Dei, & reuelatio eius non est infallibilis, vera, & certa necessariò: ergo potest Deus mentiri. Antecedens probant exemplo de Cain occiso à Lamech cum *Genesis 4.* dixit Deus: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Et Ionas prædixit subuertendam Niniuem post quadraginta dies, & non est subuersa: & alia similia. Respondetur: illas loquutiones esse comminationes dūtaxat, quæ non habent sensum absolutum, sed conditionatum mēte diuina retentū conditione implicita, & quę faciliter intelligi potest, & sic nō mirū, quod ca-

cāruerint ēuentū, si conditio nō fuit adimpleta: & sic exponitur communiter locus Ionæ, & *Isai. 4. Reg. 10. & Isaiæ 33.* locus autem de Caim non est omnino constans, & intelligitur, quod non erat occidendus impune.

192 Obijciunt tertio: Scripturæ loquutiones, in quibus asseritur Deus apperte Author mendacij, & deceptionis. *Ezech. 14. Ego Dominus decepi Prophetā illū. Et Hieremiæ 20. Seduxisti me Domine, & seductus sum, fortior mē fuisti, & invaluisti. Et 3. Reg. 22. Ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum.* Respondetur: omnes istas authoritates esse exponēdas per missiue, non verò ita, vt denotent actionem, & influxum in malitiam moralem mendacij, & deceptionis. Ita respondent *Suarez disp. 3. sect. 5. Lorca disp. 8. num. 7. & alij.*

193 Obijciunt quarto multas Scripturæ authoritates, in quibus personæ sanctæ mentitæ sunt authoritate Dei, quod non fieri posset, si mendacium foret intrinsecè malum moraliter. Primo: quia Abraham dixit: *Ego & puer reuertemur ad vos, Genes. 22.* qui tamen efficaciter volebat, occidere puerum: & *Genesis 12.* dixit Saram esse sororem suam, quæ erat vxor. Et *Iacob c. 27.* dixit se esse Primogenitum. Et *Ioseph cap. 22.* dixit: Fratres suos esse Exploratores, qui tamen sciebat verè, Exploratores non esse. Et *Exodi 14.* ex mandato Dei Israelitæ petierunt ab Ægyptijs vasa, & alia supelectilia acommodata, quæ tamen nunquam reddēda erant. Et *Tobiæ 5.* Angelus Raphael dixit se esse Azariam magni Ananiæ filium. Et *Iudith*, nonnulla mendacia instinctu Dei dixit. Et similiter obstetrices Ægypti, & *Iob 1.* dicitur, *in omnibus his non peccauit Iob, & capit. 7.* ipse ait: *Peccaui; quid faciam?* &c. & *Exodi 20.* dicitur: *Ego Dominus visitans iniquitatem Patrum in filios*: Cum Ezechiel 20. dicatur: *Filius non portabit iniquitatem patris*: ergo testimonia, & reuelationes Dei, non sunt infallibiles, certæ, & veræ, sed possunt esse fallibiles, incertæ, & falsæ.

194 Respondeo ex *S. t. in 3. distin. 38.* quod Abraham primo loco non est mētitus (omitto solutionem generalem, scilicet non esse inconueniens, fateri aliquod mendacium à viris sanctis factum; quia nullus Sanctus, Virgine Beata, & Christo exceptis, immunis fuit à peccato veniali, & sic nec à mendacio: nam ista solutio non potest omnibus adaptari exemplis adductis) quia obtulit filium arbitrans, quia potens est Deus, filium à mortuis suscitare, ex ad *Hebræ. 11.* confidens in alia reuelatione Dei sibi facta, *Gen. 21.*

In Isaac. vocabitur tibi semen. Neque in secundo loco, quia in lege veteri solebant consanguinei appellari fratres: & sic est verum, Christum habuisse fratres, & quod Sara fuisset soror Abraham: legatur *Aug. cap. 8. Tobiæ.* Vnde fallitur Lorca dicens; Scotum sentire; Abraham fuisse leuissimè mentitum.

195 Neque Iacob mentitus fuit, sed figuratè loquutus est se esse Esau, quantum ad eius primogenituram officio, & priuilegio, ex promissione, & testimonio diuino, *Genes. 25. Maior seruiet minori*: & sic ex quo agebat personam Esau, quantum ad dignitatem in virtute promissionis, non est mentitus, dicendo *feci sicut promisisti*: quod autem dixit, *comede de venatione mea*; non fuit mendacium, sed impropria loquutio. *Scot. dist. 38. §. Ad argumenta*, insinuat Iacob, exsuasione matris, fuisse venialiter mentitum. Ioseph autem loquutus est amphibologicè sumpto ly *Exploratores*, suple *tritici*, quod in sua mente intellexit Ioseph; & sic non est mentitus, sed veritatem dixit. Alias solutiones adducunt alij, *vt Lorca disp. 9. num. 15.* sed non placent.

196 Israelitæ autem, seu Hebræi non petierunt mutuo, sed vt accommodarent sibi illa vasa, & supelectilia, sed absolutè pecierunt, & Ægyptij intellexerunt, quod mutuo petebant, & hoc est textui cõforme: quia solũ legitur de Ægyptijs commodasse, & de Israelitis dumtaxat postulasse: nam hoc tantum præcepit illis Deus. Angelus verò Tobiæ non est mentitus: quia secũdum apparentiam sunt vera, eo quod apparenter gessit personã Azariæ. Vel dico, & melius, quod in sua oratione lusit vocũ ethymologia: quia Azarias significat adiutorium Dei, & Ananias gratiam Dei. Ostetrices, excusantur forte à peccato: quia, ex ignorantia invincibili ad vitãdum maius malum, existimabant, licere mentiri venialiter, & forte vtebantur verbis amphybologicis. Eodem modo dicitur de Raab, *Iosue 2.*

197 De Iudith autem dicit Scotus, quod mentita est, & quod peccauit ornando se: sed excusari potest à mendatio, dicendo, quod quando dixit: *Noui quod Hebræi daturi sint vobis in prædationem*: non debet intelligi absolutè, sed conditionatè, nisi Deus vteretur cum eis misericordia, rerum præsenti attenta dispositione. In alijs autẽ nõ loquuta est ad Holofernem, secundum intentionem ipsius Holofernis, sed secundum intentionem occultissimam Dei, & secundum modum suæ diuinę dispositionis; secundum quam debemus iudicare, quod Iudith in nullo verbo mentita est. Nec pec-

peccauit sanctissima Mulier ornãdo se; quia ex instinctu Spiritu Sancti, non ex libidine, sed ex virtute pendebat omnis eius splendor, & ornatus: nam ex eo quod intenderet, vt Holofernes vellet eius concubitum, si intelligatur affectu maritali, nullum est peccatum ad similem affectum allicere; cum alias ipsa nolebat Holofernem sibi copulari vllo modo.

198 Ad illud de Iob respondeo: quod in primo loco intelligitur de peccato mortali; & in secundo de veniali: & hoc non apud Deum, sed in existimatione hominum. Ad illud Exodi, & Ezechielis dicitur, quod vnus locus intelligitur de pœna temporali, & alius de pœna æterna. Firmissimè ergo credere debemus, nullum errorem, nullumque mendacium esse in sacra Scriptura: & si aliquid offendamus, quod veritati contrarium videatur; vel codicem esse corruptum, vel nos non intelligere, prius iudicare debemus, vt docet Aug. Epistol. 19. ad Hieronymum.

199 Sit secunda conclusio. Deus non potest infundere speciem falsi, neque actum, neque habitum erroris simpliciter, vt talia sunt formaliter, secundum entitatem eorum moralem. Hanc conclusionem existimo, debere ab omnibus fateri: quoniam qui affirmant: Deum posse producere, & se solo infundere speciem falsi, actũ, & habitum erroris, non loquũtur formaliter, & simpliciter, prout talia sunt in entitate morali, sed solum loquuntur de eis, quantum ad entitatem eorum physicam. In terminis autem illam tuentur, *Suarez disp. 3. sect. 5. num. 12. & in metha. disput. 44. sect. 13. num. 17. Lorca disp. 9. numer. 25. Montesin. 1. 2. tom. 2. disput. 1. quæst. 2. §. 4. num. 43. Medina, Salas, Ægidius, & Torres*, quos citat, & sequitur noster *Casillo disp. 3. quæst. 2 num. 14.* Videturque consequens ad præcedentem conclusionem, & ex illa verius defenditur, qualiter fidei diuinæ non possit, falsum subesse, quod cum opposita opinione non posse subsistere infra ostendemus contra aliquos Scotistas, & contra Cardinalem de *Lugo in sua disput. 4. sectio n. 3. à num. 31.*

200 Probaturque primo. Quia repugnat Deo falsum pro vero, aut verum pro falso approbare, seu probare, & inclinare ad similem approbationem ex animo: ergo repugnat Deo, infundere speciem falsi, vt talis, actum, & habitum erroris simpliciter, & formaliter, vt erroris sunt. Antecedens non potest negari à Catholicis: Consequentia demonstratur: si fides præstetur Augustino, qui in Enchiridio docet, quod error est,

approbare vera pro falsis, & falsa pro veris: sed Deus non potest illud: ergo neque errorem infundere habitualem, neque actualem, neque speciem falsæ.

201 Secundo probatur: quia secundum *Scotum dist. 23.* Deus reuelat credibilia, quando infundit habitum: ergo quando infundit habitum erroris formaliter, & simpliciter, prout erroris est, reuelat errorem, & falsum: hoc autem nefas est dicere: igitur, & ex quo sequitur. Probatur tertio: Quia, ex *Scot. in 2. dist. 9. quæst. 2. §. Ad quæstionē.* Deus loquitur infundendo speciem impressam, vel expressam obiecti, & communiter defenditur tractatu de Angelis ab Scotistis: ergo si Deus causaret, & infunderet speciem impressam, vel expressam falsi, loqueretur falsum; sed in Deo loqui falsum est mentiri: ergo vel Deus potest mentiri, quod est hæreticum, vel nostra conclusio amplectenda est.

202 Respondet *Felix cap. 4. dific. 2. in tractatu de fide manuscript.* quod non omnis productio speciei est locutio, sed requiritur, inquit, vt loquens exprimat conceptum, quem habet in mente, quod si conceptus adæquetur cum re, loquens verum loquitur, si verò non adæquetur, falsum dicit. Sed contra est primo. Angelus potest loqui cum altero Angelo decipiendo ipsum, & menciendo, sed tunc solum loquitur, producendo speciem impressam, vel expressam falsi, non exprimendo conceptum, quem habet in mente, sed potius occultando, quia mentitur, quod est contra mentem ire: ergo vt productio speciei sit locutio, non requiritur, quod loquens exprimat conceptum, quem habet in mente. Secundo quæro ab isto Magistro meo: quomodo loquens exprimat coceptum mētis, nisi per productionem speciei in intellectu audientis? ergo producendo, vel infundendo speciem, exprimit conceptum: ergo etiam loquitur: ergo similiter Deus loqueretur falsum, & mentiretur, quod est hæreticum. Tertio ista species intentionaliter est similitudo naturalis obiecti: ergo ista species est virtualiter expressiua (si est impressa) & formaliter (si est expressa) conceptus, qui est in mente dicentis, & infundentis illam: ergo Deus infundens illam exprimit conceptum, quem habet in mente: ergo per infusionem eius loquitur: ergo, vel illam non potest infundere, quatenus species falsi est, vel potest loqui falsum, quod est hæreticū, vel erroneū.

203 Quarto probatur cōclusio. Species impressa est similitudo na-

naturalis obiecti: ergo non potest repræsentare, secundùm suã physicam entitatem obiectum alienum: ergo non est repræsentatiua falsi, vt terminat causalitatem diuinam. Respondet *Felix* citatus concedendo antecedens, & primam consequentiam: negat verò secundam: quia talis species, inquit, per accidens infusa repræsentat obiectũ, quod non est præsens, & simul impedit speciem impressam obiecti præsentis, & sic potentia cognoscit obiectum, vt præsens, quod tamen est absens. Sed contra: eo ipso quod repræsentatiua falsi est, alienum obiectum repræsentat, sed per te, non potest repræsentare obiectum alienum: ergo neque potest repræsentatiua esse falsi: potentiæ enim limitatæ, & creatæ defectus est falli, & decipi, non verò speciei, vt causatur à Deo: & ita Deus non infundit speciem falsi: aliàs sequeretur, quòd Deus deciperet nos. Respõdet *Felix* (inquit ex *Scoto*) negando sequelam: quia deceptio non est nisi in via morum. Sed contra: ergo saltim in via morũ non potest Deus infundere speciem falsi, nec actum erroris quę est opinio Lorcæ, quam ipse videtur deserere.

204 Sed aduersus nostram conclusionem obijcies ex *Vazquez* 1. *part. disput.* 38. & 1. 2. *disput.* 90. *cap.* 4. *num.* 11. & 12. & alijs quos sequitur noster *Felix*, citatus, & relatus *Cardinalis de Lugo*. Primò sic. Deus potest supplere omnem causalitatẽ obiecti, & motionem eius: ergo absente obiecto potest producere speciem repræsentantem illud, ac si esset præsens; cum possit conseruare omnem speciem, quam modo habeo de hac papyro. Et confirmatur: nam in Eucharistia solet apparere Puer Iesus, vel caro, quod accidere potest per speciem impressam repræsentantem puerum, vt colligitur ex *Scoto in* 4. *distinct.* 10. *quæst.* 9. *in fine.*

205 Respondeo concedendo, quòd Deus potest supplere omnem motionem, & causalitatem obiecti physicam in genere causæ efficientis: non tamen potest supplere omnem dependentiam intrinsecè, & essentialiter necessariam actus ab obiecto, vt à conditione sine qua nõ: vnde nego consequentiam, scilicet quod Deus possit producere speciem impressam, vel expressam repræsentantem obiectum, vt præsens, quod re vera præsens non est: hoc enim non à Deo, sed à creaturæ potentia deficiente prouenit. Ad confirmationem respondeo, vt dixi *tractatu de Eucharistia, disp.* 3. *cap. vltim. sect.* 5. *num.* 1. quod istæ apparitiones possunt, dupliciter contingere: primo apparenter per mutationem potẽtiæ visiuæ, & medij, ex infirmitate ip-

ipsius potentię: secundo, verè, & propriè: si secundo modo accidat nullus est error: si verò primo modo, tunc error est, & deceptio, sed talis error, & deceptio non prouenit à specie impressa propria pueri, carnis, aut sanguinis, sed ab alijs medijs speciebus, quibus potētia lęsa vtens ex deficientia suæ virtutis contingit, vt appareat caro, quod caro non est, & puer, quod non est puer.

206 Dices: nulla est repugnantia in eo, quòd Deus producat speciem falsi, actum, & habitum erroris: ergo. Respondeo, nullam esse in eo, quod producat speciem falsi materialiter, & actum, & habitum erroris similiter, non verò formaliter; quia sequeretur, Deum mentiri, cum per productionē speciei impressæ, vel expressiæ loquatur, quæ species, non sunt falsæ, nec erroneæ, prout à Deo, sed prout cum illis operatur creatura deficiens. Vnde sequitur, quòd Deus non possit producere, vt malum pœnæ, speciem falsi, nec habitum erroris formaliter, vt talia sunt: potest tamen voluntate permissiua, velle illa, seu permissionem illorum, vt malum pœnæ sunt.

207 Dices: ad actum, & habitum erroris concurrit Deus efficienter cum causa creata: igitur se solo potest producere illum. Respondeo, quòd Deus non cōcurrit, cum causa creata, ad actū, & habitum erroris prout talia sunt formaliter, sed solum ad entitates physicas eorum. Dices: actus, & habitus erroris, prout talia sunt formaliter, sunt entitates physicę: ergo Deus se solo potest producere actum, & habitū erroris formaliter. Respondeo negādo antecedens. Dices: ergo omnis qui errat, peccat. Respōdeo; si erret cum pertinacia, & error sit voluntarius, concedo: si verò non sit voluntarius, deficit errans, sed non imputabitur illi ad malitiam.

208 Dices. Vrgenti graui necessitate non est illicitum, facere aliquid, cum quo aliquis decipiatur: vt confessor interrogatus de peccato pœnitētis decipit interrogantem: ergo non est incōueniens, quòd Deus decipiat infundendō speciem falsi, actum, & habitum erroris. Respondeo: quòd Confessor non vult deceptionē, sed directè occultare veritatem. & hoc potest Deus facere loquendo amphybologicè; de quo in sequenti conclusione.

209 Sed contra insurgit *Felix*: quia Deus etiam directè, non vult, nos errare, sed vult punire, ad quod eligit errorem, non vt deceptor, sed vt Dominus omnipotens. Sed cōtra primo: quia non sibi cohærent, velle, ex electione, errorem infundere, & non velle nos errare. Secundo: quia si directè nō vult, nos errare: ergo non infundit speciē falsi for-

formaliter, nec actum, nec habitum erroris simpliciter, & formaliter, vt tales sunt. Tertio se contradicit: quia si Deus nō vult directè errorem, seu nos errare: ergo eo est, quia velle directè, nos errare, est malum moraliter: ergo sicut repugnat bonitati diuinæ, esse causam, vt alius peccet, ita repuguat, esse causam, vt alius erret, quod negat noster Felix in secunda conclusione.

210 Quarto; contra sapientissimum eundem meum Magistrum, & mihi valdè venerabilē argumentor: nā ex sua opinione sequeretur, Deum posse infundere actum odij Dei, quo voluntas necessariò peccaret. Respondet negando sequelā; quia actus odij Dei pugnat cū bonitate Dei: actus verò erroris non pugnat cum veracitate diuina. Sed contra est: quia in Deo dicere falsum, & mentiri sunt idem, sed mentiri opponitur veracitati diuinæ: ergo etiam falsitas: at actus erroris est falsus, & habet falsitatem, prout erroris est: ergo pugnat cū veracitate diuina.

211 Respōdet secundo noster *Felix* cōcedendo sequelam, quod non reputat incōueniens: quia cum Deus alias det sufficentia auxilia excitantia ad oppositum, minus induceret ad peccandum, quam Dæmon, & concupiscentia, quæ inducunt determinatè: & sic adhuc posito odio Dei in voluntate, sine concursu eius non peccaret, si ipsa liberè non complaceret in illo. Et cū illi instatur primò; saltem Deum esse causam peccati; quia malitia est inseparabilis ab actu odij Dei; respondet negando sequelam; quia sicut quando simul cum creatura est causa actus, non est causa peccati, quia malitia solum prouenit à causa deficienti: ità cum se solo producit, non est causa peccati; quia non à causa deficienti, sed efficienti prouenit. Sed contra est: ergo malitia potest ab actu odij Dei separari; & sic non est intrinsecè malum, & si intrinsecè malum est, eo ipso quod à solo Deo proueniret, proueniret ab eo, vt à deficienti: alias si potest, ab eo prouenire, non vt à deficienti; posset Deus facere, vt proueniret à creatura, non vt à deficienti, quod nō potest dici.

212 Tandem cōtra Felicem obijcio: Scotum in tertio *dist. 28. q. 2. in Reportat.* vbi docet nō posse Deum, infundere habitum vitiosum: ergo neque actum, neq; speciem. Respondet Felix, Scotum loqui de habitu vitioso formaliter. Sed contra: ergo nostra conclusio est verissima; quia nos idem etiam dicimus.

213 Dices: fomes peccati, concupiscentia, sensualitas, atq; ipsa humana natura secundū libertatem inclinant ad malum, & tamen dependent à Deo: ergo quod habitus erroris inclinet ad

erro-

errorem, & species falsi ad falsum, nō tollit, quo minus a Deo infundantur. Respondeo: quòd omnia illa non inclinant ad malum ex se, sed ex deficientia voluntatis creatæ, & prauo vsu illorum ab ea; & vt sic non dependent à Deo formaliter, vt ad malum inclinant: & ita eodem modo dico de habitu erroris, quod prout erroris est: ideſt prout inclinativus, & inductivus falsi, & erroris, non dependet à Deo licet quoad entitatem physicam, & remotam inclinationem possit, ab ipso esse.

214 Sit tertia cōclusio. Deus potest, vti amphybologia in suis loquutionibus, illis duobus modis supra relatis: & quantum ad primum modum omnes vna animiter conueniunt, vt satis probant Recentiores multis exemplis Scripturæ, & *Scot. in 3. distin. 38. §. Ad argumenta in fine.* Simulatione Dauid, quando coram Achis se furiosum finxit spumādo: & cum dicitur Petrus est bonus vir, quod pro virtute, vel pro simplicitate potest summi à dicente; & illud *Matthæi 11.* vbi Ioannes dicitur Elias, quod potest intelligi, vel in spiritu, vel in persona. Difficultas ergo est de amphybologia secundo modo; & vt sic probo conclusionem, contra Caiet. Sotum, Azorium. Aragon, Ægidium, & alios.

215 Primò sic: ex illo *Psal. 10. Non resurgent impij in iuditio*: vbi mentaliter restringuitur *ad gloriam consequendam*, non verò absolutè, quia ad pœnā resurgent. Et *Ioann. 7.* dixit Christus D. *Ego non ascendam ad diem festum istum.* ideſt, *vel palam, vel vobiscum, vel vt gloriam meā quæram*: nam posteà ascendit; & multa alia quæ secundùm amphybologiam cōtinentur in Scripturis, vt *Marc. 13. De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius nisi Pater*, quod verum esse non potest nisi cum restrictione mentali, hoc est *non scit filius, vt dicat*: quidquid dicat *Lugo disp. 4. sect. 5. num. 64.* de quo videantur *Suarez tom. 2. de Religione, tract. 4. lib. 3. à cap. 10. Lesius de iustitia cap. 42. dub. 9. num. 47. Sāchez lib. 1. de Matrimonio disp. 10. circa finē, & lib. 3. in Decalogum, cap. 6. num. 15. & Coninch. tractatu de fide disput. 10. dub. 3.* Secundo probatur ratione: quia ex hoc non sequitur, quod Deus mentiatur, neque quod inducat ad falsum, siue ad errorem: ergo. Patet antecedens: nam Deus per loquutionem amphybologicam veritatem dicit; ergo, &c.

216 Sed contra: quia de ratione Magistri veri est, ambiguitatem auferre omnē, præcipuè quando scit discipulos fore decipiendos per vsurpationem verborum in altero sensu: ergo Deus non potest vti amphybologia, quia aliàs deciperet, vt Magister. Respondeo primo, quòd dis-

discipuli non fuerunt decepti, eo quod per spirationē Sancti Spiritus acceperint verba, secundùm mentem Christi, vel determinatè, vel inconfusè. Secundo; quòd de ratione Magistri, etiam est loqui amphybologicè, vt discipulos doceant qualiter debeant assentiri loquutionibus, vt non tam attendant verbis, quàm ad sensum, non tam ad sonum literæ, quam ad spiritū: vt intentos faciat discipulos, quærendi sensus varios, secundùm quos possit esse vera, vel falsa propositio, aut loquutio.

217 Obijcies. De ratione infinitę authoritatis est, ita certò loqui, quòd infallibiliter ei assentiamur, sed loquendo amphybologicè, prudenter possumus, dubitare de ipsius dictis: ergo no licet Deo, illa vti. Respondeo, quòd prudentia humana potest dubitari, quia deficiens est, & propter nostram ignoratiam, & limitatam scientiam. Dices: ergo fides nostra no est certa: quia possumus dubitare: Vtrùm reuelatio diuina sit amphybologica. Respondeo, quòd quando Deus proponit necessariò credenda fide infusa, non loquitur amphybologicè, sed per se, vel per Ecclesiam declarat sensum determinatum reuelationis suæ.

218 Sed notandum ex *Scot. in 3. dist. 38. vers. Sed hoc posito*: no esse licitum vti amphybologia sine causa rationabili: aliàs perueterentur finis humanæ loquutionis; & immensa generaretur confusio in republica; si tamen iusta adsit causa, etiam cum iuramento, licet amphybologia vti, in quo cōueniunt cum Scot. omnes Recentiores.

219 Sit quarta conclusio. Implicat fidei diuinæ sub esse falsum. Loquor de fide diuina infusa. Hanc conclusionem, no solum de facto loquendo, iudico de fide cum omnibus Catholicis ex *Trident. sess. 6. cap. 9.* sed etiam de potentia absoluta, cum *Suar. disp. 3. sect. 5. n. 6.* quamuis *Lorca* solum temerarium appellat: illud autem quod *Ripalda* dicit *disput. 59. sect. 5. n. 33.* scilicet vacare temeritate, nullą ratione approbo. Et probatur satis ex prima, & secunda cōclusione: quidquid defatigetur *Lugo disput. 4. à sect. 4 à num. 31.* Et ratio à priori est. Quia fides diuina infusa nititur testimonio diuino, & reuelatione diuina, siue vt ratione formali, siue vt conditione intrinsecè necessaria, sed testimonium diuinum, & reuelatio diuina non potest esse falsa, vt satis ostensum est supra: ergo fidei infusæ non potest subesse falsum.

220 Sed aduersus hanc cōclusionem copiosa argumentorum acies pugnat. Primò sic obijcitur. Actus supernaturalis potest viciari: igitur fidei diuinæ potest falsitatis vitium subesse. Antecedens contra *Suarez 2. 2. disp.*

disput. 6. sect. 7. & lib. 2. & 12. de gratia, cap. 3. & 11. & Vazquez 1. 2. disp. 53. cap. 4. & disp. 54. c. 3. & disp. 84. cap. 3. & disp. 186. tenent grauissimi Doctores OKã, *Abul. Vega, Corduua*, estque communissima sententia, & refertur pro ea *Scot. in 2. dist. 40. §. De secundo dico, & quodlib. 16. & 18. & in 2. dist. 23. §. Ad quæstionem, vers. Ad aliud si concedatur. & in 4. dist. 26. ad solutionem*: vbi ait: solam charitatem non posse viciari, Et probatur: quia actus supernaturalis potest ex intentione turpificri: v. g. ex affectu charitatis potest quis velle subleuare inopiã pauperis, cũ aliquo glorię, vanę affectu: tunc enim actus misericordiæ, si aliàs operans esset in gratia, foret meritorius; & tamen, saltim venialiter est vitiosus: ergo. Et confirmatur in illo, qui vera atritione accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ ex fine vanæ gloriæ venialiter malo; & similiter in illo, qui vnum veniale mendacium in cõfessione commisit, & alia plura passim apud *Dianam*, & alios Recentiores Summistas: ergo actus supernaturalis potest vitiari: possumus enim abuti consecratione, & patratione miraculorum.

221 Patet ergo iam consequentia: quia veritas, vel falsitas non sunt essentialia cognitionibus, sed possunt ab esse, & ad esse, absque corruptione substantiæ actus: igitur potest habitus infusus fidei, concurrere ad substantiã sui actus supernaturalis, etiã si aliàs ex propositione obiecti apparentis, assensus sit falsus. Et confirmatur: quia magis pugnat malitia cum supernaturalitate, & gratia Dei, quam falsitas: ergo si actus supernaturalis ex gratia factus potest esse malus, etiã potest esse falsus. Deinde: quia voluntas vtitur habitu: ergo est libera omni libertate cum habitu infuso: ergo poterit velle assentiri cum eo alicui falso.

222 Respondeo admisso, & concesso antecedenti, negando consequentiã. Ad probationem dico; solum sequi, actum fidei posse fieri vitiosum, & vitiari malitia, quæ non destruat eius essentiam, non verò quæ illã destruat, vt foret vitium falsitatis: & licet cõcedatur, veritatem, & falsitatẽ, nõ esse essentialẽ cognitioni in abstracto, & præcisè cõsideratæ, nõ verò secundũ cõceptũ contractũ, & quasi in actu exercito neq; habitus infusus fidei cõcurrit ad assensum sub ratione cõmunissima, & abstracta, sed in re concurrit ad assensum prout certus, verus, & infallibilis est, & aliter euenire nõ potest: & per hoc patet ad cõfirmationes.

223 Sed contra: assensus deductus ex vna supernaturali, & alia naturali probabili, est supernaturalis, sed iste assensus potest esse falsus, quia tantũ probabilis: ergo etiam assensus fidei in-

infusæ. Respondeo primo negãdo maiorem: nam conclusio sequitur debiliorem partem. Secũdo: nego consequentiam: quia conclusio sequitur, & nititur motiuo fallibili: secus verò actus fidei, qui infallibili motiuo nititur. Sed contra: si quis antequadrantem Natiuitatis Christi assentiretur, fore venturum, & permaneret in eodẽ assensu numero, vsque nunc, ex ignorancia inuincibili, talis assensus foret falsus nunc, & immediatè post Natiuitatẽ Christi; sed tamẽ iste assensus est fidei infusæ: ergo.

224 Respũdet *Felix*, quòd nato Christo ille assensus non est fidei infusę, sed humanę. Acquiesco solutioni: sed contra meum Felicem arguo: quia per te *cap. 4. diff. 2.* Deus potest se solo producere actum vitalem, & supplere motionem, & causalitatem obiecti, & infundere speciem falsi, & actũ erroris: ergo poterit Deus se solo illum assensum infundere, & conseruare, vt eo assentiamur Christum fore venturũ: ergo in sententia Felicis sequitur fidei diuinę falsum posse sub esse, vel Deus non potest infundere speciem falsi, neque actum erroris formaliter, vt talia sunt.

225 Respondet secundo cũ alijs, quod idem actus perseuerat, & verus, quia reffertur ad tẽpus, pro quo facta est reuelatio: acquiescerem similiter huic solutioni, si non esset extra propositum argumẽti, quod procedit in casu quod assentiens prudenter iudicaret humanitus, Christũ non esse natum: quare prima solutio est magis ad rem.

226 Sed cõtra insurgunt Nominales. Deus potest per signa, aut vocem alicuius instrumenti proferre hanc Orationem, *Nato Christo*; scilicet *Christus erit morti tradendus*; vel *Christus veniet in Templum*, aut *iudicare viuos, & mortuos*; quæ Orationes sunt veræ: ergo etiã potuit proferre post Natiuitatem Christi partialiter illas Orationes, scilicet *Christus erit*; *Christus veniet*. Et confirmatur: quia Deus in suis loquutionibus potest amphybologia vti: ergo post Natiuitatem interroganti: *Christus erit?* Poterit respondere *erit*. *Christus veniet? Veniet*. Respondet *Lorca disput. 9. in fine*, quod Deus potest illas Orationes proferre, nõ affirmando; sed referendo: hoc est potentia physica: non verò potentia morali; citat pro se Scotum, & placet solutio. Tamen respondeo, quòd Deus non vteretur amphybologia in his rebus, quæ sunt necessariò credendæ fide infusa, sed certò infallibiliter, & palã loqueretur, & respõderet interroganti: si tamẽ ex aliquo fine Deo liceret simili amphybologia vti, dicendũ foret, assensus circa illas propositiones (si humanitus, & vt sonant accipiantur, non esse nisi fidei acquisitæ.

Obij-

227 Obijcies: cognitio supernaturalis potest cocurrere ad actum erroneum: ergo habitus fidei infusus ad assensum falsum. Antecedens probatur: quia cognitio supernaturalis potest concurrere ad actū peccati (nā Dæmones peccauerunt inuidendo Diuinitatem Christo, vel homini futurā excellentiam per Christum; quod genus peccati nō foret, si non præcessisset cognitio supernaturalis de Christo, & de mysterijs in eo futuris: & similiter qui desperat ex reuelatione sibi facta de sua damnatione) ergo ad actum falsum: quia à supernaturalitate magis distat malitia peccati, quam falsitas materialis. Respondeo, quod cognitio supernaturalis non concurrit efficienter ad actū erroneū: atverò habitus fidei simpliciter concurrit ad actum, & assensum supernaturalem, certum, infallibilem, & verum, eo quod sit participatio diuini luminis, & sic determinatè inclinat in verum, vt docet *Scot. quodlibet. 14.* Ad prouationem antecedentis: dico, quòd cognitio supernaturalis non inducebat Dæmones ad peccatum, sed potius retrahebat ab illo inducendo ad actum bonum: solius enim voluntatis vitio peccauerunt, & similiter qui desperauit supposita reuelatione de damnatione.

228 Si enim hoc *Ripaldæ* argumentū admitti posset, sequeretur, Deum fore causam malitiæ peccati formalis formaliter: quia si cognitio supernaturalis à solo Deo producta ad actū peccati concurreret, foret, alliciendo, & mouendo voluntatem ad peccatum, & sic etiam causaret malitiam moralem actus. Quod autem respondet *Ripalda in suo num. 8. disput. 57.* euidenter concludit contra suum intētum, videatur. Et confirmatur quia honestas actionis refunditur, secūdùm ipsum, incognitionem supernaturalē proponentē, adhuc indifferenter obiectū: ergo turpitudo, & malitia actionis refunditur in cognitionem supernaturalem, si ab ipsa actus peccati causetur. Deinde sequeretur: affectum peccati esse supernaturalem; quia affectus procedens ex principio supernaturali est supernaturalis. Respondet *Ripalda*, quòd actus peccati no exigit tale principium, & sic non est supernaturalis. Sed contra: quia magis supra naturam est, aliquid dependere, à quo dependere nō exigit, quam supernaturale dependere à supernaturali: ergo affectus ille foret supernaturalis. Præterea, quia hic, & nunc exigit, à tali principio oriri, & connectitur cum illo: ergo affectus peccati est supernaturalis, quod nefas est dicere, vt ipse fatetur cū Catholicis.

229 Sed obijcies. Prudentia infusa, aliquādo dictat assensum

um falsum probabilè, vel erroneum: ergo habitus fidei infusus poterit, causare assensum falsum. Antecedens probat Ripalda: nam sunt leuia inditia ad iudicandum male de proximo. Et grauissima ad benè iudicandū: tunc ex charitate imperat prudentia, benè de proximo iudicare; sed tamen illud iudicium potest esse falsum (quia reuera proximus peccauit) ergo ex prudētia infusa, vel ex habitū charitatis interuentu prudentiæ potest, assensus falsus elici: ergo similiter ex habitu fidei infusæ: sicut enim affectu charitatis supernaturali prudenter imperatur illud falsum iudicium, & ad illud Deus sine incouenienti cōcurrit; cur etiam affectus supernaturalis piæ affectionis non poterit imperare assensum fidei falsum? Vbi homini rustico, & indocto proponuntur prudenter credibilia fide diuina, quæ aliàs falsa sunt.

230 Respondeo primo negando, quòd prudentia sit supernaturalis; sed quidquid sit de hoc; permitto antecedens, & nego consequentium. Ratio est: quia fides diuina infusa nittitur testimonio diuino vero, quod tale sit, non solum practicè, sed etiam, & præcipuè, speculatiuè: & sic fides versatur semper circa verum speculatiuè, quod non potest esse falsum: at verò prudentia non nittitur testimonio diuino speculatiuè verò, sed tantum practicè: id est, versatur circa verum apparens, & niti potest testimonio existimato, seu apparenter diuino, vel apparenter vero, quod in re nō est testimoniū diuinū: & sic omnes appetitiuæ virtutes possunt versari circa obiecta bona apparentia, & non realia: nam suas honestates sumunt penès conformitatem ad iudicium practicum, non verò ad iudicium speculativum præcisè: & ita ad fidem humanam sufficient illa iudicia, non verò ad fidem diuinam in rustico, quia non credit nixus veritati speculatiue, sed tantum practicè secundum vires humanas possibili.

231 Sed obijcies. Assensus rustici, circa obiectum reuelatione apparenti propositum, & & prudenter creditum, est meritorius; ergo ex gratia, & auxilio Dei: ergo etiam poterit oriri ab habitu, siquidem oritur ab auxilio speciali. Respondet P. *Felix*, & benè, quod non meretur assensu, sed actu voluntatis imperantis assensum fidei humanę, vel apparenter diuinæ, ad quem actum solum datur auxilium (si datur, nam fortè sufficiet auxilium ordinis naturalis) & Deus concurrit ad actum, secundùm entitatem physicam, & vt est moraliter bonus, non verò vt est erroneus: in quo *Felix* videtur se contradicere, nam supra

dixit, Deum posse concurrere ad actum erroris se solo.

232 Objcies: Fide diuina credimus, Christum contineri in Eucharistia, sed contingere potest, consecrantem non esse Sacerdotem, vel non habere intentionem: ergo fidei diuinę potest, falsum subesse materiale. Respondet noster *Castillo disput. 3. quæst. 4. num. 16.* quod tunc adoratur fide diuina acquisita, non verò fide infusa; & non est inconueniens, quod fidei diuinæ acquisitæ subsit falsum. Hanc solutionem latè impugnat Pater *Felix cap. 3. diff. 5. in principio*; dicens esse contra Scotum, affirmare fidei diuinę acquisitę, posse subesse falsum; nam *quodlib. 14. Scot.* ait: fidei diuinæ, non posse subesse falsum. Sed si respondeas, quod Scotus loquitur de fide diuina infusa, non verò de acquisita; instat *Felix*, obiectum fidei diuinæ, etiam acquisitæ, est authoritas Dei, quæ nec fallere, nec falli potest. Respondet Castillo, esse authoritatem Dei veram, vel apparentem. Sed insurgit noster *Felix*, quando nititur authoritati Dei apparenti, non erit fides diuina, nisi apparenter, & quando nititur authoritati diuinæ veræ, erit fides diuina vera supernaturalis, & infusa. Respondet Castillo; quòd quando hæreticus credit, propter authoritatem diuinam, aliquem ex articulis fidei, ille assensus est fidei diuinæ acquisitæ. Quare solutio nostri Castilli placet, & est valdè probabilis, etiam in *Scot. citato, & dist. 23. quæst. vnic.*

233 Alia est responsio *Lorcæ disp. 10. num. 14.* Quod assensus fidei, circa præsentiam corporis Christi, non est circa hanc, vel illam numero hostiam determinatè, sed solum est credendum, Christum esse sub speciebus ritè cosecratis: solum autem est de fide, aliquam consecrationem ritè fieri in Ecclesia, atque alicubi Christum esse, & in aliquibus partibus, sub speciebus. Vnde, quod respondet *Vazquez tom. 1. in 3. part. disput. 10. cap. 2. & de Adoratione, lib. 3. disput. 15. cap. 5.* quod intentio adorandi, non est circa species, sed circa Christum, non est verum; quia etiam adorare debemus Christum prout in speciebus.

234 Sed tunc est obiectio. Quælibet hostia consecrata est simpliciter adoranda, & sine cōditione: ergo fide diuina infusa creditur, ibi esse corpus Christi. Respondent *Alens. 3. part. quæst. 30. memb. 3. Sanctus Bonauentura, ibi art. 1. quæst. 6. Adrianus*, & alij antiqui, vt *Ricard. Gab. Caiet. &c* quod est adoranda, sub conditione, si ritè est facta consecratio; & sic euadunt difficultatem. Alij verò Recentiores fatentur antecedens: quia licet fide di-

diuina infusa, non sit omnino certum, ibi esse corpus Christi; tamen fide humana certum prudentialiter, & practicè est, ibi esse corpus Christi; quod sufficit, vt voluntas reguletur; quia virtutes morales non attingunt infallibiliter verum materiale, & speculativum, sed practicum, quod apparenti veritate fulcitur.

235 Tandem obijcies *Scotum dist. 23. §. Ad quæstionem*; vbi videtur asserere, quod fides infusa non ponitur propter maiorem certitudinem in assensu: ergo secundùm ipsum assensus fidei infusæ potest esse fallibilis, & falsus. Respondeo, quod Scotus non loquitur ex propria sententia: nam ipse expresè ponit habitum propter infallibilitatē, veritatem, & certitudinem in assensu. Vnde *Caiet. 2. 2. quæst. 4. art. 5.* fallitur, & alij errores quorundā Recētiorū merito reprehendendi, quia cum non viderint, neque intellixerint subtilem Doctorem imponunt illi, ipsum dicere, fidē infusam posse inclinare in falsum. Videatur *Cabelus* in Scholio, & *Scot. quodlib. 17.* atque exinde patet, qualiter diuina reuelatio non possit esse fallibilis, incerta, & falsa.

CAPVT IV.

De credibilitate mysteriorum fidei: ac de Regulis quibus fidei obiectum infallibiliter proponitur.

Sectio 1. *Quænam esse debeat externa propositio obiecti, vt sit sufficienter credibile?*

236 CVm diuinæ fidei obiectum sit obscurum, nec in se videatur, & similiter Deus vt reuelans, ideò necessarium est, quod Deus reuelans, & obiectum reuelatum, exterius offerantur, & proponantur intellectui, vt circa illud valeat, assensum præstare, præsertim cum fidei assensus imperetur à voluntate, & nihil volitum, quin præcognitum: hinc oritur, quod vt voluntas velit credere, necessariò debet, aliqua propositio præire, proponens obiectum, vt credibile.

237 Circa quod, dixerunt hæretici antiquiores, & ex Recentioribus alij, requiri ad hoc, vt obiectum sit sufficienter credibile, quod proponatur immediatè à Deo singulis credentibus. Fundamentum hæreticorum sumitur ex illo *Hieremiæ 31. Dabo legem meam in cordibus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*, & subdit; *nō docebit vnusquisque proximum suum*: significans omnes

esse immediatè instruendos à Deo. Adducuntque illud *primæ Ioann. 2. Vnctio docebit vos de omnibus*; & subditur: *non necesse habetis, vt aliquis doceat vos*: cui cōsonat illud *Matth. 23. Vnus est Magister vester*: & illud *Ioān. 10. Oues meæ vocem meam audiunt.* Secundo: quia si propositio creaturæ sufficeret, fides Christiana redderetur incerta, & fallibilis: ergo.

238 Sed Catholicorum sententia vera de fide est, quod vt obiectum fidei sit credibile, non est opus, vt obiectum immediatè proponatur exterius à Deo omnibus credentibus; sed sufficit reuelatio olim facta Patribus, & Prophetis, & Apostolis immediatè, quæ nobis applicetur per externam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ propositionē. Et probatur inductione ex diuina Scriptura. Quia Deus non est omnibus immediatè loquutus, sed recta prouidentia infima per media, & media per suprema; & sic supremo Angelo Deus immediatè exterius reuelauit mysteria, & per supremum Angelum reliquis Angelis suo ordine. Inter homines autem, Adam filios suos in fide instruxit; & idem Abraham ex *Genes. 18.* & idem de Moysi *Exodi 14* & *Deuteron. 10.* Quare *Psalm. 77.* dicitur: *Quanta mandauit Patribus nostris, nota facere ea filijs suis*; & *Lucæ 1. Sicut loquutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum, &c.* Et ad *Hebræos 1. Olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Et *Ioann. 1. Missus est, vt omnes crederent per illum.* Et *Actor. 1. Eritis mihi testes vsque ad vltimum terræ.* Et ad *Roman. 10. Fides ex auditu, auditus per verbum Christi.* Et subdit: *Quomodo audient si e prædicante?* Vnde *Matthæi vlt.* dicitur: *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: ergo, &c.

239 Secundo, quia aliàs Sacra Scriptura, traditio; ac fidei doctrina per Ecclesiam in vtilia forent, quod est hæreticum, & aliàs sunt quid creatum: quod sit hæreticum constat: quia *Ioann. 10.* dicit Christ. D. *Scrutamini Scripturas, nam ipsæ testimonium perhibent de me.* Et *1. Petri 2. Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* Neque per hoc negatur, quod virtus Dei intercedat, hanc enim semper necessariā esse, verum est, iuxta illud *Marci vltim. Predicauerunt Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Et *1. ad Corinthios 3. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Vnde *Gregor. Homil. 30.* ait: *Nisi Diuinus Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo Doctoris.*

220 Ad argumenta hæreticorum respondeo, quod per Hyeremiā solū promittitur lex Euan-

Euangelij; vt expoſſuit *Paul. ad Hebræos* 8. & 10. & quia futura erat ſpiritualiſsima, & ſuperabūdans in donis gratiæ, dicit ſcribenda in cordibus, & viſceribus, non verò quia non erat exterius proponenda per Sanctos homines, & per Eccleſiam. Vnde quādo dicitur; non docebit vnuſquiſque proximum ſuum loquitur de doctrina interna, ſcilicet de inſpiratione, & auxilio gratię neceſſario ad credendū, quod à ſolo Deo eſt: & ita etiam interpretatur locus Ioān. & ſecundùm hanc doctrinā ſolus Deus eſt Magiſter. Qualiter autem talis propoſitio ſufficere poſsit ad certitudinem, & infallibiliratem fidei conſtabit ex dicendis. Breuiter autem reſpondeo ad ſecundum argumentum, ſcilicet, non ſequi tale: quia exinde myſteria noſtræ fidei ſunt prudenter, & euidenter credibilia.

Sectio 2. *Vtrùm noſtræ fidei myſteria ſint euidenter, & prudenter credibilia?*

241 SOlus *Capreolus in 3. diſtin. 31. quæſt. 1.* auſus eſt inter Catholicos aſſerere, quod noſtræ fidei myſteria non ſunt euidenter credibilia: Prudenter verò eſſe credibilia non negat.

222 Cum communi autem Catholicorum ſententia firmiter eſt tenendum: noſtræ fidei myſteria, non ſolum prudenter, ſed euidenter eſſe credibilia. Videatur N. *Michael de Medina lib. 2. de recta in Deum fide.* In cuius veritate demonſtrāda elegantiſsimè laborauit *Tertulian. in Apolog. cap. 18. & Aug. lib. contra Epiſtol. fundam. cap. 4.* vbi habet illa præclara verba, complectens ferè omnia motiua noſtrā concluſionem confirmātia, quæ ad plura capita alij reduxerunt, *Scot.* ad decem capita *in quæſt. 2. prolog.* ſed nos, breuitati conſulentes, ad quatuor capita reducemus omnia motiua efficacia, quæ euidentiā conſtituant credibilitatis myſterioum.

243 Primum ergo caput, ſeu motivum euidentiæ credibilitatis myſteriorum fidei ſumi poteſt ex qualitatibus doctrinæ fidei: prima eſt, *veritas ſine admixtione falſitatis alicuius*: ex quo magnum efficitur argumētum, quod habeat pro Authore Deū: quia doctrina quę miſcet aliquid falſum, à Deo eſſe, non poteſt: in omnibus enim veritatem aſſequi, nullus homo poteſt abſque ſpeciali Dei directione, & illuſtratione. Verum in hac fidei doctrina duo ſunt genera veritatum; quædam quæ naturali lumine cognoſci poſſunt: aliæ verò omnino ſunt ſupernaturales: quantum ad primum genus, euidenter cognoſcimus fidē eſſe illis conformē: nam docet, quod Deus eſt vnus, omniū creator, finis vltimus creaturæ rationalis:

in his autem, quæ ad mortalitatem animæ docet, & ad veram beatitudinem, & demerito, & præmio, atque de demerito, & suplitio futuræ vitæ videtur, docere ea, quæ sunt maximè vera, & omnino rationi consentanea. Ex quibus etiam colligitur, etiã, quæ rationẽ superant, vera esse, & maximè credibilia, vt quod Deus sit Tribus in Personis, & Vnus in Essentia: quod Verbum Diuinũ assumpsit naturam humanam: quod Deus sit visibilis à creato intellectu, & alia; tum, quia tota fidei doctrina ab eodẽ authore profecta est: tum, quia nõ ostenduntur, nec ostẽdi possunt impossibilia ratione naturali, & aliàs commẽdant excellentiam Dei.

244 Atque huic conditioni adiungere possumus consonantiam, & concordiam scripturarum in omnibus articulis, qui sunt de fide Christiana, & diuina: nam est maximum in hac re argumentum, quod veritatem fidei extollit, & credibilitatem demonstrat, quod tot diuersarũ Regionum ingenia in eodẽ, & diuerso tempore scribẽtia de rebus nostræ fidei, quæ neque ex terminis, neque ex præmissis cõstant, ita cõcorditer scripserint; quod nisi ad specialẽ Dei illustrationem recurramus, impossibile videtur, & Ptolomæus, Philadelphus Lãgi filius Regis Ægypti cõgregauit quinquaginta millia librorum Bibliotecam, & ex consilio Demetrij requisiuit à Iudæis, sex ex singulis tribubus scripturarum Interpretes, & sic sunt septuaginta duo Interpretes Sacræ Scripturæ vniformes. Et si dicas quod posteriores Scriptores sequuti sunt priores. Contra est primò. Quia aliqui fuerunt in eodem tempore. Secundo; quia discipuli sæpè impugnant suos Magistros; qualiter Aristotiles, qui Platonem deseruit, & hæretici omni vento doctrinæ sunt fluctuãtes, & suo quis sensu abũdat. Vnde *Tertulian.* dixit: quod *dum sibi aduersantur, fidem nostram confirmant*; quia in omnibus cõcors, & constans est.

245 Secunda qualitas est, *sanctitas, & puritas doctrinæ.* Patet ex illo *Psalm.* 18. *Lex Domini immaculata*, & *Psal.* 118. *Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt*, euidenter enim Christiana Lex nihil approbat, quod turpe sit, sed omnia quæ docet ad perfectionem docet, & euidenter conducunt, & in multis patet ex ipsis terminis, & in hominibus, qui illam perfectè seruarunt: ergo exinde magnum conficitur argumentum, ad credendũ nostræ fidei mysteria esse à Deo reuelata, & consequenter, non solum prudenter, sed euidẽter erunt credibilia.

246 Tertia qualitas est, *efficatia, qua in Mundũ est introducta.* Nõ enim persuasionis humanæ,

sed

sed diuinæ virtutis est, quod mũdus in Christũ crediderit, inquit *Aug. 22. de Ciuitate, cap. 7.* Pauci enim homines pauperes inermes, idiotæ anteà parũ, per prædicationem huius fidei mundũ mirabiliter superarunt: ergo in virtute spiritus diuini, & non in humanæ sapientiæ verbis, ex 1. *ad Corinth. 2.* Superarunt: nam, vt confundat sapientes, infirma mundi elegit Deus: & augetur robur argumenti; eò quod isti homines, nec tẽporalia præmia, neque honores quærebant, nec suis discipulis promittẽbant illa, sed prædicabant contra delicias, & huius sæculi voluptates: quod signũ euidens est non fuisse verbum hominũ, sed verbũ Dei, & sermo eius efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, per quem placuit saluos facere credẽtes. Huc accedit efficatia prędicationis mysteriorum nostræ fidei Idola fuisse destructa, & cultũ veri Dei, ferè toto terrarũ orbe restitutũ: ergo ex hoc motiuo, suis conditionibus fulcito, euidenter redduntur credibilia diuinæ fidei mysteria.

247 Secundum caput, seu motivum principale, ex multitudine testium, & eorũ authoritate formatur. Et relinquendo ipsius Trinitatis Sanctissimæ testimonium in Baptismo Christi, atque Angelorum in Natiuitate Christi, quia isti testes non sunt visibiles; vtimur primo testimonio ipsius Christi Domini, quem adhuc Barbari, hominẽ fidedignissimum esse confitentur: imò Iudæi non possunt negare, vt fatetur *Iosephus lib. 18. antiquitatũ:* & constat ex puritate, sanctitateque vitæ ipsius, ac de sapientia excellenti, quam ipsa ipsius doctrina manifestè præsefert. Vtor secundo Moyse, & reliquis antiquis Patribus, & Prophetis *Deuter. 18.* dicitur: *Prophetã sicut me suscitabit tibi Dominus, ipsum audies.* Addo Ioann. testimonium, qui præparauit aduentum Christi Domini, cuius tanta vitæ sanctitatis excellentia fuit, vt Iudæi pro Messia haberent, si ipse vellet. Illi successerunt Apostoli, & Discipuli Domini, de quibus præsumi vnquam minimè potuit, quod malitia prædicauerint, vt ex numero supra relato patet. Et addere possumus etiam ipsos Dæmones coactos ad confitendum fidei Christi Doctrinam.

248 Ad istud caput redduco Martyrum testimonia, qui suo sanguine firmarunt fidei mysteria vera esse, & credibilia: pro alijs enim sectis rari sunt, qui mortem subierunt; pro veritate autem mysteriorum fidei Christianæ innumeri refferuntur in Historijs, & Martyrologijs, qui summa lætitia, & innocentia maximaque sanctitate, & inter Martyres multæ Fœminæ, puerilis ætatis, & parvuli, quos occidit Herodes, id satis testificant,

quibus accedit, innumera prodigia, & miracula, nō solùm ante Martyrium, sed post mortem patrata, in confirmationem doctrinæ nostræ fidei, pro qua mortem subibant. Et tandem, quod per tot Martyres Ecclesia minuta non fuerit, sed maximè augta, & exaltata.

249 Inter istos testes referri possunt optimè Prophetæ, qui de futuris prophetarunt, & ita euenerunt, cum essent in sola libera omnipotentia Dei, illa euenire: quod euidenter concludit, & manifestè nostræ fidei mysteria esse credibilia, & à Deo reuelata: quia nisi speciali supernaturali inspiratione prophetare non possent. Quibus accedit concursus Sapientissimorū Doctorum, & concursus tot populorū, atque Sanctissimorum Ordinum exornata varietas, quibus Sanctissima Ecclesia mirifico splendore fulcitur.

250 Tertium caput, & principale motivum huius euidentiæ credibilitatis sumitur ex diuersis modis, quibus Deus subscripsit, & authoritatem præbuit testimonijs hominum prædicantium hanc fidem: & primum locum tenent miracula, quæ cum sint opera extra virtutem causarum naturalium, & sollus virtutis Dei, ex *Psalm. 135. Qui facit mirabilia magna solus*; ex eis euidenter colligitur, mysteria nostræ fidei, nimis, & euidenter esse credibilia, quia reuelata, & dicta à Deo; in hoc enim non est immorandum, quia miracula referre, esset arenas Maris numerare, maximè si inciperemus à Moysi, vsque ad hæc tempora; videantur vetus, & novum Testamentum; videantur Historiæ de vitis Patrum, & *Euseb. lib. 4. Hist. cap. 5.* considerate Patris Francisci vitam, & post mortem tot sæculis corpus eius integrum, stans super pedis digitum, oculis in cœlū leuatis, & vulnera recentia; quæ omnia talia miracula eo patet esse vera, & distincta à falsis miraculis (quæ virtute Dæmonis possunt fieri, vt fuerunt operata à Magis Ægypti, & operabuntur ab Antichristo) ex diuturnitate, & perseuerantia effectus, vt fuit suscitatio Lazari, & alia similia; ex modo operandi, scilicet per imperium, per orationem: vbi considerandus est finis talium miraculorum, qui semper est rectissimus.

251 Et si dicas: nō repugnat omnipotentiæ Dei, vera miracula facere per prauos homines mendaces; ergo ex miraculis nō summitur motivum, vt mysteria Fidei sint credibilia euidenter. Respondeo, non repugnare omnipotentiæ Dei, quod per prauos homines vera miracula fiant; sed absit dicere, hoc posse fieri à Deo in confirmationem falsæ doctrinæ, sed semper

per erit in confirmationem doctrinæ veræ. Verum inter miracula magna, quibus fidei mysteria facta sunt credibilia, maximum locum obtinet perseuerantia, & duratio fidei, & Ecclesiæ fundatæ in illa fide. Nam mysteria nostræ fidei capacitatem nostram valde superant, & sic videtur fides satis difficilis ad credendum: ex alia parte videtur ardua in sui obseruatione, quia præcipit valdè repugnantia nostræ concupiscentiæ; & hoc non obstante contra tot potentissimos hostes integra perseuerat sine macula, & sine ruga, signum euidens est, quod speciali assistentia Dei regitur, tamquam lex firmata, & testificata per ipsum.

252 Vltimum tandem motivum summitur ex comparatione ad alias sectas. Et primo loco si comparemus nostram fidem ad Paganismum, inueniemus inter Paganos, esse aliquos, qui multos Deos collunt, vt Gentiles, & Idololatræ, qui contra rationem euidenter peccantes, ab ipsis approbantur suæ superstitiones. Alij, & si vnum Deum agnoscant, sed non glorificauerũt, sicut Deum, aut gratias egerunt, sed errarunt circa ipsius prouidentiam, & circa veram beatitudinem, & in alios errores sunt prolapsi, vt dicit *Paul. ad Roman.* 1. Alij vt Mahometani, & si vnum Deũ, se collere, profiteantur, admittunt tamen multa contra rationem naturalem, valde turpida, & detestanda: videatur noster *Medin. lib.* 1. *cap.* 4. vbi ostendit multas euidentes contradictiones in Alcoramo, & inconstantias, quæ ostendunt incredibilitatem eius. Præterea, quia Mahomath, Author talis sectæ fuit homo imprudentissimus, superbus, & multis vitijs deditus. Quare nec fidem humanã meretur; & similiter multi antiqui Philosophi.

253 Si autem ad Iudaismum comparatio fiat, in quo admittitur vetus testamentum, & prophetiæ, quæ cum euidenter constet esse adimpletas illas, quæ de Messia venturo loquuntur; euidẽter sequitur, Iudaismum nullam habere credibilitatem, sed maximam esse perfidiam, ortam ex eorum cæcitate. Demũ si fiat comparatio ad hæreticorum sectam, inueniemus, sectas hæreticorum esse inconstantes, multa irrationabilia habentia, & praua ac nouiter inuenta: tollunt enim necessitatem gratiæ, liberum arbitrium Deum Authorem peccati esse dicunt, peccataque non imputari hominibus, & ad salutem fidem sine operibus sufficere dicunt, quæ irrationabilia sunt manifestè, & reprehensibilia: ergo incredibilia; quia nullo motivo honesto possunt fulciri, sicut

cut fidei Catholicæ Christianæ, & Apostolicæ mysteria fulcita maneat, supraiactis motivis, quæ breui calamo perstrinxit, *Aug. relat. contra epistolam fundamenti, cap. 4.* exquo desumpsit *Scot.* & nos ex illis.

254 Ex quibus demonstratio efficitur, qua nostræ fidei mysteria fiant euidenter credibilia. Doctrina quę per se, est valde consentanea rationi, excelētiæ diuinæ, bonisque moribus, & innumerabiles habens testes fide dignissimos, illam miraculis, & prodigijs confirmantes, ita vt mundi potentia prævalere non potuerit Dæmonum adiutorio contra eam, & euidenter perfectior cæteris doctrinis, aut sectis, credibilis est, & illam non credere est contra rationem, sed talis est doctrina nostræ fidei Christianæ Apostolicæ, & Catholicæ: ergo est credibilis, & illam non credere est contra rationem, consequentia est euidens; maior similiter per se patet: minor autem etiam est euidens, & certissima ex dictis: ergo mysteria fidei sunt euidēter credibilia.

255 Sed obijcies: si mysteria sunt euidenter credibilia: ergo, si proponantur, nullus potest ab eis dissentiri: at hæretici dissentiunt; ergo. Respondeo, quod hæretici distrahuntur, & sua cōtumatia non attendunt ad motiva, sed suas conueniētias quærentes, apparentes euasiones quærunt. Dices: ergò fidelis credens ponderando motiva fidei, non meretur; quia necessario assentitur. Respondeo, quod in exercitio assentiendi est sufficiēs libertas ad meritum: quia potest voluntas velle non assentiri, seu assensum suspēdere, aut quod intellectus diuertatur ad alia motiva. Dices: ergo euidenter sunt vera mysteria nostræ fidei, sed non sunt euidenter vera: ergo neque euidenter credibilia. Respondeo, quod ex euidentia credibilitatis non sequitur euidentia rei in se, vt posteà commodius dicemus disp. 2. dum assensum fidei cum euidentia in attestante componamus. Interim verò distinguo: sunt euidenter abstractiuè vera, concedo; euidēter intuitiuè, nego: & hoc foret inconueniens: quia secundū aliquos, cum hac euidentia non stat simul fides.

256 Inter Catholicos autē nihilominus est controuersia: vtrùm hæc euidentia sit physica, methaphysica, vel solum moralis? *Hurt. Salmant. disp. 22. sect. 1.* dicit esse physicam hanc euidentiam credibilitatis mysteriorum nostræ fidei: sed se contradicit, quia *disp. 26.* id negat; docens, ex miraculis non consurgere euidentiam credibilitatis in attestante, quæ est euidentia physica.

257 Quare dicendum est, esse tantum euidentiam moralem

lem frequēter loquendo. Ita intelligo ſententiam iſtam communem ex omnibus tam antiquis, quàm Recentioribus Scholaſticis, vt ſequitur *Caſtillo diſp. 5. q. 2. n. 7. Felix cap. 6. diff. 2.* & probatur: quia ſi eſſet phyſica, eſſet à priori, vel à poſteriori teſtimonij diuini: non primo: quia reuelationis ſolum es cauſa diuina voluntas, ſed non cognoſcimus voluntatem Dei fuiſſe cauſam teſtimonij, aut reuelationis phyſicæ: ergo: neque à poſteriori: quia nullus eſt effectus, qui ita oriatur à diuino teſtimonio, vt per illum phyſicè cognoſcamus reuelationem: ergo. Miracula enim oriūntur ab omnipotētia, vt à cauſa. Sed contra: quia licet oriantur, quantum ad entitatē, ab omnipotentia, tamen, quoad credibilitatem, oriuntur à reuelatione: ergo ſi phyſicè videntur, & cognoſcūtur, euidētiam phyſicam à poſteriori inducunt credibilitatis myſteriorum. Reſpōdet *Felix*, quod miracula patiuntur plures difficultates: nam, qui videt illa, non cognoſcit, eſſe vera, neque quo fine fiāt; v.g. reſurrectio Lazari non ſcitur, an vt teſtificaret articulum de reſurrectione mortuorum, vel articulum de vnione hypoſtatica, & de aduentu Meſsiæ, vel vt Chriſtus acquieſceret orationibus ſororum Lazari. Sed contra: demus caſum, quod ſorores peterent illud miraculum in cōfirmationem veritatis de reſurrectione mortuorum, & in confirmationem fidei debitæ tali articulo: tūc phyſicè videtur miraculum, & ſecundum *Scotum in 3. diſt. 23. §. De primo certum eſt*: Deus non operatur miraculum in confirmationem doctrinæ falſæ: ergo tunc euidentia phyſica ille articulus eſt credibilis. Reſpondet *Felix*, quod miraculum non eſt effectus phyſicus reuelationis, ſed tantum ſignum morale reuelationis, & ex ſigno morali, ſolum moraliter colligitur ſignatum. Sed contra: quia miraculum eſt loquutio Dei: nam ex *Aug. epiſt. 44. q. 6. Deus mirabilibus loquitur*: ergo qui phyſicè videt miraculum, phyſicè videt reuelationem: ergo. Patet; quia hoc eſt videre in atteſtante myſterium. Reſpondet *Felix*: ſe libenter fateri conſequentiam, dū videns miraculum nullam tergiuerſationem habeat de illo; cui acquieſco: & propterea dixi in concluſione frequenter loquendo; nam taliter poteſt motivum reſtringi, quod faciat euidentiā phyſicam credibilitatis.

258 Sed obijcies: euidentiæ morali poteſt phyſicè, ſubeſſe falſum, ſed credibilitati myſteriorum fidei non poteſt, ſubeſſe falſum: ergo iſta euidentia eſt pluſquam moralis, & phyſica. Reſpondeo: quod euidētiæ morali, ex præiactis motivis, non poteſt phyſicè, ſubeſſe falſum.

In-

259 Inquires hic: Mysteria nostræ fidei sunt euidenter credibilia fide humana, vel diuina? Respondeo; esse euidenter credibilia fide diuina. Ratio est: quia sub illis motivis ita euidenter manent credibilia, quod assensui circa talia obiecta non possit falsum subesse: ergo euidenter sunt credibilia non fide humana; quia omnia motiva, quibus fides humana nititur, non sunt ita efficatia, quod assensui præstito ex illis non possit falsum subesse. Et si objicias: non est euidens, dari, vel posse dari homini fidem infusam: ergo neque est euidens, aliquod obiectum credibile esse per fidem infusam. Respondetur: quod licet homini non sit euidens euidentia methaphysica, aut physica naturali, dari', vel posse dari fidem infusam, quia est obiectum merè supernaturale, tamen datur euidẽtia moralis de ipsa: & hoc sufficit, vt omnia obiecta nostræ fidei sint euidenter credibilia fide infusa.

260 Ex dictis infero omnẽ aliam sectam, esse non solum euidentia morali, sed physica, & methaphysica incredibilẽ: imo neque probabiliter, nec prudenter credibilem: quia omnis alia secta euidenter continet multa falsa, & contraria lumini rationis. Vnde supposita euidẽti credibilitate mysteriorum fidei, & alijs circunstantijs requisitis ad honestatem actus moralis instat necessaria obligatio credẽdi talia mysteria: & oppositum faciens posśitiuè, peccat contra præceptũ fidei supernaturale, & contra rationem naturalẽ. Tandem inquires: quodlibet illorum motivorũ probat hanc euidentiam credibilitatis? Respondeo, quod fere omnia sigillatim probant, sed multo magis omnia simul sumpta.

Sectio 3. *Vtrùm ad prudenter credendum requiratur in omnibus euidens credibilitatis iudicium?*

261 *Qui cirò credit*, ait, *Ecclesiast. 19. Leuis est corde*; & sic vt prudenter credamus fide diuina, necessarium est, vt obiectum proponatur, vt credibile. Hoc posito *Canus* dicit, solum requiri in communitate Ecclesiæ euidentiam credibilitatis, non verò in singulis omnibus membris eius. *Valencia, & Pitig.* dicunt, sufficere, quod hoc iudicium euidens sit in potẽtia proxima in omnibus fidelibus, non verò esse necessarium, quod sit in omnibus expressum: ita *Torres disp. 7. dub. 7. Suarez disp. 4. sect. 5 num. 8. Lorca disp. 16. memb. 4.* & alij cum *D. Thom. Caiet. Bañez, Zumel, & Aragon*, in omnibus fidelibus requiri absolutè affirmant, sed distinguntur aliqui illorum asserentes hanc euidentiam,

tiam, habere aliquos fideles ab habitu: alij verò dicunt, requiri iudicium interibile ex suprà positis motivis, non verò illatum actu ab eis, quod videtur incidere in sententiam Valenciæ, Turriani, & Pitigiani, & est opinio nostri *Castill. disp 5. q. 3. Felix* autem impugnans *Castil. dif. 3. cap. 6.* dicit in omnibus fidelibus requiri tale iudicium secundum capacitatem cuiuscumque: quod mihi videtur parum, aut nihilo in re differre à Castillo.

262 Ego verò, distinguendo de fidelibus, existimo omnes istas sententias probabiles. Et quidem puer inter Christianos baptizatus, cum peruenit ad rationis vsum, verè credit; & tamen nec percipit hanc credibilitatis euidentiam, neque est capax illius. Et similiter infidelis, cum primo ei prædicatur fides, sine nouis miraculis per solam rationabilem prædicationem, non percipit istam euidentiam; & tamen verè credit, dum ad fidem conuertitur: aliàs malefecerunt Ministri Euangelij admittendo ad baptismum illos, qui incipiunt credere. Respectu verò corporis Ecclesiæ non est dubitabile, quod sit tale iudicium credibilitatis ad prudenter credendum.

263 Nihilominus tamen sententiam Patris Felicis, vt ab ipso traditam, iudico probabiliorem, & sequendā ex Suario, & Lorca citatis: scilicet in singulis fidelibus requiri actuale iudiciū euidens, siue sine hæsitatione, credibilitatis plusminusvè intensum pro capacitate cuiuscunque, aut motione supernaturali ex priuilegio Dei supplente, in capacitatem naturalis discursus ad inferendam credibilitatem euidentem ex omnibus motivis. Rudes enim, & pueri, licet per se non sint capaces immediatè euidentiæ credibilitatis speculatiuæ, sicut homines periti, & docti, prouectique discursus, sunt tamen capaces eius practicè, & mediāte fide humana de miraculis, & alijs testibus, ac testimonijs huius fidei: maximè ex multitudine sanctorum, & quia omnia, quæ vident, sunt rationi consentanea, & semper ad hoc iubantur interna Dei illustratione; quod sufficit, vt prudenter apprehendant, & iudicent, obiecta nostræ fidei esse euidenter credibilia, & nulla hæsitatione eis assentiantur.

264 Probaturque eleganti ratione: quia assensus fidei in quocunque indifferenter sit, est actus virtutis: ergo debet regulari, & dirigi à prudenti iudicio, dictāte illud obiectum, cui assentitur, esse euidenter credibile, & dignum, vt illi assensus præstetur.

265 Sed obijcies: ad actum virtutis sufficit iudicium probabile de honestate operis: ergo vt fi-

fide diuina credamus, sufficit iudicium probabile de credibilitate obiecti. Respondeo negando consequentiam. Discrimen est, quod virtutes morales sumunt suam honestatem per conformitatem ad iudicium practicè verum, quod compatitur cum formidine oppositi: at verò fides diuina suam honestatem summit per conformitatem ad iudicium speculatiuè verum, quod non compatitur cum formidine oppositi, neque cum hæsitatione; Argumenta secundæ sententiæ manent sufficienter soluta.

Sectio 4. *Vtrùm iudicium euidens credibilitatis oriatur ex lumine fidei infusæ?*

266 NEgatiuam partem tenent communiter Authores, *Suarez disput. 4 section. 6. num. 2. Lorca disput. 26. memb. 4. num. 23. Castillo disput. 5. quæst. 4. num. 7. Lugo disput. 5 sect. 3. num. 39. & disput. 11 sect. 2. num. 24. Pater Felix cap. 6. diff. 3. & 4.* Hæc sententia probatur primo. Quia in euidentia credibilitatis non relucet ratio formalis obiecti fidei, sed habitus non potest ferri extra suum obiectum formale: ergo neque iudicium circa euidentiam credibilitatis potest elici ab habitu fidei. Maior in qua est difficultas, probatur à Suario: quia ratio formalis obiecti fidei est authoritas diuina obscurè reuelans, sed ista euidens credibilitas, non reuelatur à Deo, sed sumitur ex signis per experientiam cognitis: item nõ est obscura, sed clara: ergo non relucet in ea ratio formalis obiecti fidei: ergo neque actus iudicij circa eã elici potest ab habitu infuso fidei.

267 Hac ratione vtuntur nostri, *Castillo, & Felix* citati; sed ipsa falsa videtur, & ipsorum doctrinæ contraria. Patet, secundum *Suarez, Lorca, Felicem, & Castillo*, mysteria nostræ fidei sunt euidenter credibilia fide diuina infusa: ergo incredibilitate hac relucet ratio formalis obiecti fidei: aliàs non essent credibilia euidenter fide diuina. Et confirmatur: quia ferè omnia illa supra relata motiva eo tendunt, vt demonstrent, mysteria nostræ fidei esse reuelata, & testificata à Deo: ergo credibilitas ista euidens continet in se sufficienter rationem formalem, obiecti formalis fidei. Deinde contra Castillo arguo. Secundum ipsum habitus fidei se tenet ex parte obiecti ex *Scot.* quia infundendo habitum Deus reuelat credibilia, sed iudicium hoc oritur saltim ex credibilibus: ergo saltim, vt ab obiecto oritur iudicium hoc ab habitu.

268 Secundo probant suam sententiam. Quia habitus fidei est obscurus: ergo nequit esse principium assensus euidentis.

Ita

Ita arguit *Felix* ex *Suario num.3*. Sed contra: secundum istos authores iudicium euidens credibilitatis est necessarium in omnibus fidelibus ad assensum fidei: ergo assensus fidei est etiam euidens moraliter, & eadem euidentia qua iudicium: ergo licet habitus sit physicè obscurus, potest tamen esse euidens moraliter, & sic influere in hoc iudicium moraliter, & non physicè euidens.

269 Tertio arguunt *Suarez*: hoc iudicium credibilitatis non est actus credendi, sed dispositio prævia ad actum credendi, sed solum actus credendi elicitur ab habitu: ergo. Et confirmatur primo: alias ad illud iudiciū requireretur aliud, & tunc esset eadem difficultas, & processus in infinitum. Secundo quia hoc iudicium concipitur per humanū discursum, ergo non oritur ab habitu fidei, nec potest esse actus credendi. Tertio confirmat *Felix diff.* 3. quia qui credunt ante infusionem habitus habent tale iudicium, & euidentiam: ergo non oritur ex habitu, siquidem talis habitus non existit. Quarto confirmat *Lorca*. Quia puer nutritus in sylvis habet habitum fidei, & tamen non habet euidentiam credibilitatis, quia perueniens ad statum vsus rationis non distingueret, quę obiecta essent credenda, & quæ non, si argumentis exterioribus non instruatur. Quinto: quia iudicium euidentię credibilitatis nō est ita certum, sicut assensus fidei: ergo non oritur ex habitu. Patet cōsequētia: quia habitus fidei semper operatur cum eadem certitudine: antecedens verò ostenditur: quia illud iudicium fundatur per se in humano discursu, & principijs humano modo cognitis, ex quibus non oritur certitudo suprema, & supernaturalis, qualis oritur ex habitu. Sexto: quiā dubitās de euidentia credibilitatis nō foret hæreticus, sicut, qui dubitaret de certitudine fidei: ergo nō sunt æqualis certitudinis iudiciū, & assensus fidei: ergo nō oritur ab habitu. Vltimo probatur; quia euidētia credibilitatis, quod Roma sit, nō prouenit ab habitu fidei humanę: ergo etiā in præsenti casu, iudiciū euidens credibilitatis mysteriorū fidei nō prouenit ab habitu fidei infusæ. Hæc sunt fundamenta huius opinionis, & apparent valde efficatia.

270 Negatiuam tamē sentētiam tenent *S. Tho. 2.2 q. 1. Ar. 4. & 5. Cajet. Bañez, Aragō, Ferrara*, & plerique Thomistæ. Probant q; primo. Quia habitus opinionis potest generare assensum euidentem, & in euidentem sub diuersa ratione, scilicet sub ratione veri causat assensum probabilem, & sub ratione opinionis, seu probabilis causat assensum euidentem: ergo idem potest habitus fidei; sub ratione cre-

credibilis potest causare assensum euidentem, & sub ratione fidei, & veri assensum obscurū; ita *Bañez*, sed respondent *Castillo*, & *Felix* ex alijs negando antecedens; quia assensus euidens, non causatur ab habitu opinionis, sed ab habitu scientiæ; placet solutio, & est adæquata.

271 Secundo probant, & instant. Idem intellectus elicit actum scientiæ, & fidei: ergo, & habitus fidei, siquidem se tenet ex parte potentiæ. Respondet Felix: quod potentia est vniuersalior, & determinatur per habitus quasi ad vnum alias probaretur, quod illo habitu possemus assentiri non reuelatis, nec veris. Dices; quod idem habitus charitatis elicit actus distinctos in specie viæ, & patriæ: ergo etiam habitus fidei potest esse principium actus euidentis, & actus fidei. Respondet Felix esse differentiam, quod vterque actus charitatis habet idem obiectum formale, licet diuersum modum tendendi: at verò fidei assensus, & iudicium euidens credibilitatis habēt diuersa obiecta formalia. Sed contra: quia hoc iudiciū habet pro obiecto formali authoritatem Dei, vt testificantis, & reuelātis credibilia; & ad hoc demonstrandum tendunt præcipuè illa motiua: ergo actus credendi, & hoc iudiciū solū differūt per diuersos modos tendēdi, non verò in obiecto formali.

272 Hoc argumētum semper est mihi difficilè, & roboratur; quia hoc iudiciū ita est speculatiuè verum, vt sine formidine, & hæsitatione quis firmiter assentiatur, mysteria esse credibilia. Taliter (inquit noster *Felix* ex *Suario*, *Lorca*, & alijs cum *Diuo Thom.*) quod si quis dubitaret de credibilitate obiecti posset dubitare de fide, & sic non foret fides supernaturalis: igitur tale iudicium innititur authoritate, reuelatione, & testimonio diuino: ergo in obiecto iudicij cōtinetur ratio formalis obiecti fidei.

273 Confirmatur secundo; quia omne lumen manifestat aliquid euidenter ex ad *Ephesios* 5. sed fides est lumen: ergo sub ratione generali credibilis manifestat saltim sua obiecta materialia, & formale, licet non sub omnimoda propria ratione: sicut lumen visibile imperfectum sub ratione saltim generalissima colorati repræsentat obiectū: & hoc meo videri est, quod voluit *Scot.* quando *dist.* 23. dixit, quod quando Deus infundit habitum reuelat credibilia. Confirmatur tertio: quia habitus fidei discernit hominem fidelem à non fideli: ergo ipse est, qui etiam distinguit obiecta credibilia à non credibilibus: ergo ad iudicium credibilitatis euidens maximè iubat habitus fidei.

274 Fortè propter euadendas

das istas difficultates vtrinque positas *Valencia* dixit *disp. 1. q. 1. punct. 4.* Tale iudicium oriri à prudentia elicitiuè, & impulsiuè ab habitu fidei in homine fideli. Sed reijcitur: quia hoc iudicium non est practicum, sed speculatiuum: ergo à prudentia non elicitur. Præterea: quia prudentia solum habet consultare de medijs, & ferre sententiam de agendis, quod non habet hoc iudicium.

275 Quare *Felix* dicit, quod oritur ex habitu scientifico. Probat cum *Lorca*: quia hoc iudiciũ elicitur per bonam consequentiam, ex præmissis octo argumentis illatã: dicit tamen nõ esse scientificum scientia propriè dicta, & rigorosa à priori, nec à posteriori; aliàs iudicium physicè esset euidens. Sed contra est primo: quia per hoc non satis intelligitur, quis sit iste habitus. Præterea si non est scientificus à priori, nec à posteriori: ergo nullo modo potest appellari scientificus. Præterea iste habitus est Theologiæ; ergo practicus: ergo dictat praxim: ergo hoc iudicium est practicum, & sic oritur à prudentiæ habitu, quod negat *Felix* contra *Valentiam*.

276 Quapropter in fine illius quartæ difficultatis affirmat noster *Felix*, quod hoc iudicium imperatur à virtute prudentiæ ex *Scot. in 4. dist. 14. q. 2.* addens habitum fidei etiam iubare impulsiuè ad hoc iudicium, vel saltim per modum dispositionis subiecti, vt ait *Suar. num. 4. Exponendum Diuum Thomam*, vel tãquam vnum ex motivis iubans ad talem euidentiam iudicij.

278 Ita manent vtrinque probabiles istæ sententiæ, vt certum iudicium non audeã proferre. Qui voluerit tenere secundam, potest respondere ad argumentum tertium *num. 269.* allatum contra eam: negando minorem loquendo in hominibus iam fidelibus, in quibus magis probabilem iudico secundam sententiam, neque exinde video processum in infinitum. Ad secũdam confirmationem: negatur, hoc iudicium elici solum ab humano discursu; nam elicitur ab humano discursu per motiva supernaturalia: imo secundum *Suarez*, *Felicem diff. 3. in fine*, & alios, per specialem illustrationem gratiæ; quoniam hoc iudicium est sancta cogitatio inducens ad assensum fidei, quæ sine gratia Dei haberi non potest. Ad tertiam confirmationem: respondetur, solum probare illam primam euidentiam non oriri ab habitu, non verò probat, esse impossibile, vt oriatur. Ad quartam dici potest, quod ille puer habet euidentiam habitualiter, non verò actualiter, vsque adveniat exterior propositio obiectorum, & motiva persuadẽtia credibilitatẽ; sed hoc nõ tollit, quominùs, illis propositis, euidentia credibilitatis oriatur ab habitu.

279 Ad quintum negatur antecedens; & videtur ita debere fateri Authores oppositæ sententiæ, supposito, quod mysteria nostræ fidei sunt euidenter credibilia fide diuina: ergo euidentia est ita certa, sicut est certus actus fidei. Ad probationem antecedentis iam respondi immediatè supra num. antecedēti. Ad confirmationem posset negari antecedēs, supposito, quod sint, etiam motiva, persuadentia credibilitatem, rectè posita: imo dubitans de certitudine actus fidei, eo est, quia dubitat de credibilitatis euidentia, seu de certitudine credibilitatis. Et tandem negatur, quod euidentia credibilitatis, quod Roma sit, non oriatur ab habitu fidei humanæ.

280 Qui verò voluerit tenere cum prima opinione: respondere potest ad argumenta eius, vt ibi responsum est. Ad illud difficile de *n.* 271. potest dici, quod obiectum formale illius iudicij, non est authoritas Dei reuelantis, sed connexio illationis, seu consequentiæ cum præmissis, & extremorum cum medio, quāuis materialiter respiciat authoritatem Dei reuelantis, & testificantis, vt medium ad inferendam consequentiam. Ad primam confirmationem *n.* 272. positam respondetur (sed difficilè) fatendo, quod siquis prudenter dubitaret de credibilitate, prudenter dubitare posset de fide: sed nego posse prudēter dubitare de credibilitate mysteriorum fidei. Et si instes: ergo ita certum est iudicium, ac actus fidei, & ita sine adhæsione iudico obiectum esse credibile sicut illi assentior fide: solutionē quære. Ad secundam confirmationem positam *n.* 273. Respōdetur, quod habitus fidei dicitur lumē, in quātū proportionat intellectū in supernaturaliter operando circa obiectum, non verò in manifestando obiectum euidenter: quia habitus fidei, si manifestat obiecta, obscurè tātum, non verò euidenter manifestat, sicut manifestat lumen visibile imperfectum, qui est eiusdem speciei cum lumine perfecto: & cum dixit *Scot.* quod infusio habitus est reuelatio credibilium, debet intelligi respectu actus credendi, non verò respectu iudicij euidentiæ credibilitatis. Ad vltimum distinguo consequens: per actum obscurum concedo, per actum euidentem nego.

281 Quæres hic. Hoc iudicium est supernaturale? *Felix cap. 6. diff. 5.* cum *Suario* dicit solum esse naturale. *Ioannes verò de Ripalda disp. 49 sect. 4.* dicit esse supernaturale quoad substantiā. *Ægidius autem Conhinc.* dicit esse supernaturale quoadmodū. Quę sententia mihi magis probatur: quia existimo magis, verum, ferè semper, aut semper, prærequiri auxilium gratiæ, non solū externæ protectionis, aut ordinis naturalis, sed supernatura-

lis

lis ordinis ad illud eliciendum: & inclinatur *Lorca disp. 16. membr. 4. in fin. n. 23. & membr. 3. n. 14.* vbi dicere videtur, quòd hoc iudicium sit euidentia diuini testimonij; & confirmari videtur etiam ex *Trid. sess. 6. cap. 6.* dicẽte; *dum excitati diuina gratia, fidẽ exauditu concipientes liberè mouẽtur in Deum credentes vera esse reuelata à Deo.*

282 Probaturque primo: quia obiectum materiale iudicij est mysterium supernaturale, ad cuius cognitionem requiritur gratia, & illustratio supernaturalis, quanto magis ad euidentiã credibilitatis. Respondet *Felix:* solum probari, apprehensionem mysterij, esse supernaturalem, non verò iudicium. Sed cõtra: quia ad tale iudicium requiritur apprehensio mysterij: ergo de primo ad vltimum sine gratia non potest fieri tale iudiciũ: ergo saltim quoadmodum est supernaturale. Secundo probatur. Quia tale iudicium dirigit ad finem supernaturalem: scilicet voluntatem imperantẽ actũ fidei: ergo est supernaturalis. Respondet *Felix*, quod dirigit, sed non supernaturaliter. Sed ista solutio videtur voluntaria: quia ad supernaturalitatem quoadmodum sufficit quod dirigat in finem supernaturalem, scilicet illam voluntatem imperantem actum fidei supernaturalem.

283 Sed obijcit *Pater Felix*; tale iudicium elicitur ab habitu scientiæ: ergo non est supernaturalis vllo modo. Respondeo: quod, nisi fingatur, nullus est habitus scientiæ, nisi à priori, vel à posteriori; & secundum *Felicem*, à simili habitu non elicitur: elicietur ergo ab habitu fidei, vel ab auxilio supernaturali. Obijcit secundo *Felix*. Habet obiectũ naturale; scilicet præmissas, & supra facta argumenta: ergo non est supernaturale hoc iudicium. Respondeo negando antecedẽs.

284 Obijcies pro *Ripalda*. Imperium credendi est supernaturale quoad subsãtiam: ergo etiã hoc iudicium: quia actus intellectus, & volũtatis debent proportionari. Respondeo, quod antecedẽs non est omnino certũ, sed admisso; nego consequentiam. Ad proportionem enim sufficit supernaturalitas quoadmodum: præterquam quod hoc iudiciũ non est proximè dictans actum credẽdi, sed est magis speculativũ, sistẽs in euidẽtia credibilitatis: in quo decepti sunt *Ripalda, Lugo disp. 10. sect. 1. & 2.* nõ benè exponẽtes Conciliũ Arausicanũ secundũ *can. 7. & Celestin. epist. 1. ad Episcopos Galliæ, c. 9. & Cõcil. Mileuitanũ can. 4. & Aug. lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 8. & 13.* nam sua argumenta si aliquid probant, probãt de iudicio practico, hic, & nũc, nõ verò de nostro iudicio præsenti, quod dicimus esse speculativum.

Sect. 5. *Vtrùm sit aliqua regula infallibilis, infallibiliter obiectum Fidei proponens?*

285 DVplex potest distingui regula proponens fidē: vna est proxima: scilicet Prędicator, Doctor, vel Sāctus Magister, Parochus, &c. qui fidem docent, & suadēt. Altera verò est remota: scilicet in qua verbū Doctoris solet fundari, vt Scriptura Sacra, Conciliū, Pōtifex, &c. Suppono secundo, quod proximè proponens fidem, ex se, non est infallibilis authoritatis, & veritatis (vt potè est homo) sed ex accidenti; quia fundatur in remoto proponente, scilicet in doctrina Cōciliorum, Ecclesiæ, Scripturæ, vel Sūmi Pōtificis, aut in miraculis: ita *Suar. disp. 5 sect. 2.* Hoc supposito certū est apud omnes, quod in Ecclesia est necessaria, & existit aliqua infallibilis regula fidei, infallibiliter proponens obiecta fidei; ita *Suar. disp. 5. sect. 2. n. 2.* & est assertio de fide in Cōcilio *Trid. sess. 4.* tradita: neque eget ad sui probationem authoritate: quia in ea conueniunt hęretici: & si Pagani negent, possunt cōuinci, ex motivis, & signis credibilitatis, vnde oritur infallibilis, & euidens regula fidei. Cuius ratio est: quia Ecclesia Christi Redemptoris nostri, est vna, & in æternum duratura, sed in sua vnitate est talis per vnā fidē, & vnū baptisma, quibus omnia mēbra suo capiti advnantur, & faciunt vnū corpus mysticū: ergo deficiente vnitate fidei deficit Ecclesia: at si non sit aliqua regula infallibilis fidei, deficiet vnitas fidei: ergo necessaria est talis regula; Probo subsumptam, quia aliàs foret necessarium, vt vnusquisque suū placitū sumeret pro regula ad discernendam verā fidē à falsa. Vnde tot essent regulæ, quot capita: & sic tot fides, seu schismata, & inde ortū habuerunt sectæ, hæreses que hæreticorum, qui nunquā in eodē statu permanent, eo quod certā regulā fidei non sibi præfigunt.

286 Et si objcias: Ad assensum fidei sufficit reuelatio diuina, & sufficiens propositio de euidētia reuelationis, sed illa duo possunt cōcurrere absque tali regula: ergo necessaria nō est. Et confirmatur, quia talis regula est quid creatū: ergo ex se non habet infallibilitatē: ergo est invtilis, & sic non necessaria. Confirmatur secundo: quia ante Euangeliū Christi fuit vera fides: imo ante legē Moysis, sed tūc non erat aliqua sensibilis regula fidei: ergo invtilis est talis regula. Respondeo facilè, quod sufficiēs propositio de euidētia reuelationis fit per regulā fidei: & sic, licet in primis credētibus sufficeret reuelatio diuina, & propositio obiecti credibilis, de facto tamēcōmuniter loquēdo requiritur regula infallibilis. Ad primācofirmationē res-

respondeo: quod talis regula est quid creatum connotans diuinam assistentiam, & vt sic est infallibilis. Tertium argumētū, seu confirmatio secunda assumit falsum, vt videbimus.

287 Sed quæres: quot sunt istæ regulæ fidei? & suppono quod *ratio humana, Philosophorū authoritas, historia humana, etiam Ecclesiastica, sententia Scolasthicorum, Theologorum, & sententia Sanctorum Patrum*, non sunt regulæ fidei (quamuis aliqualiter iubāt ad illam) sed ad conclusiones Theologicas comprobādas vtilia media, eo quod authoritas omnium istorum non transgreditur limites authoritatis humanæ. Secūdo suppono: quod regula fidei, prima sui diuisione, alia est animata, & alia inanimata: Animata rursus est triplex, Ecclesia, Concilium, & Sūmus Pōtifex. Inanimata verò duplex est, Scriptura, & traditio. De regula animata agitur tractatu de Ecclesia, Cōcilijs, & Sūmo Pōtifice. Nūc verò solū dicemus de regula inanimata, & dico primo: quod sacra Scriptura est regula infallibilis fidei. Ita quod quidquid in ea continetur, habendū est, vt certum fide diuina, & reuelatum à Deo. Ita omnes Catholici tenēt de fide ex Christi D. testimonijs, *Ioann. 10 Non potest solui Scriptura*, id est, non potest esse mendax, *cap. 5. Scrutamini Scripturas. Illæ enim testimonium perhibent de me.* Et infrà; *Si crederetis Moysi, crederetis forsitā, & mihi, & 1. ad Timotheum 3.* dicitur: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum. Et Petrus in 2. canic. cap. 1.* vocat Scripturam, *firmiorem propheticum sermonem.* Quibus accedunt Concilia, maximè *Trident. sess. 4.* Ratio vera ea est. Quia sacra Scriptura nihil aliud est, quam verba Dei instinctu Spiritus Sancti dictantis scripta, & secundum sensum, & secundum verbum, sed verba Dei sunt regula infallibilis, quia continent eius authoritatem, & veracitatem: ergo etiam sacræ Scripturæ canonicæ. Cōsequentia est legitima, minor est cuidens; maior probatur ex *Matth. 10. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ad Hebr. 1. Olim Deus loquēs patribus in Prophetis. Et Exo. 4.* dicitur Moysi: *Ego ero in ore tuo.*

288 Sed contra hoc aliqua difficilia sunt argumēta: Primū quia Scriptura non est nota, neque certa: nam plures partes eius positę sunt in dubium, & à multis non admissæ: deinde ipsa originalis litera non extat, sed per varia trāsumpta, & diuersas trāslationes peruenit ad nos; in quibus inuenitur maxima varietas lectionum in eadē lingua, & traditionū in diuersis: ergo non potest esse mēsura, & regula credēdi. Secundum: quia sub vno verbo habet plures sensus literales,

& mistico's; ex quibus mistici sensus non faciunt fidem certã; literales autem sunt ambigui, & aliquando litera occidit, aliquãdo verum necessarium est, sensum literæ tenere: ergo non est clara, & perspicua, sed obscura: ergo non est regula infallibilis. Tertium: quia Scriptores canonici aliquando miscuerunt aliqua ex proprio spiritu: v. g. salutationes familiares in Epistolis Apostolorum; excusatio Scriptoris *lib. 2. Machabeorum.* Petens veniam, si aliquid minus digne tractauit; & iuramentum *Paul. ad Galat. 1. Ecce coram Deo, quia nõ mẽtior.* Quintũ his omnibus addo: quod ad cõfirmãdam veritatem nostræ conclusionis, vtimur authoritate ipsarũ scripturarum, & Conciliorũ, & Patrum: ergo ipsa non est regula, supposito, quod indiget probatione mensura, & regula.

289 Ad solutionem horum; omnis doctrina de sensibus sacræ Scripturæ erat tradenda; sed in speciali tractatu, Deo dante, de hoc aliàs agemus. Pro nunc verò breuiter respondetur. Ad primũ dico: Quod tres sunt ordines librorum sacrorum, quidam, de quibus nunquam est dubitatum, quin sint canonici, & sacri: alij, de quibus est dubitatum, non sunt recepti ab Ecclesia, vt *lib. 3. & 4. Esdræ, & lib. 3. Machabeorũ.* Alij verò, aliquando fuit dubitatum, sed iam sunt per Ecclesiam approbati, & in canonem recepti; vt sunt liber *Esther, lib. Iudith. lib. Tobiæ, & 1. & 2. Machab. & lib. Eccles. & Sapient.* cum *Propheta Baruch.* & in nouo Testamento *Epist. ad Hebr. Iacobi, Iudæ secunda. & tertia Ioann. cum Apocalipsi, & 2. Petri.* Vnde ruit efficatia primi argumenti. Ad illud quod additur respondetur: quod *Concil. Trident sess. 4.* declarat, & statuit, vt vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in Ecclesia probata est, habeatur pro anthentica, vt nemo illam reijcere, quoquo prætextu audeat, vel præsumat; & ita habet infallibilem authoritatem secũdum omnes versiones, editiones, lectiones, & translationes omnium linguarum, dum non contrarientur edictioni nostræ vulgatæ, vt inquit etiam Trident.

290 Ad secũdum fatemur, sacram Scripturam non esse clarã, & perspicuam omnibus, sed obscuram, & difficilem, vt cõtestatur Petr. c. vlt. epist. 2. & *Ps. 118. Mirabilia testimonia tua ideo scrutata est anima mea*: propter altitudinem materiæ, & mysteriorum, ac rerum futurarum, quæ in ea traduntur paucis verbis, quod sine mysterio; & prouidẽtia diuina nõ est dispositum, vt ingenia fidelium exercerentur, & fides; velut intelligentia Scripturæ postuletur à Deo iuxta illud *Ps. 118. Reuela oculos meos, & considerabo mi-*

mirabilia de lege tua. Et fatemur habere plures sensus: ex hoc enim solum sequitur, non esse priuato iudicio interpretandam, sed eodem spiritu, quo condita est, intelligenda est, & ita est clara, & regula fidei, vt docet *Trid. sess. 4.* vbi tradit duas regulas intelligēdi Scripturam: prima est iudiciū Ecclesiæ, quod si est definitivū, facit infallibilem; altera est vnanimis consensus Patrum, qui cōsensus facit fidem infallibilem, si vt traditum ab Apostolis confirment Sancti Patres, non verò si tradāt talem sensum, vt proprio ingenio inuentum: esset tamen valde temerarium, contra illos ire. Ad tertium dico: quod licet illud de Epistolis Apostolōrū de *Secundo Machab. & de Paul.* videatur humano spiritu dictum, sub directione tamen Spiritus Sācti dictum est. Ad quartum, & vltimum patet ex dictis, nam si ipsa est regula, non debet regulari per aliam, quā per ipsam, aut alteram eamdem authoritatem habentem, qualis est Ecclesia, Concilium, Summus Pontifex, consensusque Sanctorum Patrū ex traditione Apostolorum cōfirmatus.

291 Dico secundo. Traditiones diuinæ, tam morales, quā doctrinales, includentes aliquid credendum, si perpetuo sint in Ecclesia retentæ, & obseruatæ, etiam si non sint scriptæ, sunt infallibilis regula fidei. Dicitur enim *Psalm. 77. Quanta mandauit Patribus nostris, nota facere ea filijs suis. Et 2. ad Thimoth. 2. Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis;* & infrà: *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermones, siue per Epistolam nostrā. Et 1. ad Corinth. 11.* dicitur: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; cætera autē cum venero disponam*: ideſt tradā, quæ fortè non scripsi: ergo. Cōspirant in hac assertione Concilia, *Trid sessio. 6. Quinta Synodus Constantinopolitana, actione 10. & 7. Synod.* aliàs *Nizenum 2. action. 1.* Patresque quos refert *Suarez disp. 5. sect. 5. num. 8.* Ratio huius est. Quia ante Moysem regula fidei erat traditio non scripta. Et saltim per octo annos lex Euangelij fuit obseruata per traditionē; quia tunc non erat Scriptura noui Testamenti. Quod argumentum contra hæreticos est manifestum: nam ipsi admittūt quatuor Euangelia, & credunt eis, quod nisi traditione regulātur, non potest intelligi: quod enim verbum Dei tradatur per Scripturam, vel sine Scriptura, non variat, nec minuit eius authoritatem, sed traditiones sunt verbum Dei: ergo sicut Scriptura est regula fidei, ita traditio: imo prima regula, quia ipsa est regula Scripturæ.

292 Sed obijciunt hæretici: ergo Scriptura est diminuta ad credendum, & ad vitam conse-

quemdam, sed hoc est contra *Ioann. cap. 20. & epist. 2. ad Timo.* 3. vbi dicitur: Scripturam solam esse sufficientem ad docendum, arguendum, &c. ergo traditio non est regula fidei. Et cõfirmatur: quia Scriptura prohibet, quod ei aliquid addatur ex 4. *Deuterono. & vltimo Apocalips.* Sed traditiones sunt additamẽta Scripturæ: ergo non sunt admittendæ, vt regula fidei. Confirmatur secundo: quia istæ traditiones sunt ab hominibus, sed tales reprobãtur à Scriptura *Isaiæ 29. Matth. 15. ad Galat. 1. & 1. Petr. 1.* ergo non sunt regula fidei. Demum, quia traditiones, ex hominum negligentia, facilè oblibiscuntur, & sunt expositæ mutationi propter varios mores, & opiniones: ergo. Exposita est defectibus repugnãtibus certitudini fidei: ergo non est regula fidei. Etenim multa sunt ab Apostolis tradita, quæ non faciunt fidem: vt sunt contenta in canonibus Apostolorum, quæ referuntur à Clemente, & alia contenta in historijs: ergo, &c.

293 Respondetur facilè negando consequẽtiam: licet enim Scriptura sit verbum abreuiatũ, tamen omnia principalia credẽda continet, & omnia alia saltim implicitè: neque est necessarium, vt omnia explicitè contineret, vt commendaretur exercitium fidei. Ad primam confirmationem respondeo esse verũ de traditionibus Phariseorum, quæ spiritu proprio particulari humano introductæ erant; non verò de traditionibus vniuersalibus perpetuis diuinis. Ad secundam confirmationem respondeo; non omnes traditiones esse ab hominibus tantum: multæ enim sunt diuinæ. Ad vltimum respondetur; hoc tollere authoritatem diuinarum traditionũ: præterquam quod Deus prouidit modum, quo vera traditio in sua Ecclesia conseruetur, & retineatur, sicut prouidit de Scriptura:

294 Restabat nunc de regulis viuis, & animatis differere: vtrum scilicet Ecclesia, Concilium legitimè congregatum, & Summus Pontifex sint regula fidei; sed quia de hoc in speciali tractatu agendũ à nobis est ideo ad illum nos remittimus, ne eadem vis repetamus. Restabat etiam nunc de obscuritate obiecti fidei agere, sed quia in eius examine ferè omnia quæ dicuntur, sunt magis propria de actu fidei: ideo explicationem huius ad sequentem disputationem transferimus, Quapropter dicta sufficiant pro nostra, ac prima disputatione de obiecto fidei diuinæ.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA.

De Actu Fidei Diuinæ.

CAPVT I.

De actibus, qui præcedunt assensum Fidei diuinæ.

Sectio 1. *Vtrùm ad assensum fidei præsupponi debeat fides humana?*

1 *Disputatione præcedenti cap. vltim. sect.* 1. explicuimus, quæ & qualis esse debebat externa obiecti propositio, vt assensus fidei tenderet circa illud. Nunc autem circa præsentem sectionẽ facilis est resolutio. Dico ergo: quòd in communiter credentibus semper præsupponitur assensus fidei humanæ ad assensum fidei diuinæ. Cuius ratio est; quia ad fidem diuinam communiter, & frequenter requiritur externa obiecti credibilis propositio, nõ quidem immediatè à Deo, sed medijs Doctoribus, Prædicatoribus, Parochis, &c. ergo videtur, prudenter loquendo, frequẽter esse necessarium credere, & assentiri Magistris, & Doctoribus, vt obiectis fide diuina credibilibus assẽtiamur. In primis autem credentibus, & in Pontifice definiente, in Patribus assistentibus Concilio, & in homine Docto legente locum Scripturæ nõ est necessarium, vt ad assensum fidei diuinæ, humana fides præcedat. Ita communiter tenent omnes Doctores; *Lorca disp.* 4. *Suarez disp.* 3. *sect.* 12. *n.* 13. *Vazquez* 1. 2. *disp.* 201. *Felix c.* 7. *diff.* 3. qui optimè refutat nostrum *Franciscum del Castillo disp.* 6. *q.* 2. *n.* 7. dicentẽ, quod certitudo, & firmitas fidei infusæ ex parte obiecti materialis terminatiui sumitur à testimonio humano. Hoc quidem dictum falsum est. Primo: quia assensus fidei nõ habet certitudinẽ, nec firmitatem, aut infallibilitatem ex obiectis terminatiuis, seu materialibus; sed omnẽ suã certitudinem sumit, & infallibilitatẽ ab obiecto formali, vt colligitur ex latè dictis *disp.* 1. Secundo: quia apertè est contra *Scotum in* 3. *dist.* 23. §. *Ad quæstionem*. dicentem: *Quia nõ potest esse à fide acquisita firmitas assensus, quia fide acquisita nullus credit alicui, nisi quem scit, posse falli, & fallere; quia iam fides infusa dependeret ab acquisita*: vt dixit §. *Cõtra si fides, lit. E.* Displicet etiam *Vazquez* qui in suo *n.* 6. ait: quòd infusa fides sequitur ex natura rei ad humanam: nam posita fide humana est liberũ, assensum fidei diuinæ præstare: ergo. Aliàs naturaliter posset, quis esse certus

tus de sua fide infusa, quod ipse loco citato negat.

Sectio 2. *Vtrùm ad assensum fidei prærequiratur positivus, directusque actus voluntatis imperans ipsum; an verò non contra motio sufficiat?*

2 SVppono *ex Scoto in 3. distin. 23. §. Contra quia sic dicendo*; quod actus fidei est liber, ex *Aug. Homil. 26. in Ioannem*, dicente: *Cætera potest homo nollens, credere autem non nisi volens*: & *Concil. 4. Toler.* dicit; nō esse cogendos infideles ad fidem: *Quia fides debet esse libera*: & *Trident. sess. 6. cap. 6. Dicit dum excitati diuina gratia fidem exauditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ à Deo reuelata sunt.* Vnde videtur, quod ex Tridentino iudicium credibilitatis oritur ab habitu, vel ab auxilio gratiæ supernatutalis.

3 Hoc posito Franciscus de Marchia apud *Gregorium quæst. 1. art. 4.* & *Okamū q. 3. prolog.* dixit: intellectū nō requirere aliquam determinationē voluntatis, neque directū, neque indirectū imperium ad credendum fide diuina: referturque pro eadem sententia *Holcot in 1. quæst. 1. art. 6. dub. 1.* Thomistæ autem cum *Sancto Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 4. & quæst. 2. art. 1. ad tertiū*, sequunturque *Suarez disp. 6. sect. 6. n. 5. 6. & 7. Lorca disp. 12. & Lugo disp. 10. sect. 1. à num. 3.* dicunt; quod positis motiuis inducentibus euidentiam credibilitatis mysteriorum, prærequiritur ad assensum fidei actus positivus voluntatis imperātis actum credendi fide supernaturali: eandem sententiam docet *Alexand. Alensis 3. part. quæst. 68. memb. 8. art. 1. D. Bonauent. in 3. dist. 23. art. 9. quæst. 2. Ricard. quæst. 1. Durand. dist. 24. quæst. 3. Valencia Conhinc, vterque Hurtado*, & alij.

4 Scotistæ verò ut nostri *Felix cap. 7. diff. 3.* & *Castillo disp. 6. q. 3.* dicunt: quòd positis motiuis inducentibus euidentiā credibilitatis mysteriorum solum requiritur actus voluntatis positivus directè imperans assensum, & iudicium, euidentiæ credibilitatis: & hoc iudicio posito, non est necessarius alius actus directus imperans assensum fidei, sed sufficit quod voluntas non cōtra moueat, quia per hoc interpretatur, velle voluntatem assentire, & vt sic assensus fidei est sufficienter liber. Sequuntur *Vazquez 1. 2. disput. 136. cap. 2. num. 14. & 2. 2.* in manu scriptis, *quæst. 4. art. 2.*

5 Salua pace Scotistarum: videtur mihi, posse componi, & cōciliari tres istas opiniones. Pro quo suppono, quòd assensus fidei infusæ potest dupliciter cōsiderari: vno modo secundùm sua intrinseca prædicata essentialia præcisè: Secundo, vt est liber

ber, meritorius, & dispositio ad iustitiam, seu iustificationem. Et rursus secundùm istum secundũ modum potest dupliciter spectari: primo secundùm frequentem modum operandi. Secundo: secundùm extra ordinarium, & minus vsitatum.

6 Hoc posito dico primo: Ad assensum fidei diuinæ, consideratum secundum suam essentiam, & intrinseca prædicata, non est necessarius aliquis actus, positivus voluntatis, qui directè moueat intellectum ad fidē acquisitam, & in directè ad assensum fidei infusæ, sed ad vtrumq; assensum sufficit motio interpretatiua, & in directa voluntatis. Hanc conclusionem teneo cum Authoribus primæ sententiæ: & illam probo primo sic. Deus potest se solo infundere assensum fidei diuinæ, & assensum fidei acquisitæ requisitum (licet non ex natura rei) ad assensum fidei diuinæ, sed tunc nulla motione voluntatis positiua, & directa assentiretur intellectus fidei obiectis: ergo considerando assensum fidei secundùm suam essentiam, & prædicata intrinseca, non prærequiritur actus voluntatis directè mouens intellectum ad ipsum fidei assensum.

7 Probatur secundo: Quia sæpè sæpius nobis non inquirentibus credibilitatem mysteriorũ fidei, præter intentionem, & absque eo quod positiuè velimus, proponuntur argumenta, & motiua inducentia euidentiã credibilitatis mysteriorum fidei quibus argumentis speculatiuè conuincimur, assentiri mysteria esse euidenter credibilia fide diuina, vt fatentur authores secundæ, & tertiæ sententiæ, sed tunc potest intellectus, si voluntas non contramoueat assentiri, quod mysteria fidei sunt euidenter credibilia, & etiam potest, si voluntas non contramoueat, assentiri veritati credibiliũ fide diuina: ergo neque ad assensum fidei acquisitæ, neque ad iudicium credibilitatis, neque ad assensum fidei diuinæ; hoc est ad credendum mysteria reuelata à Deo, seu credibilia vera esse, non est necessaria motio directa, & positiua voluntatis considerando tales actus secundùm suam essentiam, & intrinseca prædicata præcisè.

8 Consequentia est legitima; maior est sententia Authorum secundæ, & tertiæ opinionis: minorem probo euidenter contra Scotistas. Secundùm ipsos, suppositio assensu, & iudicio de euidentia credibilitatis mysteriorum fidei, ad assensum fidei infusæ, non eget intellectus positiua motione volũtatis directa, sed sufficit nõ contramotio: ergo similiter ad iudicandũ, & assentiendum mysteria fidei esse euidenter credibilia, sufficit connexio, illatio, & consequentia

tia ex argumentis deducta, & quod voluntas non contramoueat intellectū ad assensum, seu iudicium: aliàs argumenta nostræ fidei, & motiua non inducerent euidentiam moralē credibilitatis, si ad iudicandum, & assentiendum esse euidēter credibilia, indigerent nostra voluntate: ergo independenter à voluntate nostra, captiuant intellectum ad iudicandum, & assentiendum esse euidenter moraliter credibilia: ergo etiam determinatur sufficienter intellectus, vt assentiatur veritati credibilium, secluſa motione, & imperio voluntatis.

9 Contra Thomistas autem probatur. Quia obiectum intellectus est verum, sed tunc proponuntur mysteria fidei, vt vera etiā si obscure proponantur (*obscurè*, intellige per contrapositionem ad euidentiam physicam, non verò ad euidentiam moralē) ergo mysteria fidei sunt proportionata intellectui. Tunc sic; intellectus est potentia naturalis: ergo proposito obiecto sibi proportionato, proportionatè aget naturaliter: ergo superfluit imperium directum voluntatis ad assensum circa mysteria fidei, siuè per fidem acquisitam, siuè per iudicium credibilitatis, siuè per actum fidei infusæ.

10 Ad hoc argumentum respondet Pater Suarez: quod licet mysteria nostræ fidei proponantur euidenter credibilia, non verò proponuntur euidenter ver.. & euidentia credibilitatis non sufficit ad determinandum intellectum, vt assentiatur mysterijs, vt veris. Sed contra: quia *Dæmones credunt*, ex *Iacob. 2.* necessario, & contra eorum voluntates, seu inuiti; quia habent euidentiam credibilitatis obiecti à se crediti: ergo in nostro casu, independenter ab imperio directo voluntatis, melius creditur, & assentitur. Respondet Suarez; quod illa fides Dæmonum est acquisita, & fundata, non solum in euidentia credibilitatis, sed etiam veritatis saltim in testificante. Sed tunc est contra: ergo ad rationem essentialem assensus fidei, siue acquisitę, siue infusæ, non est necessarius actus voluntatis: si quidem in Dæmonibus datur talis assensus sine directo imperio voluntatis: imò contra tale imperium, seu cum oppositō imperio ad oppositum.

11 Noster Franciscus del Castillo ad nostrum argumentum à *num. 7.* propositum respondet: quòd euidentia moralis nō proponit obiectum verum euidētia physica, sed solum euidētia morali, quæ est euidētia in attestante relinquens obiecti veritatem obscuram, & sic, inquit, non determinat necessario intellectū ad assensum, sicut obiectum assensus scientifici, & ita requiritur im-

imperium voluntatis determinans, & captiuans intellectum, vt assentiatur. Sed cōtra primo. Propter assensum fidei acquisitæ, siuè humanæ, præcedentem assensum fidei non manet obiectum fidei diuinæ euidenter credibile euidentia physica, sed sub eadem obscuritate manet; sed non obstante hac obscuritate ad assensum fidei diuinæ non requiritur directus, & positivus actus voluntatis, sed sufficit non contramotio, vt docent Scotistę: ergo similiter ad assensum fidei acquisitæ, posito quod talis assensus sit diuersus à iudicio euidenti credibilitatis. Secundo argumentor contra nostrū Castillum. Quia obiectum fidei est essentialiter obscurum, sed secūdùm vos, hoc obiectum euidentia morali propositum vt euidēter credibile est obscurum: ergo si voluntas non contramoueat, nihil deest, vt intellectus credat, & assentiatur ei, cum intellectus sit agens naturale, & habet obiectum sibi proportionatum proportionatè applicatum: solutio Patris Felix est eadem, & sic eodem modo refellitur. Prætereà: intellectus posita euidentia credibilitatis non potest dissentiri (vt fatetur *Felix*, ex *Suario*; & *Lorca disp.* 12. *num.* 11. *ad secundum*, cum *Castillo*) etiam si volūtas vellit: igitur tota determinatio intellectus ad substantiam, & intrinseca prædicata assensus fidei, siuè acquisitæ, siuè infusæ necessaria, ab obiecto petenda est, & nō est necessaria determinatio voluntatis intrinsecè. Atque hæc nostra cōclusio est, meo iudicio, expressissima Scoti doctrina, in 3. *dist.* 25. *quæst.* 2. *in* 1. *§. Ad finem*, vbi ait: *Sed contradictionem non video, quin intellectus si fieret mere per se, & haberet obiectum præsens, posset credere sibi præsentato.* Et velint, nollint fateri tenentur nostram conclusionem *Castillo*, & *Felix*; & expressè fatentur, iste *diff.* 4. *cap.* 7. & ille, *disput.* 6. *quæst.* 5.

12 Dico secundo. Secundū frequentem modum operandi fide infusa, seu incredendo mysteria fidei ad assensum fidei infusæ prærequiritur directus, positivus actus volūtatis imperans intellectum ad assensum fidei, vt sit meritorius, & liber talis assensus fidei. Ita intelligo secundam sententiam D. Thom. & Discipulorum eius, & aliorum: nec amplius probare videntur argumenta pro tali sententia ab Authoribus eius allata. Probatur ergo primo, quia frequenter obiectum fidei ita obscurè proponitur, quod non conuincat intellectum: nam pueri, & rustici, hominesque indocti nō ita perfectè callent euidentiam credibilitatis: ergo egent aliquo determinante, scilicet imperio voluntatis, quo se determinent ad assensum fidei infusæ; imò multo-

toties Docti cogitationibus cõtra fidem præmuntur, ita quod, si voluntatis positiuo, & directo imperio non se determinent ad assensum fidei, se exponerent peccandi periculo: ergo frequenter requiritur iste directus voluntatis actus ad assensum fidei. Confirmatur; quia assensus fidei diuinę frequenter est directè liber, & voluntarius: ergo ad assensum fidei diuinæ frequenter requiritur imperium directum voluntatis circa ipsum. Et cõfirmatur secundo: quia assensus fidei frequenter est actus præcepti, & fit ex intentione adimplendi talẽ obligationem: ergo est directè liber, & volitus, seu imperatus directè frequenter loquendo. In quo sensu loquitur *Aug.* citatus *n.* 1. Aliæ rationes, quas ex Scriptura, Patribus, & Concilijs adducit Pater Suarez, solum probant assensum fidei debere esse liberum, vt sit meritorius, & dispositio ad salutem, & iustitiam, non verò probant, requiri, quod voluntas directè actu positiuo moueat intellectum ad credendum fide infusa, quia optimè potest esse meritorius actus per libertatem interpretatiuam. Et idem dico de argumentis, quæ ex Suario, & alijs affert Eminentissim. Lugo *disput.* 10. *sect.* 1. *à num.* 3.

13 Dico tertio. Ad assensum fidei infusæ meritorium disponentem ad salutem, & iustitiam, qui non præsupponit fidem humanam, seu acquisitam, requiritur necessario actus positivus directè imperans ipsum. In hoc dicto omnes conueniunt: & forte ita potest intelligi secũda sententia: & tenet *Scot.* vt optimè notauit noster *Castillo in suo n.* 35 ex quo noster *Felix cap.* 7. *diff.* 3. *§. Ex quibus*; & hanc conclusionẽ maximè probant omnia argumenta secundæ sententiæ.

14 Dico quarto. Ad assensum fidei diuinæ infusæ liberum, & dispositivum ad iustificationem, secundùm modũ extraordinarium, & minus vsitatũ credendi, non est necessaria positiua, & directa motio voluntatis in ipsum, sed sufficit quod volũtas non contramoueat, supposito imperio voluntatis directo, circa fidem acquisitam, vel iudicium de euidentia credibilitatis, vel veritatis mysteriorum fidei. Ita intelligo tertiam Scotistarum sententiam esse veram, & ita intelligo *Scotum in* 3. *dist in.* 25. *q.* 2 *§. Ideò dico.* Nam ibi *Scotus* non negat secundam nostram conclusionem: imò potius illã admittit ibi immediatè dicendo: *Esto quod requiratur motio positiua voluntatis, &c. & q.* 1. *eadem dist. in fine.* dicit: *Quia proponens intellectui credibile, non demonstrat, ita vt cogat intellectũ ad assentiendum, ideò non credit, nisi volens*; vbi Subtilis Doctor loquitur de fide infusa, & de volitio-

tione posſitiua imperãte directè ipsam, non verò de fide acquisita, vt minus benè vsurpat Cattillo, & loquitur Scot. de actu fidei secundum modum operandi communiter, vt ibi dicit ipse.

15 Hanc conclusionem probant Scotistæ: eo quod tota ratio ponendi imperium est, vt intellectus determinetur circa obiectũ obscurè propoposituũ, assentiendo illi, vt verò, sed ad hoc iam est intellectus determinatus per fidẽ acquisitã, ex imperio directo posſitiuo: ergo frustra exposcitur aliud imperiũ, sed sufficit, quod nõ contramoueat voluntas. Et roboratur: quia tale imperium circa actũ fidei infusę, vel esſet necessariũ propter obiectũ materiale, vel propter obiectũ formale: non propter hoc; quia maius est testimonium Dei, quã hominis testimoniũ, sed iã præsupponitur acceptũ testimonium hominũ: imò non præcisſè quatenus testimoniũ hominũ est, sed vt inuoluit testimonium Dei, & reuelationem eius: ergo si intellectus, ex imperio voluntatis, supponitur determinatus ad assensum fidei acquisitæ propter testimonium humanũ, consequenter manet determinatus propter testimonium diuinum, absque indigentia nouæ determinationis, & noui imperij voluntaris directi, & posſitiui, sed sufficiet non cõtra motio. Deinde non propter obiectum materiale; propter eandẽ ferè rationem: quia iam supponitur intellectus determinatus, ex imperio directo circa fidẽ humanam, vel ad iudicium euidentiæ credibilitatis prærequisitæ ad assensum fidei supernaturalem circa tale obiectum materiale.

16 Sed mihi videtur, sic melius probari hæc nostra quarta, & Scoti conclusio. Quia supposito imperio directo posſitiuo, quo determinatur intellectus ad assensum fidei acquisitæ, seu ad iudicium euidens credibilitatis, iam manet intellectus captivus, conuictus, & conclusus, non solũ de credibilitatis euidẽtia morali mysterij fidei, sed etiã de veritate obiecti ita demonstrati, vt cogat intellectũ ad assensum circa ipsum, ita quod nõ posſit, dissentiri ab eo: Vnde si volũtas nõ contramoueat, & in intellectu sit lumen fidei, quod sit habitus, vel auxiliũ, hoc sufficit, vt assensus sit fidei infusæ liber, & meritorius: quia ex illo imperio sufficienter deriuatur libertas in actũ fidei infusæ; necnõ ex non cõtra motione voluntatis, à qua habet, quod sit liber in exercitio, seu libertate contradictionis, nisi fortè dicamus, quod vnũ, & idẽ imperiũ directè respicit actũ fidei acquisitæ, seu iudiciũ credibilitatis, & actũ fidei infusæ, sed per primo ordine quoddã quasi naturæ, actum fidei acquisitæ, seu

seu iudicium credibilitatis, & secundo assensum fidei infusæ: & hoc ordine executionis, nã ordine intentionis, directè tendit primo in assensum fidei infusæ; & ita philosophando melius cõponuntur secunda, & quarta conclusio.

17 Sed contra istam conclusionem obijcies. Assensus fidei infusę, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem est liber: ergo non sufficit ad istum assensum voluntatẽ non repugnare, seu non contramouere, sed requiritur, nolle dissentiri contentũ in expresso velle assentiri, seu assensus. Antecedens probat *Suar. illa sect. 6. n. 5.* quia opposita eadẽ prędicatione Euangelij quidã credunt, quidã nõ credunt, ex *Actor. 17. in fine.* & *Marc. vlt. Prædicate Euãgelium, qui crediderit salvus erit, qui verò nõ crediderit, condemnabitur*: vbi *ly nõ crediderit*, positivũ dissensum significat: & *Paul. ad Roman. 10.* ait: *Non omnes ouediunt Euanglio*: ac si diceret, multi discredunt Euangelio; adhuc posita eadem prædicatione: præmisserat enim Apostolus: *Domine, quis credit auditui nostro?* id est, sonui, & voci nostræ: ergo est liber quoad specificationem. Respondeo stante euidentia credibilitatis, & voluntario assensu fidei acquisitæ, nego antecedens; illis non suppositis transeat, vnde negatur consequentia: nam si hæretici non credunt, ideſt, si discredunt, & Barbari non obediunt est, quia nollũt assẽtiri prędicationi Euãgelij factæ per Apostolos, & alios Sanctos ministros: si enim vellent, sufficeret, quòd voluntas non cõtramoueret ad essensum fidei infusæ: vt sic enim voluntas non habet iam imperium super oppositũ actum, sed potest impedire, ne intellectus exeat in actum per imperium suum, vt dixit *Scotus quæst. 1. dist. 25. in fin.* quod fatetur etiã *Lorca disp. 12. n. 11.* & ipse *Suarez* immemor sui *disp. 6. sect. 6. num. 2. in fine, & num. 8.* aliàs posset voluntas imperare intellectum, vt assentiretur, quòd Astra sunt paria, & quod non sit Roma proposita, vt credibilis, & vera.

18 Sed obijcies: imperium antecedens assensum fidei infusæ est ex gratia, & Spiritus Sancti inspiratione, sed imperium voluntatis ad acquirendum fidem acquisitã, est naturale: ergo præter istud, necessarium est aliud supernaturale imperium. Consequentia benè infertur; minor est expressa *Scoti in 3. dist. 25. quæst. 2. §. Ideò dico*: maiorem probo *ex Concil. Arauxicano 2. can. 5.* dicẽte: *Si quis quemadmodum, & augmentum, ita etiam, & initium, & ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium per gratiæ donum, & inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidẽ* na-

naturaliter nobis ineſſe dicit Apoſtolicis dogmatibus aduerſatur. Et ex *Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.* aiente: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt.*

19 Ad hoc argumentum variè reſpondent Authores, *Vazquez* 1. 2. *diſp.* 186. *cap.* 2. *& tom.* 1. *in* 3. *part. quæſt.* 7. (quem ſequuntur *Puente Hurtado diſp.* 35. *§.* 31. alijque Recentiores, & probabile reputat *Torres diſp.* 46. *dub.* 6.) dicit, tale imperium eſſe ex gratia ordinis naturalis ſecũdùm ſubſtantiam: & de iſta gratia intelligunt, & exponunt Cõcilia. Felix verò reſpondet, quòd talis actus voluntatis eſt ordinis naturalis, & ſine gratia: quia ſolum eſt veluti cõditio applicans intellectum ad credendum fide humana; & Cõcilia nõ loquuntur de iſto actu imperij, ſed de pia affectione, qua voluntas complacet in reuelatis, quaſi optando illa eſſe vera, attendendo ad motiua credibilitatis, & diuertendo ſe ab omnibus, quæ poſſunt, illam remouere à credibilitate. Noſter autem *Caſtillo quæſt.* 6. *num.* 9. dicit, hoc imperium eſſe ex gratia ſupernaturali & per Chriſtũ quãdo cõducit ad iuſtificationem, non verò ſi attendatur ex parte obiecti: & ſic exponit Concilia, & intelligit.

20 Sed quidquid ſit de veritate harum ſolutionum, quibus nõ omnino acquieſco; mihi videtur ſic reſpondere, diſtinguendo minorem (quia maiorem concedo ingenuè conuinctus authoritate Conciliorũ ita expreſſa) eſt naturale per ordinem ad habitum, concedo; per ordinem ad auxiliũ nego: & ſic nego conſequentiam. Licet ergo illud imperium ad acquirendam fidem acquiſitam in directè imperans aſſenſum fidei infuſæ non ſit ſupernaturale ab habitu infuſo in voluntate, eſt tamẽ ſupernaturale, ſaltim quoad modum, ab auxilio gratiæ per Chriſtum, ſcilicet à ſancta cogitatione, qua voluntati proponuntur myſteria fidei, vt credibilia, quæ ſancta cogitatio poteſt eſſe iudicium practicum de credibilitate. Sic intelligo Scotum, quando *diſt.* 25. *q.* 2. dicit hoc imperium eſſe à volũtate in puris naturalibus: ibi enim ſolum excludit habitum infuſum in voluntate; minimè verò excludit auxilium ordinis ſupernaturalis: quod ex titulo quæſtionis ſatis expreſsè colligitur, hoc eſſe intentum Scoti.

21 Dices: illud imperium ad acquirendam fidem acquiſitam aliquando eſt naturale etiam per ordinem ad auxilium: quia Dæmones, *credunt, & contremiſcunt* ſine gratiæ auxilio per Chriſtum: ergo imperium ad fidem acquiſitam ſemper eſt omnino

naturale ; & hæretici similiter habent imperium ad fidem acquisitã, quod semper est omnino naturale : ergo similiter in omnibus hominibus illud imperium directum circa assensum fidei acquisitæ erit ordinis naturalis. Respondeo distinguendo antecedens : si supponat euidentiã credibilitatis omniũ mysteriorum fidei saltim virtualem, nego : si illam non supponat transeat. Dæmones autem credunt non ex imperio suæ voluntatis, sed omni necessitate credunt, adhuc nollentes, & inuiti ; & sic exemplum Dæmonum non est ad rem. Hæretici autem non habent euidentiam, adhuc virtualem, omnium mysteriorum : & sic nihil mirum, quod sine gratia per Christum credant aliqua mysteria fide acquisita ; quia nollendo attendere ad argumenta nostræ fidei, respuunt, habere euidẽtiam credibilitatis mysteriorum, & sanctam cogitationem dirigentem voluntates ad credendum auditui Scripturarum, traditionum Apostolorum, Sanctorum, & Prædicatorum nostræ fidei, ac miraculorum.

22 Ex dictis sequitur primo: quod, supposita euidentia credibilitatis mysteriorum fidei, assensus fidei infusæ solum est liber quoad exercitium, & necessarius quoad specificationem: vtpotè, euidentia supposita, non potest mysterium proponi, vt discredibile: ergo non potest dissentiri intellectus ab eo, etiam si voluntas imprudenter imperet dissensum, nam etiam si voluntas imperet, quod apertis oculis non videã obiectũ præsens non potest non videri: etenim, quod obiectum euidenter credibile sit obscurũ, solũ poterit, facere, vt voluntas imperet omissionẽ assensus, non verò dissensum; quia obiectum nõ est propositum, vt discredibile : imò quando offeruntur intellectui duę opiniones æquè probabiles : vtramque sequitur necessario intellectus ; & si aliquando Thomistæ sequuntur opinionẽ suam minus probabilem, Scoti probabiliori relicta, & ècontra, est quia iam in sua opinione apparet ratio probabilitatis; atverò in obiecto fidei nulla ratio incredibilitatis apparet.

23 Sed obijcit *Suarez disput. 6. sect. 6. num. 5.* Applicatis eisdem motiuis credibilitatis vnus credit, & alter discredit : ergo actus fidei est liber quoad specificationem. Respõdeo, quòd ex culpa subiecti, motiua non applicantur æqualiter: quia hæretici diuertunt se ad motiua suæ sectæ, & sic non consequuntur euidens iudicium credibilitatis. Dices : est præceptum non discredendi : ergo dissensus est liber. Respondeo, quod in hæretico, & in illo qui

sua

ſua culpa nolluit ſcrutare motiua noſtræ fidei, vnde haberet euidentiam credibilitatis myſteriorū, diſſenſus eſt liber, & propter hoc eſt præceptum de non diſcredendo. Dices: ergo ſolum eſt liberum diſſentire, quatenus culpabiliter diuertitur à motiuis noſtræ fidei: ergo non datur ſpeciale peccatum infidelitatis, quia diuerſio voluntaria à motiuis non eſt infidelitatis peccatum formaliter. Reſpondeo, quòd licet ex excæcatione, & culpabili diuerſione à motiuis noſtræ fidei oriri poſsit diſſenſus: tamen quia obcæcatione non obſtante poteſt omitti diſſenſus, ideò diſſenſus, & infidelitatis peccatum eſt directè, & ſpecialiter liberum. Dices: ergo non eſt magis liber aſſenſus fidei, quam viſio, & actus ſcientificus. Patet: quia poteſt omitti viſio, & actus ſcientificus. Reſpondet optimè Felix, negando conſequentiam: nam poſsito obiecto præſenti non poteſt omitti viſio oculis apertis: nec poſsitis motiuis ſcientiæ poteſt intellectus non aſſentiri; ſicut poteſt intellectus omittere aſſenſum, poſsita euidentia credibilitatis, per imperium voluntatis; & ſic in exercitio eſt liber aſſenſus fidei.

24 Sed obijcit Magiſter *Lorca diſput. 12. num. 7.* ergo actus fidei non eſt quoad ſubſtantiam meritorius: quia non eſt liber niſi in quantum voluntariè applicatur intellectus ad conſideranda motiua, vel in quantum voluntas nō imperat, ſeu omittit, imperare omiſsionem aſſenſus. Reſpondeo negando conſequentiam: quia ad meritum in actibus potentiarum naturalium ſufficit illa libertas.

25 Sed obijcit *Hurtado*, quod *Ioannis 2.* dicitur: *Quis eſt mendax, niſi his qui negat, quoniam Ieſus non eſt Chriſtus?* vbi loquitur cum his qui habent euidentiam credibilitatis. Reſpondeo, quòd qui culpabiliter diſtrahitur à motiuis fidei, vt non habeat euidentiam credibilitatis, & negat Ieſum eſſe Chriſtum, mendax eſt: quia voluntariè proponit ſibi, vt incredibile, & diſcredibile, quòd eſt euidenter credibile: & ſic argumentum non eſt ad rem. Nos enim non dicimus aſſenſum fidei ſimpliciter, & in omni euentu eſſe neceſſarium quoad ſpecificationem, ſed ſuppoſita euidentia in atteſtante; qua poſsita, non proponitur myſterium fidei, vt diſcredibile: nam ſi attendat intellectus ad motiua falſa, quibus apparet myſterium diſcredibile culpabiliter; tunc aſſenſus fidei eſt liber, etiam quoad ſpecificationem; & hoc ſolum probat Hurtado authoritatibus à ſe allatis.

26 Sequitur secundo ex dictis. Quod imperium voluntatis indirectum sufficiens ad assensum fidei infusæ, si voluntas non contramoueat, est supernaturale quoad modum; quia oritur ex auxilio supernaturali, scilicet ex iudicio euidentiæ credibilitatis mysteriorum, seu ex sancta cogitatione: & maximè loquendo de fidelibus parvulis, & de rusticis, seu rudibus. Debent hoc fateri omnes: præcipuè Scotistæ, vt supra vidimus. Si autem imperium sit directum, existimo, etiã esse supernaturale quoadmodum, in quantum ordinatur in finem iustificationis: præter quã quod solos habitus per se infusos, & auxilia per se infusa iudico supernaturalia quoad substãtiam. Actus verò ex his habitibus, & auxilijs solum iudico supernaturales quoad modum; vt tenet Scotus, & cum eo plures Scotistæ; sequitur *Caietan. 2. 2. quæst. 17. art. 2. Sotus 2. de gratia cap. 22. Vazquez de Incarnat. quæst. 3. art. 3.* & plures alij, vt videbimus specialiter *cap. 2. sect. 2.*

27 Interim tamen, nõ possum non mirari, nostrum Sapiẽtissimum Felicem, & Castillũ, quam citò inconsequenter loquuti fuerint. Nam dicunt, volitionem credendi assensus fidei humanæ, sufficere ad assensum fidei diuinæ, si voluntas nõ contramoueat, cum nostro Subtili Scoto, & nunc dicunt talem volitionẽ esse supernaturalẽ quoad substantiam: cum dixerint ad talem volitionẽ sufficere auxiliũ gratiæ ordinis naturalis. In hoc enim manifesta repugnantia, & contradictio est, atque in consequentia doctrinæ: ergo vel aliter soluant illas supra relatas authoritates Conciliorum *numer. 18.* positas; vel si ipsis placet illa eorum solutio, *num. 19.* allata consequenter dicere debent, imperium requisitum ad assensum fidei infusæ non esse supernaturale quoad substantiam. Præterquamquod *Scotus dist. 25. §. Ideò dico*: docet: *Esto quod requiratur volitio positiua voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic mouendum in paris naturalibus, dummodo in intellectu sit habitus infusus inclinans ad assensum fidei*: ergo secundùm Scotum, volitio requisita ad actũ fidei est naturalis quoad substantiam, & solũ supernaturalis quoadmodum.

28 Sequitur tertio ex dictis: quod actus fidei potest esse necessarius, non solum de potentia Dei absoluta, infundendo illum in intellectu, sed de facto. Primum tenet *Granados, Torres*, & *Ægidius*, docetque *Scot. quodlibet. 14. §. De primo.* Quia quod dependet efficienter à causis secundis, Deus potest se solo: ergo sine dependentia voluntatis

tis humanæ potest Deus, infundere illum, sed tunc necessario operabitur cū illo: ergo. Imò de facto Dæmones credunt omnino necessario inuiti firmiori, & certiori modo possibili: ergo Deus potest infundere se solo actum fidei firmissimum, & certissimum independenter à voluntate creata: ex quo cessat vis omnium argumentorum, quæ fieri possunt contra hoc corolarium.

29 De facto autem probatur. Quia aliæ potentiæ voluntati subiectæ habent actus primo primos, & in deliberatos: ergo etiam intellectus potest in deliberatè assentiri mysterijs nostræ fidei, sed isti actus sunt omnino necessarij: ergo. Quid enim inconuenientiæ est, quod amens eliciat actum fidei ex habitu infuso in Baptismo? Loquor sub correctione: Concilia enim solū loquuntur de actu fidei meritorio, & disponente ad iustificationem: non verò loquuntur absolutè, & simpliciter; vt satis ex eorum verbis claret.

30 Quærit noster *Felix cap. 7. diff. 4. ante finem.* An actus fidei semiplenè liber sufficiat ad iustificationem? Et negat: quia infidelitas semiplenè libera non sufficit ad perdendam fidem. Sed contra: quia exinde sequeretur, quod quando Scotus dicit nō requiri imperium directum ad assensum fidei infusæ. Sed non cōtra motionem sufficere, debeat intelligi de assensu fidei insufficienti ad iustificationem: quia talis assensus non videtur nisi semiplenè liber: tum, quia non est liber quoad specificationē: tum, quia non est directè liber. Secundo contra est. Ad peccatum sufficit semiplena libertas: ergo ad meritum pravum, & remissum de congruo, si ad sit gratiæ auxilium, eadem libertas sufficiet. Quare infidelitas semiplenè libera non expellit fidem, disponit tamen ad expellendam illā: quia est peccatum, saltim veniale contra fidem: & sic actus fidei semiplenè liber ex auxilio gratiæ per Christum disponit, licet remissè, ad iustitiam.

Sectio 3. *Vtrùm iudicium practicum antecedens imperium sit supernaturale?*

31 DVplex iudicium antecedere videtur, secundùm sententiam communem, ad assensum fidei: vnum est credibilitatis mysterij; & istud videtur magis speculativum, sed quidquid dicant Felix, & alij, & cum ipsis alibi ego, etiam est practicum: quia de se est Theologicum; & cognitio Theologalis est magis practica. Aliud est purè practicū, quo intellectus dictat voluntati, hic, & nunc cōuenire credere, esse consentaneū rationi, bonum, & honestū.

Et de hoc iudicio procedit difficultas: nam de alio iam diximus supra.

32 Et suppono, hoc iudiciũ practicum, non esse simpliciter necessarium; quoniam vt volũtas imperet actum credendi, sufficit sola simplex apprehẽsio honestatis, & bonitatis actus credendi veritati mysteriorum fidei propter authoritatẽ Dei: & hoc, siue ista apprehensio sit simplex ex parte actus, & ex parte obiecti composita, qualis est apprehensio vnius integrę propositionis; siue sit omnino simplex, etiã ex parte obiecti: nam potentia voluntatis est potentia collatiua: ergo potest cõparare inter se terminos sibi simpliciter propositos, quãto magis appetere cõplexionem terminorum simplici aprehensione propositam: est tamen necessarium, vt cordatè, prudenter, & no ex leuitate cordis credat, seu imperet credere mysterium fidei.

33 Hoc posito. Felix dicit esse supernaturale quoad substantiã, citat pro se *Suarez*, sed fallitur apertè; quia *disput. 6. sect. 8. n. 12.* dicit *Suarez* esse naturale secundùm substantiam. *Castillo* autem dicit, quod si hoc iudicium sit, sicut opportet, est supernaturale: si verò nõ sit sicut opportet, nullo modo est supernaturale; verũ diminutissimè processit *Castillo*, quia non determinat; an sit supernatutale quoad modum, an verò secundùm substantiam.

34 Mihi verò placet sententia Suarij, quod istud iudicium in sua substantia est naturale supposita euidentia credibilitatis, & speculatiuo iuditio de tali euidentia. Ita tenent *Okam quodlibet. 4. q 10. Gab. distin. 24. dub. 1. Almain. Aragon*: & alij: & supernaturale quoad modũ pro quãto cõmitatur ei specialis illuminatio Spiritus Sancti sine qua assensus fidei non potest esse, sicut opportet, vt expressè docet *Trident. sess. 6. can. 3. Neminem posse credere, sicut opportet sine Spiritus Sancti præuenientis illuminatione, & inspiratione.* Itaque ista specialis illustratio Spiritus Sancti est in se supernaturalis, quę non requiritur ad iudicium per se, sed vt iudicium moueat voluntatem, & dictet voluntati imperare credere, sicut opportet, & per modũ dispositionis ad iustificationem, quæ sine speciali gratia fieri non potest. Prima pars assertionis eo probatur, quia positis argumẽtis fidei, & euidẽtia credibilitatis mysteriorum iudicioque de tali credibilitate, naturali discursu, & lumine naturæ potest intellectus, iudicare hic, & nunc, esse honestum, credere: ergo in sua substantia est naturale; tamen quia Concilia ad salutẽ, & iustificationem consequendã definiunt requiri gratiam, ideò ad credendum, sicut opportet per-

per modum dispositionis ad iustitiam necessaria est gratia, & sic illud iudicium est supernaturale, prout requiritur ad credendum, sicut oportet, quod solum ponit supernaturalitatem quoad modum in iudicio, non verò secundùm substantiam. Sicut habitus infusus per se supernaturalis, non facit potentiam intellectus in sua substantia supernaturalem, sed relinquēdo in sua substantia naturali, modificat illam aliciando ad operandum supernaturaliter. Et per hoc solvuntur omnia contraria argumenta.

Sectio 4. *Vtrùm in voluntate detur habitus ad imperandum actū fidei infusæ?*

35 PArs negatiua, loquendo de facto, est expressa mens *Scot. in 3 distin. 25. quæst. 2. §. Ideò dico.* Quod voluit ibi significare, cum dixit, quod voluntas in puris naturalibus, hoc est sine habitu, sufficit ad mouendum ad actum fidei diuinæ. Sequitur *Cajet. 2. 2. quæst. 4. art. 2. Vazquez 3. part. q. 3. ad art. 3.* Et ratio ex dictis sumitur: quia, vt imperet assensum fidei infusæ, sicut oportet, sufficit auxilium supernaturale concurrens cum iudicio practico ad dictandum imperium: ergo superfluit habitus. Confirmatur: quia in ordine supernaturali habitus infusus fidei est primus: ergo alius non antecedit: aliàs fides non foret initium, & fundamentum spiritualis ædificij, quod opponitur Concilijs, & Sanctis Patribus.

36 Doctissimus Magister *Lorca disput. 25.* oppositum defendit (solum verbis, nam in re idē dicit, quod nos meo videri) & obijcit. Auxilium requisitum ad imperium est qualitas inhærens potentiæ: ergo habitus. Respondet Felix negando antecedens; nam solū est, inquit, quoddam imperium per modū actus primi. Sed non amplector hanc solutionem; quia fallam existimo: cuius impugnatio non est huius loci. Et sic respondeo; quod auxilium non manet permanenter inhærendo, nec per modum potentiæ, sed per modum directionis. Secundo respondet: quòd illud auxilium nō est in voluntate, sed in intellectu ante actum imperij: & sic in voluntate non requiritur habitus.

37 De possibili autem loquendo, cōmuniter dicunt omnes posse, habitum dari. Verum dissident Authores in eo, vt explicent, cuius virtutis talis habitus sit. Aliqui enim dicunt, nō esse virtutis specialis. Sed contra; quia haberet speciale obiectum talis habitus; sed habitus habens speciale obiectum, pertinet ad virtutem specialem: ergo talis habitus pertineret ad

ſpecialem virtutem. Alij autem, ad virtutem charitatis pertinere docent. Sed contra: quia charitas non eſt in peccatore, ſed imperium eſt in peccatore: ergo habitus imperij non pertinet ad virtutem charitatis. Deinde; obiectum charitatis eſt Deus vt ſic, vel ſecundùm eius bonitatem, ſed imperiũ reſpicit ſolum actũ credendi: ergo. Alij dicunt, eſſe virtutem obedientiæ: quod non diſplicet cum noſtro *Medina lib. 4. de recta in Deum fide, cap. 2.* quia per actum eius captiuamus intellectum in obſequium fidei, quod eſt obedire. Vnde *Apoſtol. ad Roman. 10.* ait: *Nõ omnes obediunt Euangelio.* Alij dicunt, pertinere ad virtutem religionis. Sed non placet rigoroſè loquendo, quia velle credere ex ſua natura, non habet motivum Religionis, quod eſt exhibere cultum Deo, eo fine, vt manifeſtetur ſuprema excellentia Dei. Et patet in Dæmonibus, qui credunt, & non eo fine, vt excellentia Dei manifeſtetur: ergo. Et minus placet, quod ad virtutem ſtudioſitatis pertineat, vt alij exiſtimarunt. Quia obiectum formale ſtudioſitatis eſt, moderare appetitum inordinatũ ſtudendi, & ſciendi. Vnde vitia ipſi oppoſita ſunt nimietas, & negligentia. Imperium autem ſupponit ſcientiam credendorum, & ſic virtutem ſtudioſitatis. Alij autem dicunt, eſſe virtutem ſpecialem innominatam: ſed nominent virtutem: ſeu habitum imperij. Sed melius cum *Lorca diſput. 25. num. 10.* Ex *Diuo Bonauentura diſtinct. 23. art. 1. quæſt. 2. Alenſ. 3. part. quæſt. 78. memb. 3.* videtur dicendum, fore eundem habitum fidei ſecundùm exercitium in completum: & fortè in homine fideli imperium ad credendum oritur ex habitu fidei (ſed quia quæſtio eſt de poſsibili, ideò non placet immorari plus, ſed vnuſquiſque dicat, quod ſibi magis placuerit) imperium enim ſaltim mediatè, reſpicit idem obiectum formale, ac habitus fidei; eadem enim virtute credimus, qua volumus credere; quia non eſt credere ſicut opportet, niſi volendo credere: ergo ſi daretur talis habitus in voluntate à ſufficienti partium ennumeratione, foret idem habitus fidei.

38 Inquires: Pia affectio diſtinguitur ab iſto imperio? Reſpondetur quod ſic: nam imperiũ eſt actus deliberatus ſequens iudicium prudentiale: atverò pia affectio eſt actus indeliberatus: ſæpè; & conſiſtit in quadam animi propenſione, & inclinatione ad res fidei, quæ narrantur, & ad ipſum narrantem; qualem, v.g. Diſcipuli habent ad ſuos Magiſtros, vt Scotiſtæ ad Scotum, & ad Sanctum Thom. Thomiſtæ: ex qua oritur inueſtigatio motiti-

tivorum ad assentiendum rebus fidei, & ad illas sustentandas. Ad quam piam affectionem posse dari habitum, est probabile; & quod sit habitus imperij, seu fidei: pro quanto, sicut imperium, ita, & pia affectio ad actum fidei ordinatur.

39 Quæres. Ad non contramotionem est possibilis habitus? Respondeo esse possibilem: & foret habitus imperij, seu fidei: & potest fundari in doctrina *Scoti in 4. dist. 14. q. 2. §. Primo articulus*: vbi docet, eiusdem virtutis esse, complacere in bono, & detestari oppositum talis boni: ergo eiusdem virtutis potest esse, imperare actum fidei, & nō impedire, vt talis actus fiat. Neque obstat, quod non contramotio non sit actus: quia abstinentia non est actus, & generatur à virtute temperantiæ.

Sectio 5. *Vtrùm imperium credendi possit vitiare assensum Fidei diuinæ supernaturalem?*

40 COmmunissima Scotistarum sententia est, imperium credendi posse, ex aliqua circunstantia, vitiare assensum fidei diuinæ infusæ. Ita colligitur ex *Scot. in 4. distinct. 26. quæst. 1. §. Ad solutionem, & in 2. distinction. 23. §. Ad quæstionem, & in 3. distinction. 26. §. Ad primum principale*. Sed reuera ex Scoto in his locis nihil certum deducitur. Sequūtur tamen hanc sententiam. *Caietan Salas, Medina, Lorca, de virtutibus disput. 14. Montesinos tom. 1. in 1. 2. disput. 23. quæst. 6.* & nouissimè *Ioannes Ripalda*, vt vidimus supra *disput. 1. cap. 3. section. vltima*. Et à nobis etiam est amplexanda: quia magis veritati consona, contra *Suarez disput. 6. sect. 7. num. 11. & lib. 2. de gratia, cap. 3. num. 14. Vazquez 1. 2. disp. 53. cap. 4. & disput. 186. cap. 3.* & alios quos impugnat *Lugo de pœnitent. disput. 15. sect. 9. & 10. & de fide. disput. 10. section. 5. à num. 85.*

41 Probatur primo ex *Aug. lib. de cathechi. rudib. cap. 17.* dicēte: *Sunt autem, qui propria voluntate esse Christiani, vt aut promereātur homines, à quibus temporalia spectant, aut quia offendere nolunt, quos timent.* Nec valet dicere cū *Vazquez*: *Augustinum* loqui de simulatis Christianis, & non de veris: quia ipse *Aug.* se explicat, dicens, loqui *de illis qui non simulato corde fidem recipiunt sed in sua vita spectant fœlicitatem in rebus terrenis, quam non habebunt, qui Deum non colunt*: vbi imperium habet pro obiecto credere, & pro circunstantia gloriam temporalem.

42 Probatur secundo: ex eo, quod assensus fidei imperetur ex prauo fine, nō tollitur obiectum fidei, quod est verū: ergo etiā si finis operātis sit variatus, & vitiatus, remanet substantia actus

actus fidei. Antecedens probatur multis instantijs. Nam etiam si actus scientiæ eliciatur ex prauo fine, actus scientiæ substantia manet: ergo similiter assensus fidei manet, etiam si prauo fine, ex imperio voluntatis vitietur. Secundo, si quis imperaret assensum fidei eo fine, vt hæreticus male ferens talem fidem, vel Mahometanus detestaretur fidem, & exinde accipere occasionem, illum occidendi; ille actus fidei esset verus, & vitiatus ex circunstantia imperata: ergo. Neque Deus concurreret ad malitiam actus, licet concurreret ad materiale malitiæ. Et confirmatur: quia assensus fidei potest fieri leui corde, sine prudenti iudicio credibilitatis mysteriorum, & propter vanam gloriam, & propter turpem actum, & tempore quo præceptum eius non instat, sed alterius actus præceptū: imò Deus imponere potest præceptum, vt homo non eliceret actum supernaturalem, nisi dirigendo illum in finem charitatis: ergo potest dari actus supernaturalis vitiatus: quia potest homo, non dirigere illum actum in illum finem; alias non caderet sub præcepto.

43 Tertio probatur. Quia vel repugnat, vitiari actum fidei, eo quod sequeretur eundem actum simul, malum, & bonum esse; vel ex eo, quod supernaturalis est, sed potest idē actus, esse bonus ex obiecto, & malus ex circunstantijs, vt cum omnibus dixi tractatu de bonitate, & malitia: ex eo quod supernaturalis sit, non repugnat. Quia prophetia Caiphæ supernaturalis illius anni tunc temporis erat in odium Christi. Et confirmatur. Quia potest consecratio, quę supernaturalis est, fieri non sanctè, sed in peccato mortali, & ob auaritiam: & similiter potest fieri absolutio. Respondet *Vazquez*; quòd administratio Sacramenti, quatenus procedit moraliter à ministro malo, & redditur mala, non est opus supernaturale. Sed contra. Quia hoc vim argumenti nostri non aufert. Quia licet formaliter, quatenus mala non sit supernaturalis; tamen hoc non tollit, quod in eodem actu sit supernaturalitas, & malitia moralis, quod sufficit ad nostrum intentum.

44 Confirmatur præcedens argumentum. Quia siquis leue mendatium cōmitteret in confessione, totum Sacramentum pœnitentiæ vitiaret, quod est supernaturale. Deinde ex vana gloria potest quis huic confessario exponere sua peccata: tunc attritio vitiaretur leuiter, & est supernaturalis: ergo fides, quæ ratione est supernaturalis non obstat, vt vitietur. Neque potest dici, talem detestationē esse naturalem: quia talis detestatio est sufficiens, non solum ad valorem,

rem, sed etiam ad fructum: ergo est supernaturalis: quia peccatū veniale non impedit effectum Sacramenti; neque valet dicere secundo, confessionem exteriorem prouenire à vanagloria, nō verò dolorem. Sed contra: quia tota confessio prouenit à vanagloria, & confessio imbibit dolorem.

45 Sed obijcies *Aug. de cathechizand. rud. cap.* 5. dicentem: *Nunquam accidat, vt aliquis veniat ad fidem, qui non sit aliquo Dei timore percussus: si enim aliquod cōmodum spectando velit fieri Christianus, non fieri vult, potius quam fingere: fides enim non est res saluandi corporis, sed credētis animi.* Respondeo quod *Augustin.* nō loquitur de actu fidei, sed de tota Religione Christiana, & de obseruātia legis Christi, ac eius professione; quæ rarò, aut nunquam fieri potest sine fictione, si fiat propter aliquem malum finem, & sine timoris Dei percussione.

46 Sed obijcies: Non est hominis beneficium, melius esse illi, non esse, quā esse, sed si actus fidei posset vitiari, melius esset illi nō esse, quam esse: ergo actus fidei vitiosus non est ex beneficio Dei: ergo non est supernaturalis: ergo non est actus fidei infusæ. Respondeo; quod hoc argumentum solū concludit, quod quatenus vitiosus est, non est supernaturalis, neque ex auxilio Dei: minimè verò probat absolutè, actum supernaturalem non posse subesse vitio ex creatura deficienti, & male vtenti auxilio. Præterquam quod ex hoc argumēto probaretur, quod auxilium sufficiens non sit beneficiū Dei, neque Christus, neque lex Euangelij: quia si non daretur auxilium sufficiens, & si natus non fuisset Christus, neque lex Euangelij foret, non fuisset Iudæ melius, non esse, quam esse. Sed instat *Legionēsis.* Ad imperium, & assensum specialiter concurrit Deus suo auxilio, sed Deus nō potest concurrere ad actum vitiosum: ergo actus fidei non potest vitiari. Respondeo distinguo consequens; non potest vitiari à Deo concedo, ab homine nego.

47 Sed obijcit *Hurtad.* Nulla moralitas competit actui imperato, nisi moralitas imperantis, sed actui fidei infusæ debet competere alia moralitas, quam malitiæ, aliàs non fieret ex gratia per Christum: ergo actus fidei non potest fieri malus ex imperio voluntatis. Respōdeo negando consequentiam: nam ex obiecto formali actus credendi habet substantialem suam bonitatem, & ex prauo fine, seu ex mala circunstātia subijcitur malitiæ. Si enim Deus se solo, infunderet homini assensum fidei supernaturalē, posset homo, vti illo assensu in pravum finē: ergo etiam

etiam potest homo vti auxilio supernaturali, & habitu per se infuso ad actum fidei proposito obiecto credibili, prauo affectu, & mala voluntate. Et confirmatur. Nam reuelatio diuina immediata est quid supernaturale, & consequenter assensus in rem reuelatam, sed potest homo assentiri illi reuelato ex prauo fine: ergo ille assensus potest subesse supernaturalitati ex auxilio, habitu, & obiecto formali, & simul malitiæ morali ex circunstantia finis praui.

48 Obijcit iterum *Hurtad.* Actus supernaturalis est eleuatio attollens naturā in finem supernaturalem, sed directio in malum finem, & actus ab ea procedens est deflexio à supernaturali fine: ergo actus supernaturalis non potest oriri ex directione in pravum finem: aliàs idem actus attolleret naturam in finem supernaturalem, & eam à tali fine deflecteret. Respondeo: quod si hoc argumentum valeret aliquid probaretur, quod nullus peccator foret fidelis: nam per fidem eleuatur natura in finē supernaturalem, & per peccatum deflectitur: ergo sicut, secundum fidem, optimè compatitur, in homine peccatore, habitus fidei, imo actus, & peccatum, optimè poterit compati, in vna physica entitate assensus fidei, supernaturalitas, & malitia moralis ex diuersis rationibus formalibus. Vnde leuissimo fundamento *Hurtado* reprobat nostram sententiam. Sed vide contra *Hurtadum* Cardinalem de *Lugo disp. 10. sect. 5.*

49 Dices. Si homo suaderet alteri credere, quando credere est peccatum, suadens peccaret: ergo si assensus fidei ex praua circunstātia potest vitiari, vitium, & malitia moralis imputaretur Deo tribuenti auxilium, & inspirationē ad velle credere. Respondeo: quod auxilium, & inspiratio diuina sistit solum in velle credere propter authoritatem Dei dicentis; quod autem istud velle credere ordinetur in finem pravū prouenit à sugestione, & tentatione Dæmonis, cui consentit voluntas deficiens creaturæ. Sed dices: Auxilium ad velle credere tantum est ex fine redemptionis, & vt credamus, sicut oportet, sed assensus vitiatus, & ortus ex prauo fine, non est sicut oportet, nec ad redēptionis finem conducit: ergo ad talem assensum non datur auxilium, & consequenter assensus fidei non potest vitiari. Respondeo: distinguo minorem; formaliter, quatenus vitiatus, & quatenus ex prauo fine oritur, concedo: materialiter, & secundum suam substantiam, nego minorem. Vnde distinguo consequēs: Ad talem assensum quatenus vitiatus est, & prout oritur à prauo fine, non datur auxiliū, con-

concedo consequentiam : Materialiter, & quoad substantiam actus fidei, nego consequentiã.

50 Instabis. Ergo idem actus potest esse meritorius, & demeritorius. Respondeo: si circunstantia extrinseca sit mala mortaliter: nego consequẽtiam: si verò circunstantia extrinseca sit tantum venialiter mala, concedo consequentiam cum innumeris, tam Scholasticis, quàm Summistis Authoribus, quia nullum est inconueniens.

CAPVT II.

De diuisione, & quidditate actus Fidei Diuinæ.

Sectio 1. *Vtrùm actus Fidei conuenienter distinguatur, per credere Deum, Deo, & in Deum?*

51 CRedere Deum, Deo, & in Deum, non sunt diuersi actus, sed solum sunt habitudines, quæ possunt esse in eodem actu ad ipsum Deum. Vt enim est obiectum terminativum, vel vt ita dicam, materiale, siuè creditum, est credere Deum: vt verò specificatur ab ipsa veracitate Dei, est credere Deo: & vt respicit reliqua credibilia, est credere in Deũ: quia omnia credibilia ordinãtur in Deũ, vt in finem, vel vt in obiectum attributionis fidei. Imò in quocunq; actu fidei tres istæ habitudines inueniũtur: nã quotiescũque assentior alicui veritati reuelatæ, credo Deũ, Deo, & in Deũ. Dices: Creditur Deus, & non Deo, quia non credit reuelatum à Deo. Respõdeo, quod fide acquisita credit Deo. Dices secundò: Peccator credit Deum, & Deo, & non in Deum: Respõdeo. Quod peccatores amant Deum amore concupiscentiæ, & spei, vel ex affectu religionis, vel ex affectu obedientiali, ad hoc enim vt actus fidei dicatur actus credendi in Deum, NON est necessaria actualis ordinatio ipsius ab operante in ipsum Deum, sed sufficit habitualis ordinatio ipsius operis. Vnde: adhuc, quãdo ex prauo affectu vitiatur assensus fidei, verificatur, quod homo credit in Deum, ex intrinseca habitudine ipsius operis supernaturalis.

Sectio 2. *Vtrùm actus Fidei conuenienter diuidatur in actum charitate formatum, & informem?*

52 SVppono in præsenti difficultate, nos loqui de actu interno fidei, non verò de externo: quia hic non est proprijssimè actus fidei, sed signum actus fidei: de illo tamen aliqua dicemus infrà. Hoc breuissimè suppositò; cum Caluinus, & Lutherus teneant, quod per fidem, qua credimus, nobis non imputari peccata nostra, nos iustificamur, ri-

ridiculam censent diuisionem fidei formatæ, & informis.

53 A nobis verò dicendum est, quod fides potest realiter, separari à charitate. Est propositio de fide ex *Iacob. 2. Quid proderit, si quis dicat, se habere fidem, opera autẽ non? nunquid poterit fides saluare eum?* ergo fides potest esse sine charitate. Et ad *Cor. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Charitatem non habuero nihil sum*: vbi loquitur etiã de nostra fide: quia subdit: *Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, &c. Et Ioann. 12. Multi Principes crediderunt, non tamẽ audebant, illum confiteri: quia diligebant magis gloriam mundi.* Ergo erant sine charitate, & cum fide. Quare *Trid. sess. 6. can. 28. & cap. 15.* definit quod: *Si quis dixerit amissam per peccatum gratiã, similiter, & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum, qui sine charitate fidem habet, non esse Christianũ, anathema sit.* Cuius ratio est. Quia fides pertinet, secundum suam physicam entitatem, ad intellectum; charitas verò ad voluntatem: ergo dari potest sine charitate fides, vt docet *Augustin. 15. de Trinitate, cap. 17.* Vnde sequitur, optimam esse distinctionem fidei informatam, & informem.

54 Sed hæretici obijciunt primo. Illud *Ioann. 2. Si quis dicit, se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est*: ergo fides, quæ non est formata charitate, non est fides. Et comprobant ex *prima ad Timoth. 1. Charitas de fide non ficta.* Atque ex *Epistola Catholica Iacob. cap. 2. Fides sine operibus mortua est*: ergo non est vera fides sine charitate; quia est sine vita, & mortua. Respondeo; dici mendacem, qui habet fidem, & non custodit mandata Dei, non quia destruat assensum speculatiuè verum circa res fidei, sed quia facit contra assensum, & dictamen practicum rationis: & sic intelligo Paulum, & aliquos Patres, qui tantum intendunt, nullius frũctus esse fidem sine operibus, aut sine charitate: & ita intelligo Iacobum, non quia fides sine operibus fides vera non sit, sicut corpus mortuum, verè est corpus, sed sine vita.

55 Obijciunt secundo hæretici. Illud *Iacob. cap. 2. Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam ex operibus fidem meam, tu credis quoniam vnus est Deus, benè facis, & Dæmones credunt, & contremiscunt.* Ergo fides sine operibus est fides Dæmoniorum, sed fides Dæmonum non est vera fides supernaturalis, & Christiana: ergo fides informis non est vera fides: quoniam fidei Christianæ effectus est gratia, & iustificatio: ergo fides non potest separari à charitate, & consequenter diui-

uisio fidei informatam, & in informem non est vera, sed ridicula. Respondeo: quod fides peccatoris cōparatur fidei Dœmonum, quantum ad vtilitatem meriti vitæ æternæ, non verò quantum ad fidem infusam, quæ in Dœmone non est, benè verò in Christianis Catholicis; & hæc si est formata, habet pro effectu gratiam, & iustificationem; & si non est formata, est saltim fundamentum, & initium talium effectuum.

56 Sed quæres. Qualiter dicatur charitas forma fidei? Quia aliqui Patres vocant charitatem vitam, & animam fidei; & Scriptura, quod per charitatem operatur fides. Aliqui Scolastici defendunt, ex charitate deriuari modum aliquem physicum in fidem. *Ricard.* verò dixit, charitatem inhærere fidei, sicut parieti albedo. Sed contra: quia charitas est in voluntate, fides in intellectu: ergo charitas non inhæret fidei.

57 Quare à nobis dicendum est: charitatē esse formam moralem fidei, eiusque, vt sic, animam, & vitam: quatenus illi tribuit acceptabilitatem apud Deū, vt docet communis sententia, & *Scot. in 1. distinct. 17. q. 2. §. Ad solutionem, & in 3. distinct. 36. §. Quantum ad quartum artic. & quodlibet. 17. §. De tertio.* Atque vt operatio fidei conducat in vitam æternam, de lege ordinata requiritur, vt imperetur à charitate: & per hoc dicitur charitas anima, & vita fidei, & quod fides per charitatem operatur.

Sect. 3. *Vtrùm Fides rectè diuidatur in historicam, promissionum, & miraculorum?*

58 *Disp. 1. cap. 1. sect. 1.* diximus, vnam, & eamdem fidem esse historicam, promissionum, & miraculorum contra Keminitium, Caluinum, & Lutherum. Quia historias, promissiones, & miracula non specificant diuersam fidem; vtpotè omnia sunt obiecta materialia sub vna ratione formali, & obiecto *quo* credibilia, seu credita: videantur ibi dicta. Aliàs tot essent fides, quod sunt obiecta materialia diuersa. Illa enim diuisione vtuntur hæretici ad probationem multorum errorum, scilicet solam fidem promissionum esse formam iustificantem: quod de lege ordinaria, potest quis, esse certus de sua iustificatione, & quod persolam imputationem meritorum Christi habeatur iustificatio. Quæ omnia damnata sunt in Concilijs, vt suis locis dicemus.

59 Quapropter solū est difficultas inter Catholicos, vtrum fides miraculorum sit fides Catholica? Nam Abulensis affirmat distingui, inclinatur

Ve-

Vega lib. 9. in Trid. cap. 28. Nam fides miraculorum est in voluntate: quia est fiducia de eo, quod Deus efficiet miraculum. *Vasquez* autem *1. 2. disp. 201. cap. 4.* dicit, esse iudicium absolutum, quo sancti iudicāt, Deum facturum esse miraculū. *S. Actus Thom.* verò, dicere videtur *2. 2. q. 17. art. 1. ad 5.* non distingui à Fide Catholica.

60 Verum pro solutione nota, quod fides miraculorum hic non sumitur pro actu, quo credimus, miracula quę in Scripturis narrantur, vel testificantur ab Ecclesia, aut à Pontifice, sed sumitur pro illa, quæ reperitur in sanctis, aut in nobis ad faciendum miraculum tempore opportuno. Suppono secundo: ad hanc fidem requiri fidem Catholicam de omnipotentia Dei, & promissione eius, quod si expediat efficiet miraculum: item requiritur fiducia de futuritione miraculi: item requiritur iudicium, quod hic, & nunc fiet miraculum: quod iudicium, si adest specialis reuelatio, erit actus fidei Catholicæ, si iudicet propter diuinam authoritatem, futurum fore miraculum, & est supernaturale, & absolutum: qualiter Iosue iudicauit, futurum fore, vt muri Hierico corruerent spatio septem dierum: si verò non sit specialis reuelatio, non est actus fidei Catholicæ, sed iudicium conditionatum habens pro obiecto vniuersalem Dei promissionem, vt subest speciali auxilio applicanti hic, & nunc eamdem promissionem, vt fiat miraculum, & pertinet ad gratiam gratis datam.

61 Hoc posito dico: Quod fides miraculorum distinguitur à fide Catholica. Ita sentio cum *Abulensi.* Quia fides miraculorum, licet connotet fidem Catholicam, elicitur à voluntate: vtpotè est fiducia circa futuram operationem miraculi, & spes de illo: & per hoc soluuntur argumenta contrariæ sentētiæ, & nostra confirmatur. Nam qui habet fidem Catholicā de omnipotentia Dei, per hoc solum non dicitur, habere fidem miraculorum: ergo formaliter in actu fidei Catholicæ, quo credo omnipotentiam Dei, non consistit fides miraculorū: neque cōsistit in iudicio cōditionato, vel absoluto de futuritione miraculi: quia hoc prærequiritur ad hoc, vt voluntas confidat, & speret miraculum fore futurum: ergo formaliter fides miraculorum consistit in fiducia habente pro obiecto futuritionem miraculi contingentem.

62 Si tamen velis dicere, nō distingui à fide Catholica, debes fateri, connotare iudicium, & fiduciam de futuritione miraculi, si fortè iudicium hoc, & fiducia distinguantur; nam fortè fiducia imbibit in recto vtrumque intel-

tellectus, & voluntatis actum: & tūc fides miraculorum ſupponit formaliter pro vtroque actu cōnotādo fidē Catholicam, vel pro fide Catholica connotādo fiduciā includentem illos duos actus.

63 Vnde ſequitur, quod ſi dicatur, fidē miraculorum ſupponere pro actu fidei Catholicæ connotando fiduciam, ſpectabit iſta fides directè ad habitū fidei, & de connotato ad habitū ſpei. Si verò ſupponat pro fiducia, directè ſpectat ad habitū ſpei, & de connotato ad habitum fidei.

64 Vtrùm autem fides miraculorum ſit idē, ac gratia miraculorum: probabilius teneo quod non, ſed gratia miraculorum, exiſtimo, quod ſubſequitur ad fidem miraculorum: quia illa conſiſtit non in actu voluntatis, aut intellectus, ſed in auxilio ſpeciali, quo de facto fit miraculū.

Sectio 4. *Vtrùm Apoſtolus Paulus actū fidei diuinæ rectè definierit?*

65 HÆretici dicebant, fidem eſſe fiduciam de remiſſione peccatorum: & ita affirmabāt, quod fides erat actus voluntatis, & quod non erat actus intellectus. Sed contra ipſos vniuerſa Eccleſia tenet, pertinere ad intellectum: quia fides in ſuo cōceptu formali eſt aſſenſus de veritate, vt patet in fide humana: at aſſenſus ſpectat ad intellectū: ergo.

66 Hoc ſuppoſito circa difficultatē noſtræ ſectionis, *Gloſſa in cap. firmiter de ſumma Trinitate*, dicit: *Paulum ad Hebræos* 11. non definire fidem, ſed ſolum explicare quoddam fidei encomium, vt dicit *Eraſmus in annotationibus ad locum Pauli.* Aliqui item Recentiores dicunt, quod Diuus Paul. ſimul definit ſpem, & fidem.

67 Cum communi verò omnium Theologorum ſententia, dicendum à nobis eſt, quod quantum ad ſubſtantiam actus fidei hæc eſt eius optima definitio. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparētium.* Quam definitionem tradidit *Paul. ad Hebræos* 11. Et optimam eſſe probatur explicando omnes eius particulas. Dicitur enim *ſubſtantia rerum ſperandarū*: quia fides ſubſtat ſpei, vt fundamentum eius, & exinde ſpes ſumit ſuam firmitatem: atque quia fides continet res ſperādas, ſicut ſemen arboris fructus, vt notat Arias Montano per quod fides diſtinguitur à ſpe, & charitate. Dicitur *argumentū*, vt oſtendatur ipſius certitudo, & infallibilitas: ly enim *argumentum* ſumitur pro effectu argumenti efficacis, ideſt pro adhæſione firmiſſima intellectus circa rē reuelatā, propoſita euidentia morali reuelationis, ſeu credibilitatis obiecti, cui, per aſſenſum, firmiter adhæret, & certiſſimè,

& infallibiliter, absque hæsitatione. Ex quo fides diuina distinguitur ab humana, ab opinione, & à suspitione, in quibus non est firmitas. Dicitur tandem *non apparentium*: id est obscurum, per quod distinguitur fides ab assensu primorum principiorum, & ab assensu scientifico, quæ sunt argumenta euidentia: ergo optimè explicat hæc definitio essentiam fidei.

68 Loquendo tamen in rigore logico, & dialecticè, non est perfecta definitio: siquidem non datur per verum genus, & vltimam differentiam, sed per quandam methaphoram. Vt sic enim dialecticè actus fidei ita venit rectè definiendus. *Est infallibilis, & firmus assensus circa rem reuelatam à Deo, fundatus in authoritate Dei.* Conueniunt in eo omnes, *Suarez disp. 6. sect. 1. n. 5. & Lorca super q. 4. ad art. 1. in 2.* & fauet expressè *Aug. de spiritu, & litera, cap. 31. & lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 2.*

69 Sed contra nos possunt hæretici obijcere. Quod Paulus non definit ibi, nisi fiduciam: nã Paul. ibi definit fidem, cui infrà tribuit opera miraculosa, dicens de antiquis Patribus, *per hanc fidem obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis*, &c. & *Damascen.* videtur *fauere 4. de fide cap. 11.* Respondeo quod Diuu. Paul. ibi describit fidem iustificantem, & necessariam ad salutem: nam loquitur de illa fide, de qua dixerat in fine, *cap. 10. Iustus ex fide viuit*; saltim fundamentaliter, & initiatiuè: vbi satis clarè demonstrat, pertinere ad intellectum, per ea quæ immediate subdit, quod sine illa fide definita, *Impossibile est placere Deo, quia accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*: Credere autem, non est fidere, sed assentiri, quod pertinet ad intellectum: nam ibi subdit: *Fide intelligimus, aptata esse sæcula verbo Dei*: & quamuis interdum de spectatione, ac spe, vel fiducia loquatur, solum est, in quantum est effectus fidei, vel quasi effectus: & ita exponunt Latini, & Græci Patres sancti, & *Trident. sess. 6. cap. 7. & 8.* & sic intelligo *Damasc.*

70 Sed obijcies. Fidei definitæ à Paulo potest subesse falsum, sed nostræ fidei non potest falsum subesse: ergo non definitur à Paulo fides Catholica. Probatur maior: Nam Apostolus loquitur de fide, qua Abraham fidit filium Isaac resurrecturum, sed non surrexit Isaac: ergo potuit subesse falsum illi fidei: imò videtur Paulum loqui de fiducia, & spectatione, qua Abraham spectabat filium fore miraculosè resurrecturum post immolationem. Respondeo negando maiorem. Ad probationem dico, quod Abraham credidit, omnipotentiã Dei posse resuscitare Isaac posito iudicio conditionato,

to, quod moreretur, & credidit, quod Isaac resurgeret, si moreretur, cui assensui substabat fiducia, spes, & confidentia de miraculo; & propterea dicit Paul. quod *Fides est substantia rerum sperandarum*; non enim definit spem contra spem, quam habebat Abraham, sed fundamentum illius spei; & pro tanto dicitur substantia methaphoricè.

71 Sed obijcies. Fides non solum est rerum sperandarum, sed præteritarum, præsentium, & aliarum futurarum, quæ non sperantur, vt infernus. Respondeo: quod dicitur rerum sperandarum, ad explicandum obiectum primariũ attributionis nostræ fidei, ad quod omnia credibilia aliquomodo refferuntur. Dices. Fides est virtus: ergo non argumentum, & si argumẽtum, quomodo *non apparentium*; nam argumentum facit, res apparere. Respondeo: dici argumentum, idest effectus argumenti: quia est adhæsio firma veritati obscurè propositè per euidentiam credibilitatis. Dices vltimo: Fides potest esse sine spe, in illo qui positivè desperat, vel saltim in illo, qui non sperat: ergo incongruè definitur per ordinem ad spem. Respondeo, quod solum definitur per habitudinem ad obiectum spei, non verò per coniunctionem ad ipsam spem.

Sectio. 5. *Qualiter actus Fidei sit supernaturalis?*

72 PRæsens difficultas nimis difficilis semper visa est mihi: tum in se ipsa: tum ratione Authorum, qui satis confusè desuper naturalitate loquuti sunt, & pro suo captu conceptum eius formalem vnusquisque definiẽs. Vnde meritò aliqui Recentiores oneri difficultatis succumbunt. Igitur ad tres principales sententias tota hæ difficultas est breuiter reducenda. Prima asserit, quod actus fidei diuinæ infusæ est secundum substantiam naturalis, & solum quoadmodum supernaturalis. Ita *Caietan. 1.2.q. 109.art.3. Palud. in 4. dist. 14 q.2. Sot. dist. 17.q.2 artic. 5. Capreol. dist. 17.q.3.art.3.* tribuitur *Almaino, Gabrieli, & Durando.* Tenent *Zumel, Bañez*, & alij Thomistæ. Ex Scotistis autẽ aliqui in manuscriptis *tract. de gratia*, vt noster *Felix*, quem sequutus sum ego, *& tract. de Beatitudine.* Differunt verò isti Authores: nam quidam censent hunc modum esse physicum; scilicet maiorem intensionem actus, vel quod proueniat à potentia grata, vel quod procedat maiori connatu à potentia habituata. Alij verò censent istũ modum esse moralem, vel quia prouenit à gratia, vel ex acceptatione diuina, vel à ratione meriti.

73 Quidquid autem sit de hoc, hæc sententia sufficienter defendi potest. Et probatur primo. Quia substantia actus fidei oritur à natiua, & naturali virtute intellectus eleuati in actu primo per habitum infusum, vel in actu secundo per supernaturalem Dei concursum: ergo talis actus est naturalis: quia à principio naturali modificato habitu supernaturali; & sic quoadmodum supernaturalis erit actus. Et confirmatur exemplo humanitatis Christi D. quæ secundum substantiam est naturalis, & secundum modum vnionis est supernaturalis & similiter quantitas Corporis Christi modo indiuisibili in Eucharistia est quoadmodum supernaturalis: ergo idem dici potest de actu fidei infusæ. Secundo confirmatur: quia cum supernaturalitate quoadmodum saluantur optimè ea, quæ de necessitate gratiæ docēt sancti Patres, & Concilia ad huiusmodi opera.

74 Secundo principaliter probatur de mente Scoti. Quia secundum ipsum *in 1. distinction. 17 quæstion. 3. §. Aliter potest dici*: actus elicitus ab habitu supernaturali per se infuso, non est propriè supernaturalis; ergo actus fidei infusæ solum est quoadmodum supernaturalis. Et confirmatur: quia secundum Scotum illud est intrinsecè, siue secundum substantiam supernaturale, quod intrinsecè, & immediatè respicit solum agens supernaturaliter causativum super omnem naturam creatam, & creabilem, sed actus fidei infusæ non dicit istum ordinem, quia dicit ordinem ad agens creatum: ergo si est supernaturalis, non est secundum substantiam, sed solum quoadmodum. Item in *4. distinction. 10. quæstion. 8. §. Respondeo. V. Contra rationem*, ait: quod *naturale, & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se*: ergo supernaturalitas, quæ inest actibus virtutum infusarum, non est de essentia, & substātia actuum, sed modus ipsorum, & sic actus fidei solum est quoadmodum supernaturalis. Idem repetit *Scot. distinction. 6. quæstion. 10. §. Ad quæstionem, versic. Contra fides, spes, & charitas. Et quodlibet. 17. §. De tertio principali*, vbi dicit, actum meritorium, & naturalem, non differre specie in esse physico: ergo actus meritorius fidei solum erit quoad modum supernaturalis, & quo ad entitatem intrinsecè, seu secundum substantiam erit naturalis.

75 Secunda autem sententia principalis tenet; actum fidei infusæ esse tantum supernaturalem, secundum entitatem, & quoad substantiam. Ita *Belarm. 2. de gratia & lib. arbi. cap. 7.* & sequuntur *Suar. de pœnitētia disp. 3. sect.*

sect. 6. & 3. de auxilijs, cap. 1. & in præsenti disp. 6. sect. 5. & tom. 1. de gratia lib. 2. à cap. 4. Molin. in concord. disp. 36. Vazquez 1. 2. disp. 187. cap. 2. Lorca disput. 9. de gratia, & alij communiter. Atque ex nostris tenent Smising. de Deo vno, tract. 2. disp. 6. q. 2. num. 39. Angles in 2. diff. 28. art. 3. & 4. & in 4. q. de cõtritione, art. 4. Ouãdus in 3. dist. 23. propositione 3. & q. 2. art. 2. dub. 1. Herrera tom. 2. disp. 1. à q. 1. Pater Felix tract. de fide, cap. 8. diff. 2. dub. 3. retractans quæ tract. de gratia typis mandauerat. Pater Castill. disp. 7. q. 2. part. 3. à n. 67. & nos opusculo de gratia disp. 3 sec. 1. tract. de pœnit. virtute.

76 Probatur primo hæc sententia de mente Scoti. Quia in 3. dist. 23. §. Ad quæstionem docet: *Quod non solum propter actum primum dat Deus habitum per se infusum* (scilicet charitatem, aut fidem) *Sed propter actum secundum, vt sit perfectior actus*: vt etiam dixit in 1 dist. 17. q. 2. §. Ad argumẽta. Et in 3. citato addit similiter de fide suo modo: *Nec pono habitum fidei solum propter gradum in actu, sed etiam propter assensum, quia assensus non est totaliter à voluntate.* Legatur dist. 27. §. De tertio dico, & in 4. dist. in. 49. q. 11. §. Respondeo ergo. V. Teneo ergo, & pluribus alijs in locis, loquendo de actibus virtutum per se infusarum: ergo de mẽte nostri Scoti actus fidei est in sua substantia supernaturalis: quia ponit habitum propter assensus, intensionem, & propter perfectionem substantialem actus: quia de essentia actus, & de substantia eius est esse assensum.

77 Verum ex istis locis Scoti non video, benè colligi, actũ esse supernaturalem quoad substantiam. Nam, etiam si habitus foret naturalis, sicut habitus fidei acquisitus, perfectior euaderet actus, & intensior, non solum gradualiter, sed secundum perfectionem indiuidualem: ergo ex eo quod Scotus ponat habitum fidei infusæ non solum propter gradũ in actu, sed propter assensum, qui nõ est totaliter ab intellectu, non sequitur, actũ esse secundum substantiam supernaturalem, quamtumuis habitus fidei supernaturalis sit: quia habitus non est supernaturalis per ordinem ad assensum, sed per ordinem ad agens causatiuum super omne creatum, & creabile: & si quoquomodo sit supernaturalis per ordinem ad assensum, non est, vt assensus procedit ab habitu, sed vt assensus procedit à potentia intellectus.

78 Præterea: quia licet de facto habitus concurrat ad substantiam actus, tamen, ex sua intrinseca ratione, substantia actus non postulat habitum supernaturalẽ, vt principium eius. Quod (si doctrinã Scoti sequamur) ex Scot. Probo meo videri e. idẽter

in quodlib. 17. §. Ad argumentum, vbi in medio dicit: *Neque est per se charitas requisita non solum ad substantiam actus, sed nec ad actū in quātum meritorius, sed tantum requiritur, vt quoddā præuiū, ad hoc vt actus sit acceptabilis*: ergo similiter habitus fidei se habet respectu sui actus: at esse acceptabilem in actu, tantum est modus, & non substantia: igitur ex Scoto non potest argui, quod actus fidei sit supernaturalis secundū substantiam.

79 Vidit noster felicissimus Scotista hanc obiectionem difficilem; & propter eam reputans probabilem primam sententiā, loco citato tenens secundam, respondet, quod ibi *Scotus* affirmat, quod, vt actus sit meritorius, non requiritur habitus supernaturalis: nā substantia actus naturalis potest à Deo acceptari, vt meritoria, de potentia absoluta. Vnde determinat *Scotus*, quod actus meritorius, & non meritorius non petunt distingui specie. Sed contra. Quia ibi dicit *Scotus*, quod charitas *non est per se requisita ad substantiam actus*: quid clariùs? ergo expositio nostri *Felicis* non consonat textui *Scoti*.

80 Nec latuit nostrum *Frāciscum del Castillo* præfacta obiectio, cuius ingenium ita retorsit, vt vniuersam mundi machinam ad eius solutionē retroueterit: & sic loco citato à suo *n. 73.* vsque ad 75. respondet: verum esse, non repugnare per locum intrinsecū, actū fidei nō dependere secundum substantiam ab habitu supernatūrali: & hoc vult *Scotus* citatus: quia si Deus aliter mundi machinam disponeret, posset in ordine talis vniuersi computare entia, quæ modo sunt agentia supernaturalia; & sic effectus eorum, qui modo sunt supernaturales, quoad substantiam, tunc esse naturales: quia eorum principia computantur inter principia vniuersi.

81 Miror nostrum *Castillū*, aliàs doctissimum, quem veneror Magistrum, ita respondisse, bona enim ipsius venia, solutio ista falsissima est, & sustineri non potest; & ipsa admissa non probat intentum noster Castillo. Etenim ex illa sequitur, quod habitus per se infusi non sint supernaturales quoad substantiam, sed solum secundum modum; scilicet per hoc, quod modo non computātur inter principia huius vniuersi, & sic nō sunt secundum substantiam supernaturales: quia vt essent sic, quocunque modo intelligantur, semper requiritur, quod sint supernaturales: nam implicat, aliquid manere secundum substantiam, & non manere illud, quod est de substantia eius: & sic si secundum substantiam habitus per se infusi possunt esse, quin sint super-

pernaturales, euidēter sequitur, quod non sint secundum substantiam supernaturales ex solutione Castilli, quod falsissimum est.

82 Præterea. Habitus infusi computantur inter res vniuersi, & nihilominus sunt supernaturales quoad substātiā: ergo solutio Castilli nō est sustinēda. Antecedens ex eo patet: quoniā ab initio mundi in primo Parente, in Angelis, &c. ista dona reperta sunt: & si status innocentiæ duraret, perseuerarent homines in iustitia originali, & in gratia iustificante: ergo isti habitus coputati sunt inter res huius vniuersi, quantum est ex voluntate Dei, si per hominem non stetisset: ergo esse supernaturales, habent independenter ab eo, quod computentur, vel non computentur inter res vniuersi. Item: quia in illa hypotesi Castilli, isti habitus essent per se infusi, sicut nunc crearentur, & dicerent ordinem ad agens supernaturaliter, causativum super omnem naturam creatam, & creabilem: ergo tunc etiam essent supernaturales, & si non essent supernaturales, sequitur, quod solum sint supernaturales ab extrinseca ordinatione diuina, quod nō est, esse supernaturales secundùm substantiam.

83 Vnde sequitur euidenter, quod actus horum habituū solum sint quoadmodum supernaturales, non verò secundum substantiam: & sic admissa, non concessa, solutione Castilli, non sequitur intentum ipsius.

84 Præterea dato, quod ex Scoto colligatur, habitum poni propter substantiam actus, ita quod actus ex prædicatis intrinsecis petat habitum; exinde non sequitur, illum actum esse simpliciter, & solum supernaturalem secundum substantiam: cum ipse Scotus citatus fateatur, quod assensus, non est totaliter à potentia. ergo partialiter: ergo etiam assensus solum partialiter est supernaturalis, & non totaliter.

85 Secundo probant Scotistæ istam secundam sententiam. Quia secundum *Scotum quæst. 1. prolog.* notitia infusa de Deo Trino est magis supernaturalis, quam notitia infusa Geometriæ, sed ista est supernaturalis quoadmodum: ergo illa est quoad substantiam. Respondèri facilè posset, esse magis supernaturalem extrinsecè, & quia habet obiectum supernaturale, quod non habet notitia Geometriæ; sed hoc non facit actum secundum substantiam supernaturalem, sed sufficit esse supernaturalem extrinsecè: aliàs visio beata, & fruitio secundum substantiam essent infusæ: quia tangunt Deum, sicut est in se infinitus.

86 Tertio probat *Pater Felix*.

Quia authoritas Dei, quæ est motivum fidei, est supernaturalis, & capax, vt attingatur actu proportionato secundum substantiam: ergo actus fidei est secundum substantiam supernaturalis. Sed neque ista ratio est sufficiens: quia ad proportionem actus cum obiecto sufficit supernaturalitas quoadmodum in actu. Secundo: quia authoritas Dei, neque est naturalis, nec supernaturalis formaliter, quia ad nullum agens dicit respectum, si Scoti principia sequamur. Tertio: dato argumento, non probat totaliter esse supernaturalem, sed tantum ex parte obiecti, vel habitus, non verò ex parte potentiæ: quia ista, secundum substantiam, non est supernaturalis.

87 Tertia principalis opinio ponit actum fidei infusę partim naturalē, & partim supernaturalem secundum substantiam. Ita quidam ex nostris benemeritus Scotista *tractatu de gratia in manuscriptis, disp. 3. quæst. 3.* Et probatur. Quia actus fidei non solum oritur ab habitu, sed etiā à potentia: ergo sicut habitus tribuit de sua supernaturalitate, ita potentia de sua naturalitate tribuit, sed actus substantia oritur ab vtroque: ergo actus est mixtus ex supernaturalitate, & naturalitate secundum substantiā. Et confirmatur contra Scotistas. Nam supernaturale dicitur, & similiter naturale per ordinem ad agens, sed actus fidei ex æquo dicit respectum ad vtrumque agens naturale, scilicet ad intellectum, & supernaturale, scilicet ad habitum: ergo, &c.

88 Probatur secundo principaliter de mente Scoti. Quia *in primo, dist. 17. q. 3. §. Ad argumenta pro opinione, quæ, V. Aliter potest dici* infrà *n.* 34. Supponens habitum esse propriè supernaturalem, hoc negat de actu, non alia ratione (inquit *Pater Muñoz*) nisi, quia licet oriatur ab habitu, similiter tamē oritur à potentia. Sed si noster iste Scotista semper intelligit, & legit Scotū, sicut in præsenti, oleum, & operā perdidisse videtur, nec aliqua fides ipsi est adhibenda. Quoniā non ideò dixisse actum fidei nō esse propriè supernaturalē, quia similiter oritur à potentia, sed potius ideò, quia oritur ab habitu, qui, inquit Scotus, *positus in esse est causa naturalis sui actus*; & ita clarum, & euidens est in textu Scoti, vt nisi cæcutiens oppositum valeat affirmare.

89 Affert *Muñoz*, *Scotum* in eodem 1. *citato*, §. *Sed tunc est vlterius*: vbi dicit *Scotus*, quod respectu charitatis actus voluntas est prima causa, quam habitus charitatis; nam voluntas vtitur habitu. Quibus ego addo in eodem 1. *dist. 17. q. 2. §. Tertio modo attribuēdo, & §. Concedo igitur propter istas rationes:* vbi

vbi expresse fatetur, quòd potẽtia est prima causa, & habitus secunda respectu substantiæ actus. Tamen contra est; quia Scotus illa *quæst. 2. apud Hugũm Cabellũ, §. Qui vellet tenere, num.* 12. dicit, quòd tota substantia actus prouenit à potentia, negans habitui omnem rationem principij actus; quia tantum habet determinare, & inclinare potentiã ad actum. Ex quo apparet, contra istum nostrum Scotistã, quod secundùm Scotum, actus non sunt supernaturales secundùm substantiam, sed secundùm modum. Et sic, quod ex Scoto non benè probat noster Scotista istã tertiam opinionem, sed potius prima sententia stabilitur. Quia licet Scotus probabile dicat esse, habitum habere aliquam causalitatem respectu actus: tamen vltimo loco ponit alteram opinionem, etiam probabilẽ, quod habitus non sit principium actiuum respectu actus: & sic magis videtur inclinatus Scotus in illã. Vnde prima istarum sententiarum videtur magis de mente Scoti.

90 Et si fortè obijcias, quòd *Scot. quæst. 3. num. 27. in fine, cum Aug. Epistol. ad Bonifactum*, dicit, quòd *Charitas est sicut sessor ad eũ respectu voluntatis, & quod volũtas respectu gratiæ pedis equa est, & non præuia*: ergo. Respõdeo cum Scoto: *Hoc quidem verum esse respectu actus, vt meritorius, vel acceptabilis, sed non secundùm physicum substantiæ actus*: quæ solutio si comparetur cũ loco supra citato contra secundam opinionem, *numer.* 78. fauet validissimè primæ opinioni. Vnde ex istis argumentis noster Muñoz solum probat, quod actus fidei sit naturalis secundùm substantiam, non verò probat quod sit supernaturalis.

91 Probat autem non esse supernaturalem quoad modum, sed in substantia, sic. Quia relatio actus ad habitum supernaturalẽ, non solũ est actualis, sed aptitudinalis (vult dicere, quod actus, natura sua, petit elici ab habitu) sed in ista relatione consistit supernaturalitas quoad substantiã: ergo. Maiorem probat (in qua, inquit, tota est difficultas) quia licet actus secundùm suam naturam, & speciem incompletam (hoc est vt dilectio Dei est in actu charitatis, & in actu fidei, vt assensus fidei diuinæ est) solum petat potentiam naturalem; tamen secundùm totam suam naturam, & speciem completam, hoc est secundùm quod bonitatem charitatiuam, & acceptabilitatem habet, necessario petit elici (& in actu fidei, secundùm quod bonitatem veracitatis certitudinis, infallibilitatis, & acceptabilitatis habet) ab habitu supernaturali, suppositâ ordinatione diuina, ex *Scot. quodlib. 17. §. Ad argumentum in fine.*

Ve-

92 Verum ista ratio parui momenti est. Quia in actu acceptabilitas, certitudo, & infallibilitas, non sunt de substantia, sed modus substantiæ actus. Respōdet Muñoz, concedendo, non esse de substantia physica, esse tamen de substantia actus, in esse moris. Sed contra: ergo secundùm substātiam physicam actus non est supernaturalis: ergo non oritur ab habitu actus secundùm substantiam physicam. Respondere videtur, quod prædicti modi sunt circunstantiæ intrinsecæ actui in esse physico cōsiderato, & vt sic potit procedere à charitate, vel habitu supernaturali, & ita secundùm substantiam est supernaturalis actus.

93 Sed contra. Quia si ista solutio procederet ipsi, plus probat, quam intendit: quoniam euidēter probat actum, ex omni parte esse supernaturalem: nam licet intellectus sit agens naturale secundùm suam physicam entitatem præcisè consideratus, tamē secundùm omnem rationē principij actiui consideratus respectu huius actus secundùm totam suā naturam, & specificam rationē completam considerati non est agens naturale, sed supernaturale (etenim intellectus non agit in actum, nisi prout eleuatus, & supernaturalizatus) ergo si supernaturalitas sumitur per ordinem ad agens supernaturaliter causativum, actus ex omni parte euadet supernaturalis secundùm substantiam, vel solum est supernaturalis quoadmodum.

94 Hucusque tres sentētias probabiles retulimus, quāquam prima relinquatur probabilior. Sed pro à nobis dicendis primo notandum est cum *Scot. in 4. distinct. 43. q. 4. §. Intelligendum est*; quod naturale potest sumi primo, vt opponitur violento: & sic naturale dicitur per ordinem ad receptivum, in quo si fuerit inclinatio ad recipiendum actū, vel formā, talis forma, vel actus est subiecto naturalis: si verò in subiecto est resistentia, & nō inclinatio positiua, talis forma non est dicenda supernaturalis, sed violenta. Vnde actus fidei, per ordinem ad intellectum in quo inest, nō supernaturalis, nec violentus, sed naturalis dicitur. Si verò in susceptiuo non fuerit inclinatio, nec resistentia positiua, talis forma dicitur neutra, respectu susceptiui.

95 Secundo sumitur naturale, prout opponitur libero: & sic naturale dicitur per ordinem ad principium determinatū ad vnum; sicut per oppositum, liberum per ordinem ad principium indifferens. Vnde actus fidei potest esse, vt sic, naturalis: quia potest oriri ab intellectu & habitu sine libertate: & vt sic à principio determinato ad vnū: tamen, quia frequenter supponitur imperiū, in ista acceptione non

non est naturalis, sed neque supernaturalis, sed liber.

96 Tandem tertio naturale sumitur per contrapositionē ad supernaturale: atque in explicatione horum duorum cōceptuum oppositorum naturalitatis, & supernaturalitatis præsentis dubij resolutio consistit. Circa quod sunt plures sententiæ.

97 Prima enim sententia dicit, quod supernaturalitas cōsistit in respicientia rerum ad Deum, vt Trinum, & naturalitas in respicientia ad Deum, vt Vnum: & sic illud est naturale, quod respicit Deum, vt Vnum, & supernaturale, quod respicit Deum, vt Trinum. Sed reijcitur euidenter, quia hæreticus credit Deum, vt Trinum, & tamen talis assensus non est supernaturalis: & similiter Dæmon naturaliter credit Deum, vt Trinum: & nos Fideles Catholici supernaturali actu credimus Deū vt Vnum: ergo. Item si viderētur attributa diuina, non visis Personis, foret visio supernaturalis. Item influxus Sacramentorum in gratiam est supernaturalis, & non magis respicit Trinitatem, quam quodlibet aliud opus naturale: ergo, &c.

98 Secunda opinio dicit; supernaturalitatis conceptum cōsistere in negatione, scilicet in negatione exigentiæ, & debiti naturæ, & naturalitas in exigentia, & debito naturæ. Vnde naturale est, quod est iuxta exigentiam naturæ, & illi debitum; & supernaturale, quod non est iuxta exigentiam naturæ rei, & illi indebitum. Sed reijcitur facile hæc opinio: alias omne violentū esset supernaturale: quia violentum non est iuxta exigentiā, & debitum naturæ, respectu cuius est violentum. Preterea visio beata est supernaturalis, & tamen est connaturalis, & iuxta exigentiam intellectus eleuati, & similiter actus virtutum infusarum: ergo.

99 Tertia opinio docet; naturalitatem consistere in participatione esse diuini alicuius, prout est in alio: supernaturalitatē verò in participatione alicuius esse diuini, prout in se. Vnde naturale est, quod participat aliquid Dei, prout in alio, & supernaturale, quod participat aliquid Dei, prout in se. Sed hæc opinio etiam reijcitur. Quia licet respectu habituum Fidei, Spei, Charitatis, luminis gloriæ, &c. hæc opinio videretur aliquantulum probabilis: tamen respectu aliorum entium supernaturalium falsa est manifestè. Quia actus harum virtutum, & habituum horum sunt supernaturales, & tamen non participant aliquid Dei prout in se, sed prout in alio, scilicet in habitu. Secundo reijcitur: quia ista participatio prout in se per quam distidet supernaturale à naturali,

li, vel est identitas cum diuino esse, vel per vnionem, vel per possessionem, vel per similitudinem, vel per causalitatem; nō per primum, vt de se patet; neque per vnionem: quia sola est vnica vnio cum esse diuino, scilicet hypostatica: non per possessionem: quia solius beatitudinis hoc est proprium: per causalitatem autem omnia forent supernaturalia: quia omnia diuinam causalitatem terminant: per similitudinem autem non: aliàs homo, & Angelus forent propriè supernaturales: quia inter creaturas istæ sunt Deo similiores: ergo Citat *Ripalda disp. 4. sect. 1. n. 6.* pro isto placito nostrū Soſſam; sed vt vidit noster Felix, fallitur Ripalda

100 Quarta opinio quasi idē tenet, dicens, naturalia esse, quæ non spectant ad ordinem diuinum, & supernaturalia, quæ ad talem ordinē spectant. Sed quasi eodem modo reijcitur ac præcedens opinio. Præterea, quia ab Authoribus eius non explicatur iste ordo. Secundo; quia in sententia cōmunissima prędestinationis effectus numerantur omnia, quæ in vniuerso facta sunt: imò ipsum prędestinationis subiectū, & bona naturalia ac perfectiones: ergo omnia vniuersi forent supernaturalia; quia vt sic omnia conducunt ad attingentiam finis supernaturalis, & sic ad ordinem diuinum spectant. Præterea subsistenti accidentiū Eucharistiæ, & modus existendi Corpus Christi in eis est supernaturalis, & tamen non habent rationem entis diuini, nec dicunt proximam, & cōdignam attingentiam obiecti supernaturalis: ergo noster *Smising. de Deo Vno, tractat. 2. disp. 6. num. 39.* nō benè philosophatur. Deinde amor naturalis Dei est immediata coniunctio cum Deo, & tamen non est supernaturalis: ergo. Vnde reijcitur Basolis dicens, supernaturalitatem consistere in ordine essentiali ad Deum, cui immediatè substantia creata coniungitur: cui adhærent Herice, & Hurtado apud *Ripaldam disput. 4 sect. 2. num. 13.*

101 Quinta opinio dicit: supernaturalitatē consistere in relatione ad receptivum, ita quod forma producatur à Deo vltra naturalem inclinationem subiecti. Ita *Vazquez 1 part. disp. 214. cap. 2* sed reijcitur Vazq. Quia confundit supernaturale cū violento. Ex eo enim sequitur, nos posse viribus naturæ, efficere opera supernaturalia: quia possumus facere, aquā, & alia grauia sursum ascendere, & leuia deorsum ire. Deinde, secundū nostrum Scotum, nobis inest appetitus, & inclinatio naturalis ad beatitudinem, quæ est supernaturalis: ita habet *Scot. q. 1. prolog. §. Ad quæstionem, num. 21.* ergo. Secundo reijcitur à nostro Felice

op-

optimè cum Scoto. Quia dando gratis in nobis solum esse potentiam obedientialem ad beatitudinem, non est vera sententia Vazquez. Nam vel ista potētia obedientialis est ordinis naturæ, vel omnino est supernaturalis: non potest Vazquez dicere primum: aliàs supernaturalitas quoad substantiam esset ordo ad subiectum, vt pertinet ad ordinem naturæ: no secundum: quia iam potentia obedientialis haberet supernaturalitatem in aliquo priori antequam recipiatur à forma supernaturali: & sic falsum dicit euidenter, quod supernaturalitas secundùm substantiam consistit in relatione formæ ad subiectum secundùm supernaturalem inclinationē. Tertio reijcitur: quia gratia creari potest, ita quod, in nullo sit subiecto: tunc est supernaturalis, & nullum dicit talem ordinem ad subiectum ergo.

102 Sexto accedit *Ripalda*, citatus in *sua sect* 3. constituens supernaturalitatem in conexione quidditatiua cum gratia sanctificante, siue ista connexio sit physica, siue intentionalis mediata, vel immediata, antecedens, vel consequens. Cæterum ista sententia insufficiens, & falsa est primo. Quia gratia habitualis est supernaturalis, & tamen secluſa conexione quidditatiua cum ipsamet, est ita: ergo ineptè definit Ripalda supernaturalitatis conceptum. Secundo reijcitur, sicut reiecimus tertiā, & quartam opinionem. Et confirmatur: quia miraculosa visus restitutio, & vbi Eucharistiæ supernaturalia sunt, & non connectuntur quidditatiuè cū gratia: ergo. Respondet Ripalda, quòd omnia ista connectuntur consequenter cum vnione hypostatica, quæ est gratia substantialis. Sed contra: quia vnio hypostatica non est forma expulsiua peccati. Secundo: quia illa ponunt fieri, etiam si non extitisset vnio hypostatica, & sine connexione quidditatiua cum illa: ergo. Respondet secundo Ripalda, quod illa habent connexionem cum gratia habituali intentionalem, in quantum ipsi soli est debita cognitio talium entium. Sed contra primo; quia in statu puræ naturæ possunt fieri illa miracula. Secundo: quia exinde sequitur, quod quilibet beatus videat omnia miracula hucusque facta à Deo à principio mundi: imò quilibet iustus cognoscit illa, quod est falsum.

103 Tertio reijcitur Ripalda. Quia cognitio Angeli de gratia habituali est naturalis, & tamen connectitur cognitio illa cum gratia, sicut actus cum suo obiecto ergo. Et confirmatur: quia habitus acquisitus fidei ex repetitione actuū fidei infusæ est naturalis, qui tamen, mediatè saltim, connectitur cū gratia: er-

ergo per connexionem cū gratia habituali incongruè explicat Ripalda supernaturalitatem. Vltimo reijcitur: quia ex *Ripalda, disp. 2. num. 2.* Deus est supernaturalis, qui tamen non connectitur quidditatiuè cum gratia: ergo. Respondet, quòd secundū esse intentionale habet connexionem cum gratia: quia cognitio quidditatiua Dei soli iusto debetur. Sed contra: quia talis cognitio est debita iusto, solum ex Dei pacto.

104 Septimo loco accedunt Scotistę tenentes supernaturalitatē cōsistere in ordine ad agens supernaturaliter causativum: & sic naturale dicunt esse, quod dicit ordinem ad agens naturaliter causativum, & non supernaturaliter. Supernaturale autem dicunt esse, quod dicit ordinem ad agens supernaturaliter causativum, & non naturaliter. Ita omnes Scotistæ, ex *Scot. quæst. 1. §. Ad quæstionem*; & *in 4. distinct. 10. quæst. 8. §. Respondeo ad quæstionem*: & *dist. 43. quæst. 4. §. Intelligendum*, & alibi pluries locis supra relatis. Tenet ex parte *Suarez*, & *Caiet. in opusc. tom. 3. tract. 3. quæst. 2.* & *Ægid. tom. 2. de Beatitudine lib. 7. quæst. 5. art. 2. §. Primo.*

105 Quanquam in hoc Scotistæ conueniant; differunt tamen in explicādo, quid sit, agens esse supernaturaliter causativū, per quod, seu in ordine ad quod supernaturalitas, & supernaturale consistat. Quidam enim dicunt, esse, agens increatum influens, & causans per creationē. Vnde secundùm istos Scotistas, solum res, quæ propriè creantur, erunt supernaturales. Et si illis obijcias: ergo materia prima, anima rationalis, & Angeli erunt secundùm suas entitates entia supernaturalia, quia creantur: consequentiam deborant cū *Fabro in Prolog. disp. 3. quæst. 2.* sed statim insurgit noster Felix; quia *Scotus in 3. dist. 24. §. Contra hæc, vers. Contra quia, in fine*; dicit, animæ infusionem esse naturalem; & ipsa anima collata, & infusa corpori organizato dicitur, estque naturalis, & non supernaturalis. Sed contra insurgunt huiusmodi Scotistæ: quia *Scot. in 1. dist. 17. quæst. 3. §. Ad argumenta pro opinione, vers. Aliter*, ait, quod habitus est propriè supernaturalis, *quia est immediatè à causa supernaturali* (ideſt ab agēti increato) *immediatè* (ideſt positus per creationē) & clarius *in 4. dist. 43. quæst. 4. §. Intelligendum*, definit supernaturale per ordinem ad agens increatum, & operans supra totum ordinē causarū creatarum, quod est creari. Ad illud *Scot. ex 3. dist. 24.* respondetur facile, quod Scotus solū vult; animam rationalē non esse supernaturalem, & similiter eius infusionem per ordinem ad susceptivum, sed naturalem, vt op-

opponitur violento, cum quo ſtat, quod per ordinem ad agens ſit ſupernaturalis, quia ſupernaturaliter cauſatur à Deo ſolo per influxum ſupra totum ordinem cauſarum creatarum.

106 Efficatius verò impugnari poteſt iſte dicendi modus: quia ex eo ſequitur non eſſe neceſſarium lumen gloriæ ad videndum Deum: nam propter ſupernaturalitatem ponitur, ſed anima rationalis eſt ſupernaturalis, & Angeli: ergo ad videndum Deum intuitiuè non requiritur lumen: imò iam de facto daretur ſubſtantia ſpiritualis, & ſupernaturalis, cui debita eſſet viſio beatifica; quod, adhuc de poſsibili, concedere, omnibus videtur difficilimum: ergo iſte modus non eſt admittendus.

107 Alij verò Scotiſtæ, vt Felix, non ſatis explicant quid ſit agens eſſe ſupernaturaliter cauſativum. Dicit noſter Felix ſignificare efficiens influens influxu ſpeciali ſupra ſubſtantiam creabilem. Sed contra illum ſic arguo: ergo ſupernaturaliter eſſe cauſativum, nihil aliud erit, quam cauſare per creationem, vt dicebant ſupra relati Scotiſtæ, quod eſt proprium agentis increati: ergo incidit in ſententiam, quam ipſe reprobat.

108 Alij verò Scotiſtæ, vt Muñoz, dicunt, quòd eſſe ſupernaturaliter cauſativum, eſt operari ſupra omne debitũ naturæ creatæ, vel creabilis. Sed contra: ergo actus virtutum infuſarum non ſunt ex aliqua parte ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam: patet; quia ex nulla parte ſunt extra omne debitum naturæ creatæ, vel creabilis: vtpotè habitus non operantur ſuos actus ſupra debitum, ſed iuxta debitum. Et confirmatur; quia ſecundùm Muñoz, eo anima rationalis nullo modo eſt ſupernaturalis, etiam ſi à ſolo Deo per creationem ponatur; quia poſt vltimam diſpoſitionem organici corporis, non eſt ſupra debitum, ſed iuxta exigentiam naturalem; ſed etiam poſito lumine fidei, & ſufficienter propoſito obiecto reuelato aſſenſus fidei infuſæ, non eſt ſupra debitum, ſed iuxta exigentiam; ergo inconſequenter philoſophatur Muñoz.

109 Præterquamquòd cõmittit aliam in conſequentiam: quia ſupernaturale definit per ordinem ad agens cauſativum, & ex ſua doctrina ſequitur, quod ſupernaturale dicatur tale per ordinem ad ſubiectum, eo quod non alia ratione excludit ab ordine entis ſupernaturalis Angelos, niſi quia licet à ſolo Deo per creationem producantur, nõ tamen ſupra debitum diſpoſitionis ſubiecti: ergo contra ipſum ſequitur, quod ſupernaturale, debeat dici tale per ordinẽ

ad

ad subiectum, & non per ordinem ad agens. Ex quo sequeretur, quod neque habitus infusi, neque actus eorum forent supernaturales: quia respectu intellectus in quo recipiuntur, nō sunt vltra exigentiam eius, sed potius iuxta exigentiam, supposita ordinatione diuina hominis in finem supernaturalem.

110 Non est mirum doctissimos viros Theologos in supernaturalitatis mari magno ita fluctuare, quin ad portum deuenire possint, nec fidam litoris stationem tenere: miror tamen aliquos sibi persuasos ratem sua huius procelosi maris aquas, & supernaturalitatis vortices tutam secasse; cum vt vidistis, hucusque Theologorum classis vndique iactata fluctibus, & contrarijs dispersa ventis in medio maris persistat. Difficultatis oneri succumbo, & supra nostri intellectus capacitatem cōfiteor, difficultatem esse sine rubore, & quid mirum si est supernaturalis. Freti nihilominus diuino auxilio, & omnibus benè appensis opinionibus, placet dicere, quod naturale dicitur tale per ordinē ad agens naturaliter causativū, & supernaturale per ordinem ad agens supernaturaliter causativum: in hoc conuenio cum omnibus Scotistis ex Scoto citato ab eis supra: & patet à sufficienti aliarum opinionum impugnatione. Etenim isto ordine posito cæteris secluſis cognoscitur supernaturale. Ipsoque secluso cæteris positis no cognoscitur, & confirmatur quoniam naturale dicitur tale per ordinem ad naturam, natura autem est virtus principium, & agens intrinsecum: ergo supernaturale dicitur tale, non per ordinem ad naturam sed ad virtutem, principium, causam, & agens extrinsecum, & supra talem ordinem ad naturam.

111 Quid autem sit supernaturaliter causativū? Hic opus, hic labor. Dico nihil aliud esse, quam causare supra ordinē omnem naturalem actui ad passum. Vnde supernaturale propriè dictum erit illud, quod taliter producitur in subiecto, vt ab illo nō educatur, cum recipiatur in illo; & agens supernaturaliter causativum erit illud, quod ita agit in subiecto, vt receptum in illo nō educatur ex illo. Ex quo, etiam si supernaturalia dependeant solum ab agenti increato per creationem, optimè saluatur, quod materia prima, anima rationalis, & Angeli non sunt entia supernaturalia. Hæc conclusio est expressissima in *Scot. in 4. dist. 43. §. Intelligendum, vers. Alio modo*, & existimo, hanc esse sententiā *Suarez 1. part. lib. 2. de attribut. negatiu.* imò Vazquez relatus facile potest reduci ad illam. Item possunt reduci ad eam secunda opinio, & tertia.

Se-

112 Secundo notandum est, quòd supernaturalitas, & supernaturale est duplex: vnum quoad substantiam, propriè, simpliciter, & intrinsicè. Alterum quoad modum, minus propriè, extrinsicè, & secundùm quid. Illud est, quod ex sua propria specifica ratione petit agens supernaturaliter causativum, vt sunt omnes habitus per se infusi, v. g. fides, spes, & lumen gloriæ, &c. Quoad modum autē, & quod (licet hic, & nunc respiciat agens aliqualiter supernaturaliter causativū) ex sua tamen ratione specifica nō exigit, vt restitutio visus, resurrectio mortuorum, scientia per accidens infusa, & alia quæ magis dicuntur miracula, quam supernaturalia secundùm substātiam propriè dicta simpliciter, & intrinsecè. Ex quo facile defensabitur, non posse dari substantiam creatam supernaturalem, cui sit debita visio beatifica.

113 Dices: Modus essendi accidentium in Eucharistia sine subiecto est supernaturalis quoad substantiam: & similiter modus essendi Corporis Christi in Eucharistia; & nihilominus isti modi edducuntur ex accidētibus, & ex Corpore Christi (distributione accommoda) ergo malè à nobis diffinitur supernaturale quoad substantiam. Respondetur; quòd modus essendi Corporis Christi Domini nō edducitur ex potentia Corporis Christi, sed creatur à solo Deo. Accidentia autem sunt sine subiecto, non per aliquem modum positivum (& si ita essent per aliquem modum, quod cum Scoto negaui *tract. de Eucharist. disput. 3. cap. 1. sect. 4.* idem diceremus, quod de modo existendi Corporis Christi dictū est) sed per carentiam actualis inhæsionis solam. Si tamen velis dicere, quod cōseruantur cōcursu creatiuo; tunc videtur, posse dici, habere in se receptum aliquē modum, sed iste nō edducitur ex accidentibus. Vel dic, quòd illa carentia inhæsionis est supernaturalis secundùm substātiam, & suo modo recipitur, in accidentibus, licet nō edducatur ex illis, & respicit agens increatum operans per anihilationem substantiæ panis. Vnde respondebis, si obijciatur, quod illa carentia actualis inhæsionis est ex se supernaturalis.

114 Dices. Supernaturale, per nos, est, quod dicit ordinem ad agens supernaturaliter causativum, idest supra totum ordinē naturalem actiui ad passum: ergo naturale erit, quod habet ordinem naturalem actiui ad passum: ergo, sicut ad supernaturale requiritur, quod recipiatur, & non educatur, sed producatur per creationē, ad naturale requiritur, quod recipiatur, & edducatur: ergo Angeli nō sunt entia naturalia; neque materia prima;

neque anima rationalis; neque alia entia completa erunt entia naturalia; quia ex omnibus istis, quædam, si recipiuntur, nō educuntur; & quædam, neque educuntur, neque recipiuntur; sed hoc in auditū, & falsissimū est: ergo nostra sentētia de cōstitutiuo supernaturalitatis fictitia est, & falsissima, ac prorsus reijcienda.

115 Respondetur, quòd Angeli in se, nec sunt entia supernaturalia simpliciter, nec naturalia in se, sed solum dicūtur entia intellectualia creata: possunt tamen, secundùm quid, dici naturalia respectu nostri, in quantum causant secundum ordinis naturę debitū in nobis aliquid: vel supernaturalia, etiā secundū quid, in quantū excedunt in perfectione omnia, quæ continentur in circulo naturæ rerū. Materia autē prima non est ens naturale, vt *quod*, sed vt *quo*, ideſt natura, & idē dico de anima rationali. Reliqua autē entia cōpleta producuntur per generationē secundū ordinē naturalem actiui ad passum, per productionē vnionis, quæ recipitur in materia prima, & ex ea educitur, & similiter per productionem formæ substātialis, quæ recipitur, & educitur ex potētia materiæ, vel per productionē formæ accidentalis, quæ similiter recipitur in materia, & ex ea educitur.

116 Dices: ergo Deus nō est ens supernaturale. Respōdetur, quòd in se, nec naturale, nec supernaturale ens est, sed solū in se est ens increatū, & infinitū: solū enim causaliter, & respectu nostri, potiori, & eminentiori modo, quā Angeli, dicitur naturale, aut supernaturale; naturale, quando concurrit secundū ordinē naturalem actiui ad passum, & supernaturale, quādo supra ordinem naturalē actiui ad passū influit.

117 Hoc posito sit nostra conclusio. Actus fidei infusæ, secundū substantiā ex omni parte, est naturalis. Hæc cōclusio mihi magis videtur de mente Scoti locis pro prima opinione relatis, & cōtra secundā, & tertiā obiectis: videātur ibi. Ratio autem à priori ex ipso Scoto deducta est. Quia illud dicitur, & est supernaturale, quod ex sua ratione specifica respicit agens supernaturaliter causativū, sed actus fidei nō respicit agens isto modo: ergo. Probatur minor. Illud est agens supernaturaliter causativum, quòd in causando excedit omnem ordinem naturalē actiui ad passum, sed actus fidei non respicit agens, quod in causando excedit omnem ordinem naturalē actiui ad passum: ergo actus fidei non respicit agens supernaturaliter causativū. Probatur minor. Quia non respicit agens increatum, immediatè influens influxu creatiuo: nam actus fidei educitur ex potentia intellectus eleuati: ergo, &c.

Di-

118 Dico secundo: Quòd actus fidei est supernaturalis secundùm quid: eo videlicet, quia ad sui productionē requirit habitum in sua entitate supernaturalem: & hoc siuè requiratur per modum principij actiui, influētis partialiter in substantiā actus, siuè per modum eleuantis potētiam, inclinādo illā, & determinando, quòd vtrumque in *Scoto* est probabile: quoniam si intellectus per modum causæ partialis minus principalis concurrat ad substantiam actus, nō exinde actus in substantia, adhuc partialiter, dici debet supernaturalis: quia *habitus positus in esse, est causa naturalis sui actus*: vt dixit *Scotus in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. *Ad argumenta, vers. Aliter potest dici.* Si verò solum se habeat per modū eleuantis, determinantis, & inclinantis potentiam, melius defensabitur, quòd actus solum secundùm modum, & secundùm quid est supernaturalis; quia vt sic habitus non concurrit ad substantiam, sed ad modum actus.

Sectio 6. *Vtrùm circa obiectū formale, & materiale fidei infusæ possit esse actus merè naturalis, absque gratia, & è contra, circa obiectum formale naturale actus supernaturalis ex gratia?*

119 Dico primo, quòd circa obiectum, tam materiale, quàm formale fidei infusæ poterit dari actus omnino naturalis, & non presupponens auxilium gratiæ, nec habitum per se infusum. Ita omnes Scotistæ, *Felix tract. de Gratia, & Cassillo hic, disp. 7. q. 3. n. 8. ex Scot. in 3. dist. 26 §. Ad quæstionē, & quodlib. 14. §. De primo, vers. Dixi autē cōmuniter, & in 1. dist. 17. q. 3. §. Ad argumenta pro opinione, & in 3. dist. 27. §. Ad primū principale. & in 3. dist. 14. q. 3.* sequūtur *Lorca 1. 2. disp. 9 de gratia*, qui alios citat, vt *Caiet. Medinā, Sotū, Coninch.* in presenti *disput. 5. dub. 2. & 3. & Molin. disp. 7. in concordia, & disp. 13. & 14. mēb. 1.* citans *S. Thom. 2. 2. q. 171. ar. 2. ad 3. & etiā tenet disp. 32*

120 Probaturque primo. Nā si quis fidedignus proponat alicui mysteriū Trinitatis, & mysterium Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis, &c. Potest audiens præstare fidem humanā, & assentiri illis obiectis propter authoritatē humanā, sed ad illum assensum propter illud motivū non requiritur gratia, nec habitus infusus: ergo circa obiecta materialia fidei infusæ poterit esse actus merè naturalis, vt tenet communis sententia contra *Vazquez 1. 2. disp. 188. cap. 2.*

121 De obiecto autem formali, vel materiali credito propter formale, probatur. Nā Dæmones credunt multa, quia certò cognoscunt, Deum illa dixisse, & propter eius authoritatē, qui tamen Dæmones credunt sine auxilio, & sine habitu per se infuso: ergo. Item hæreticus discre-

credens vni articulo, assentitur alijs, quia assentitur Deum illa dixisse, ad quod non supponitur auxilium, neque habitus: ergo. Respondet *Suarez tom. 1. de Gratia, lib. 2. disput. 11. num. 31.* quòd motivum formale credendi in hæretico, & in Dœmonibus est mixtum ex prima veritate, & coniecturis, siuè rationibus naturalibus, propter quas præcipuè mouentur ad credendum. Sed contra est primo; quia illa signa, rationes, & coniecturæ sunt cõditiones, vt assentiamur, nõ verò sunt motiua formalia. Secundo; secundùm omnium sententiam ad fidem infusam frequenter supponitur fides humana. Tertio; quia hæreticus potest habere reuelationis euidentiam in attestante de aliquo mysterio, & credere illi propter reuelationem, sicut Dœmones multa credunt, quia habent euidentiam in attestante.

122 Probatur tertio nostra conclusio. Quia certo possumus cognoscere, quod diligimus Deum propter se ipsũm vt est finis beatificus, & supernaturalis: ergo, si circa obiectum supernaturale necessario debet versari actus supernaturalis ex gratia, & habitu infuso, sequitur, nos certo cognoscere, nos esse in gratia, quod est contra illud *Eccles. cap. 9. vers. 1. Nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.*

123 Ratio autẽ à priori est: quia assensus fidei est liber, & similiter actus spei, & charitatis & voluntas vtitur habitibus: ergo potest volũtas, proposito obiecto supernaturali, nõ vti habitu, & assentiri obiecto sibi sufficienter proposito sine habitu: ergo tunc dabitur actus merè naturalis circa obiectum supernaturale.

124 Sed aduersus istam cõclusionem obijciunt *Vega in Trident. cap. 3. Curiel. 1. 2. q. 109. art. 1. dub. 3. Suarez tom. 1. de Gratia, lib. 2. disp. 11.* citans *D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. & q. 5. art. 2. & 3. ad primũ, & in 3. sent. dist. 24. art. 1. q. 1.* Primo sic, ex 1. *ad Thessalon. 2.* vbi Paulus agit Deo gratias, quia homines acceperunt ab ipso fidem, nõ vt est verbũ, & opus Pauli, sed vt est verbum, & opus Dei: & cõfirmat ex generalibus testimonijs Scripturæ: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, &c.* & *sine me nihil potestis facere*: ergo proprijs viribus non possumus credere. Respondeo primo: ad hæc, & alia ex Concilijs, & Sãctis Patribus pronuntiata; quod debent intelligi de actu, sicut opportet conducẽte ad vitã eternã: cũ quo stat, viribus naturæ cum concursu generali, posse operari circa obiecta formalia virtutum infusarũ, sed non sicut opportet: cuius oppositum dixit Pelagius, propter quod cõdemnatus fuit à Cõcilio.

125 Obijciunt secũdo: Quia sequeretur nunquam esse in potestate hominis, elicere actum su-

supernaturalem, neque in illum cõnari, quantum est in se: patet; quia si supernaturalitatem non sumit actus ex motiuo, sumet illam ex efficienti, & sic non erit in potestate hominis, sed in potestate Dei auxiliantis, sed consequens est falsum, quia actus fidei cadit sub præcepto: ergo est in potestate hominis. Respondeo distinguendo sequelam; supposito habitu supernaturali, vel auxilio gratiæ nego sequelam; ipso non supposito transeat. Vnde, quod actus fidei infusæ cadat sub præcepto, solum arguit, esse in potestate hominis, illum elicere, & in illum inclinari supposito habitu infuso, vel auxilio gratiæ; & ipso non supposito non cadit sub præcepto: nam quod motivum formale sit supernaturale, non ponit potestatem in homine, nec possibilitatem, vt obligetur ad actum supernaturalem, & sicut opportet, sed potius ex eo arguitur in potentia, & impossibilitas, attentis naturæ viribus: & sic quamuis obiectum sit supernaturale, non sufficit vt assensus supernaturalis fidei infusę cadat sub præcepto, si potentia non eleuetur per habitum, vel auxilium: nam ad impossibile nemo tenetur.

126 Obijcies tertio. Actus specificantur per obiecta formalia, sed obiectum formale fidei infusæ est supernaturale: ergo actus circa ipsum debet esse semper supernaturalis. Respondeo negando maiorem. Quia actus intellectus Angeli, & intellectus hominis sunt circa idem obiectum formale, & in plurimorum sententia, maximè Suarij, sunt diuersæ speciei: & similiter motus rectus, & circularis habent eundem terminum formalem, & differunt specie. Secundo respondeo, admissa maiori, non concessa, negando minorem: quia vt supra notauimus, naturalitas, & supernaturalitas sumitur per respectum ad agens operans secundùm ordinem naturalem actiui ad passum, vel supra talem ordinem: motivum autem formale fidei, neque est naturale, nec supernaturale, sed est veritas infinita, & increata Dei in cognoscendo, & dicendo.

127 Obijcies quarto. Assensus fidei propter motivum formale fidei infusæ est summè certus, verax, & infallibilis, ita quod ipsi non potest subesse falsum, sed quilibet assensus viribus naturæ elicitus fidei non potest habere istam summã certitudinem, & veritatem infallibilem, sed potest ei falsum subesse: ergo circa motivum formale fidei nõ potest versari actus merè naturalis. Respondeo, quòd talis actus viribus naturæ elicitus est certus, verax, & infallibilis, sed non ita firmus, sicut supernaturalis, ex auxilio, &

habitu. Præterea non est acceptabilis, nec meritorius de congruo, sicut supernaturalis ex auxilio, vel habitu elicitus.

128 Obijcies *Scotum in 3. distinct. 26. §. Ad primum*, dicentē: *Beatitudo in particulari, non est sufficienter ex naturalibus concupita*: ergo circa obiectum supernaturale virtutis infusæ spei, non datur actus spei naturalis. Respondeo; quòd in ista authoritate Scotus est pro nobis: nam *ly nō sufficienter*, dat intelligere nostram assertionem; scilicet, quod sicut opportet, non potest viribus naturæ attingi obiectum formale habituum per se infusorum, sine auxilio, vel habitu infuso, vt ipse docet loco citato, *vers. Ad tertium, in fine.*

129 Dico secundo: quod circa obiecta formalia naturalia potest versari actus supernaturalis. Ita *Pater Felix diff. 3. cap. 7. Castillo disput. 7. quæst. 3. in fine.* Ex *Scot. quodlib. 17. §. Contra conclusionem*, & *in 3. dist. 14. quæst. 4.* & sequitur *Suarez 2. de gratia, cap. 11. num. 29.* cum alijs, vt *Molina, Lorca, &c.* Probaturque primo; quia per visionem beatificam videntur multa obiecta formalia mere naturalia, & per assensum fidei, etiam attingitur Deus, vt est naturæ Author. Item vnio hypostatica attingit humanitatem, & gratia voluntatem, & *vbi* Eucharisticū Corpus Christi. Secundo: & est ratio à priori. Quia si circa obiectum supernaturale potest esse actus naturalis, cur circa obiectum naturale non poterit esse actus supernaturalis? Non enim minoris perfectionis est actus supernaturalis, sed multo maioris.

130 Sed aduersus nostrā cōclusionem eruditam satis excogitauit N. Magister Felix dogmaticam obiectionem. Nā propositio trigesima quinta Michaelis Baij (scilicet: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis scilicet, quo Deus amatur, vt Auctor naturæ, & gratuiti, quo amatur, vt Beatificator, vana est*; vbi dicit, quòd amor circa Deum semper est naturalis) damnata est à Pio V. ergo damnatur nostra sententia dicens dari amorem supernaturalem circa obiectū naturale. Respondetur, quòd Baius damnatur, qua contra omnes Theologos ausus est, affirmare non dari amorem naturalem erga Deum, nec erat possibile dari, non verò, quia diceret actum supernaturalē posse versari circa obiectum naturale.

131 Dices, obiectum naturale est inferioris ordinis: ergo non potest mouere, neque esse causa actus supernaturalis, qui est superioris ordinis. Respondeo primo, admisso antecedenti, negando suppositum cōsequentis: nam actus, secundùm substantiā, est naturalis, & eiusdem ordinis cum obiecto. Secundo, admisso,

non

non concesso suppositō, nego consequentiam: quia vt actus sit supernaturalis sufficit auxilium, vel habitus; sicut, quamuis potentia sit naturalis, non obstat quominus actus ex habitu sit, in eorum sententia supernaturalis.

132 Dices, quòd *Aug. contra Iobinian. cap. 3.* distinguit virtutes supernaturales à naturalibus ex obiectis motiuis, seu ex finibus: ergo actus supernaturalis nō potest versari circa obiectum naturale, neque, ècōtra actus naturalis circa obiectum supernaturale. Respondeo, quòd Aug. solum agit de distinctione virtutū à vitijs, nō verò de distinctione virtutum supernaturalium à naturalibus virtutibus.

CAPVT III.

De proprietatibus assensus fidei diuinæ infusæ.

Sectio 1. *Vtrùm assensus fidei sit discursiuus?*

133 SVppono, vt diximus *lib. 3. de Anima*, quòd discursus, alius est obiectiuus, scilicet obiecta illa, quæ inter se connexa in propositionibus terminant actus intellectus pertinentes ad formalē discursum: alius est formalis, & est cōnexio actus intellectus per modū illationis vnius ex alio, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis secundùm alios. Neque enim necessè est ad discursum, vt vnus actus tempore alium antecedat, sed sufficit quod antecedat natura: quia in instāti potest fieri discursus, maximè, quando nō est necessaria cōsultatio, etiā si ad discursum præter cognitiones antecedentis, & consequentis requiratur alia tertia cognitio bonitatis antecedentis cum veritate consequentis, vt tenet Suarez, & Arrubal, sed negat Torres.

134 Hoc posito prima sententia tenet, assensum fidei niti discursui à reuelatione ad rē reuelatā. Ita *Vazq. 1. p. disp. 5. cap. 3. Becan. & Durand. Marsil. & Almain.* Fundamentum est quia reuelatio diuina cū re reuelata habet cōnexionē ponibilē in syllogismo: ergo assensus rei reuelatæ nititur discursui obiectiuo, etenim intellectus ad assensum rei reuelatæ mouetur propter reuelationē, & quia ei assentitur. Et cōfirmatur; quia licet vnico actu credamus rē reuelatā propter diuinā reuelationē; tamē iste actus virtualiter est multiplex, vnus terminatus ad reuelationem, & ex isto alius ad rē reuelatā. Etenim; quod obiecta materialia, & fomale fidei attingantur vnico, vel pluribus actibus, solū est differentia materialis: ergo sicut fides nititur discursui virtuali, potest niti discursui formali, maximè cum ista obiecta habeant distinctas veritates, inter se connexas, ordinatas, & dependētes, vt obiectum materiale, & formale:

igitur possunt, causare diuersos actus inter se connexos, ordinatos, & dependentes, & sic discursum. Et vltimo cõfirmatur; quia eo quod electio est amor medij propter bonitatẽ finis, supponit intentionem finis, quæ est actus diuersus, & ab eo oritur: ergo, quia assensus fidei circa rem reuelatam est propter diuinam authoritatem reuelantem, supponit assensum diuinę authoritatis reuelantis, & ex ea oritur: ergo nititur formali discursui.

135 Secunda autem sententia docet, omnibus modis niti discursui. Ita *N. Vega, lib. 9. in Trident. cap. 39. Canus, Sot. Chaterin. Puente Hurt. disp. 29. sect. 2.* Primo; quia *1. ad Chor. 5.* dicitur: *Si Christus non resurrexit, neque nos resurgemus, quod si Christus resurrexit, ergo, & nos resurgemus.* Et cõfirmatur ratione. In fide est vnũ primum credibile, propter quod cætera creduntur, & eo cætera creduntur: ergo fit discursus formalis ex vno credito ad aliud creditum. Secundo, quia plura sunt de fide, ex eo quod per discursum, ex alijs reuelatis deducuntur; vt quod Christus habet duas voluntates, quod Deus sit infinitus; & alia, quę expressè nõ sunt reuelata, vt tetigimus supra *disp. 1. cap. 3. sect. 3. à n. 138.* ergo assensus fidei nititur discursui formali, & virtuali reuelationi.

136 Tertia opinio omnino negat, assensum fidei posse niti discursui. Ita omnes Scotistę, *Felix cap. 9. diff. 1. Castillo disp. 8. q. 2. Smysing. & Pitig.* sequuntur *Caiet. Ægid. Granad. & Suar. disp. 6. sect. 4. ex Scot. in 3. dist. 24. §. Ad propositũ, vers. De primo dico* Probatque sic Felix. Motivum fidei, & motivũ sciẽtię sunt diuersa motiua: ergo fides nõ nititur discursui. Antecedens patet: quia motivũ fidei est extrinsecũ, scilicet diuina authoritas; scientiæ verò motivum est intrinsecum, scilicet connexio extremorum cum medio, & antecedentis cum cõsequenti: ergo sunt diuersa motiua, & consequenter fides non potest niti discursui; aliàs, scientia non distingueretur à fide.

137 Sed aduersus istud fundamentũ, sic insurgo. Identitas extremorum cum medio, nihil aliud est, quã cõnexio authoritatis diuinæ reuelãtis cũ re reuelata, cui in conclusione assentitur: igitur assensus, circa conclusionẽ in syllogismo deductã, nõ habet distinctum motivũ à motiuo fidei. Respondet Felix, quòd, licet aliquis discursus præcedat assensum fidei, non requiritur, vt ratio assentiendi, neque, vt sic præcedit, sed solum, vt conditio applicans motivũ formale, scilicet reuelationẽ, vel authoritatẽ Dei, & ipsa applicatione posita, assensus fit tantũ propter authoritatẽ Dei. Sed contra, quia iam videtur cõcedere, quòd Authores oppositi volunt. Nam ipsi nõ intendunt, quòd discursus formalis sit ratio assentiendi, sed,

quod

quod in discursu formali imbibitur expressè motivum formale fidei, sufficienter ad specificādum assensum conclusionis, ad hoc, vt sit assensus fidei infusæ diuinæ.

138 Secundo contra præfatū Felicis fundamētum sic insurgo. Quia secundum *P. Felicem cap. 8. diff. 3. & Castillū disp. 7. q. 3.* actus supernaturalis potest versari circa motivū naturale, & actus naturalis circa motivū supernaturale: ergo assensus fidei poterit niti motivo fidei, siuè per discursum, siuè per simplicē apprehensionē propositū sit. Et cōfirmatur; quia in eorū, & communi sentētia, ad assensum fidei requiritur iudiciū euidens credibilitatis: ergo ex assensu euidenti de credibilitate obiecti deducitur assensus fidei: ergo nititur discursui

139 Secundo probāt Scotistæ suā sententiā. Quia actus fidei est obscurus, sed assensus conclusionis est clarus, & euidens: ergo assensus cōclusionis ex antecedēti, & consequenti, nō potest esse actus fidei. Respōdet benè Puēte, Hurtado; quod assensus conclusionis est obscurus, etiā si sit euidēs euidētia cōsequētiæ, nō verò euidētia cōsequentis: nā licet cōsequutio sit clara, consequens tamen manet obscurum. Sed insurgit Felix: ergo illud obscurū, vt inducitur consequentia clara, redditur clarum, & sic nō creditur. Sed contra: quia cum euidētia in attestante compatitur assensus fidei: ergo etiam cū euidentia, & claritate consequētię.

140 Tertio probat Felix tertiam sententiam, & opinionē, quia secundum nostram sententiam, obiectū formale fidei non est reuelatio, sed in syllogismo ponitur reuelatio pro obiecto: ergo assensus conclusionis nō est fidei assensus. Respōdebis, quod in syllogismo ponitur reuelatio, vt conditio assentiendi propter motivum formale, quod intelligitur in syllogismo: v. g. *Quidquid Deus reuelat est verum* (intelligitur, quia non potest fallere, nec falli propter summā authoritatem eius) *sed Deus reuelauit Christum esse verum Deum, & hominē: ergo verum est, quod Christus est verus Deus, & homo.*

141 Sed insurgit Felix eodē assensu fidei creditur obiectum materiale, & formale, sed assensu conclusionis non tangitur obiectum formale: ergo assensus conclusionis non est assensus fidei. Respondebis, quod assensu conclusionis tangitur obiectum materiale, *vt quod*, & formale, *vt quo*. Dices in syllogismo non cognoscitur antecedens, in quo est obiectum formale, eodem actu, ac cognoscitur obiectum materiale, quod est in cōclusione: ergo conclusio non creditur. Respōdeo, quod in antecedenti syllogismi, non proponitur, vt credibile, nisi obiectū formale;

&

& sic nihil mirum, quod diuerso actu cognoscatur in antecedenti, quam in conclusione. Sed insurgit Felix. Ergo actus fidei est inæqualiter certus, quia actus versans circa principia, est certior actu circa conclusionē versanti: ergo assensus conclusionis non potest esse fidei. Respondeo negando primam cōsequentiā; quia actus versans circa principia, & circa conclusionem habent idem obiectum formale motivum.

142 Quarto probatur à *P. Castillo* in suo *n.* 15. hęc tertia sentētia efficaciter. Quia diuina reuelatio immediatè creditur, *vt quod* sine discursu: ergo, & res reuelata similiter creditur. Consequentiam probat: quia eadē visione immediatè videtur coloratum, & lucidum, ac ipse color, & lux: ergo eodem actu cognoscitur, & creditur immediatè reuelatum, & reuelatio. Sed istud fundamentum facilè euertitur: primo, quia ex eo sequeretur, nō posse esse, assensum fidei de re reuelata cum euidētia physica reuelationis. Patet: quia per te eodem actu, quo reuelatio tāgitur, immediatè debet tangi reuelatum, sed reuelatio tangitur clarè: ergo non potest esse assensus, obscurus circa reuelatū; sed eadem cognitione debet immediatè tangi, ac ipsa reuelatio. Secundo, quia in sententia Felicis, & Castilli (licet diuerso modo loquantur) Deus potest infundere speciem falsi, & actū erroris: ergo in eorum sententia sequitur, quod Deus possit reuelare falsum, & erroneum; sed tunc potest credi, quod illa reuelatio sit à Deo, & tamen non creditur obiectum: quia aliàs cognoscitur esse falsum: ergo. Exemplum autem non est ad rem, sed potius fauet oppositæ sententię; quia visio respectu parietis est abstractiua, & intuitiua respectu coloris, & lucis, & sic non immediatè tangitur paries, sed mediatè, & ita similiter de assensu reuelationis, & rei reuelatæ.

143 Tandem probant ex solutione argumentorum oppositarum sentētiarum. Ad primum primæ sententiæ dicunt: quod licet reuelatio, & res reuelata habeant connexionem ponibilem in syllogismo, sed non in ordine ad actum credendi, sed ad actum scientiæ, & Theologicum; aliàs habitus fidei non distingueretur ab habitu Theologico. Verum ista solutio impugnata relinquitur supra *num.* 137. Ad aliud respondent, quod eodem actu credimus rei reuelatæ, & reuelationi immediatè; sicut eodem actu dilligimus proximum propter Deum: verum hoc iam impugnauimus *num.* 142. Ad confirmationem, seu ad tertium respondent, negādo, quod actus credendi sit virtualiter multiplex, quia non respicit plu-

plura per modum plurium subordinatorum, ita vt vnum ab alio dependeat, sicut conclusio pendet à præmissis, sed ea respicit per modū vnius, vt visus respicit parietem, colorem, & lucē; verum hæc solutio reijcitur ex dictis num. 142. in fine, & quia in omnium sententia, vnum est primum, & principale credibile, propter quod omnia creduntur, & quia ipsum debet, primo credi: ergo obiecta fidei sunt subordinata, & vnum ab alio dependet: nam obiectum formale, & motivum fidei est etiam obiectum *quod* distinctum à cæteris obiectis materialibus, & creditur distincto actu in indiuiduo, ac cætera creduntur.

144 Ad quartum respondent, quod non est differentia materialis, quod aliquod obiectum attingatur pluribus actibus, quorum vnus sit discursus, vel vno actu, qui sit iudicium; quia iudicium, & discursus distinguntur formaliter, & specie. Verum hæc solutio impugnata manet *num.* 138. quoniam per vos actus supernaturalis secundum substantiam potest versari circa motivum naturale; & è contra actus naturalis circa motivum supernaturale; & circa idem obiectum formale actus supernaturalis, & naturalis, qui plusquam formaliter distinguntur.

145 Ad confirmationem, seu ad quintū. Respondent; verū esse, esse obiecta veritatum distinctarum, & posse causare discursum, sed non in ordine ad fidem, sed in ordine ad scientiam. Verum ista responsio impugnata manet *num.* 137.

146 Ad vltimū primæ opinionis respondent: esse discrimen; nam motivum electionis est diuersum (scilicet bonitas vtilis) à motivo intentionis, scilicet bonitas delectabilis, vel honesta: at verò reuelatio, & res reuelata, non sunt diuersa motiva, sed vnum obiectum *quod* formale completum ex quasi materiali, & formali, scilicet ex explicito, & connotato; & ita vnico actu debent attingi, & credi. Sed cōtra, quia vtile elligo propter delectabile, & honestum, & non obstāte requiritur intentio honesti, & delectabilis, vt ex illa intentione mouear ad electionem: ergo similiter, quia mysteria credo propter authoritatem diuinam reuelantem, prærequiritur credere authoritatem diuinam, vt ex illo actu credulitatis mouear ad credendum reuelationem, & rem reuelatam.

147 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondent, cū *Scoto*, *Felix*, quod Paulus vtitur discursu ad persuadendum reuelationis veritatem, non quia discursus sit necessarius ad fidem, nam, etiam si simpliciter narrasset, erat credenda de fide. Sed con-

cõtra primo: nam hoc solũ probat, no esse necessariũ discursum ad assensum fidei, & hoc solum intendit Scotus ab Scotistis relatus; non verò ponit implicantiã in eo quod assensus fidei sit discursiuus, maximè quando præmissæ sunt de fide; & hoc non negauit Scotus.

148 Ad confirmationẽ dicunt; quod assensus ex vno primo credibili ad alia credibilia non pertinet ad fidem, sed ad scientiam Theologiæ. Verum ista responsio impugnata est supra *num.* 146 in fine. Ad vltimũ respondent; quod illa non creduntur propter discursum, sed propter authoritatem Dei applicatam per discursum conclusioni. Sed contra: nam existimo quod authores oppositi nihil aliud volunt, quam, quod isti Scotistæ concedunt, vt notaui *num.* 137. in fine.

149 Istæ tres sententiæ facilè poterant componi tribus cõclusionibus. Sit prima: ad rationem assensus fidei non requiritur, quod discursui nitatur. Ista conclusio est mihi euidens: & sic intelligo tertiam opinionem esse Scoti relati. Et probatur, quia motiuum fidei non solum est obiectum *quo* respectu cæterorum obiectorum materialium, sed etiam est obiectum *quod*; sed assensus circa obiectum motiuum, non solum non nititur discursui, sed implicat discursui niti; quia assentimur ei propter se immediatè: ergo. Secunda conclusio est. Assensus fidei circa obiecta materialia secundaria, licet non exigat necessario niti discursui, potest nihilominus niti. Ita intelligo primam opinionem; nec aliud eius fundamenta probat: Et secundam similiter opinionem, in quantum cum prima conuenit de discursu formali à reuelatione ad rem reuelatam, & de obiecto formali reuelanti ad obiectum reuelatum: nec argumenta tertiæ sententiæ faciunt contra eam, sic intellectam. Vltima conclusio est. Assensus à reuelatis ad non reuelata non est formaliter assensus fidei, sed Theologicus, est tamen proximè fidei. Hæc conclusio patet ex dictis supra *disp.* 1. *cap.* 3. *sect.* 3. *à num.* 138.

Sect. 2. *Vtrùm actus Fidei sit practicus, vel speculatiuus?*

150 EX Logica constat, quod iudicium practicum est regulativum praxis, seu actus humanos liberos regulãs, prout liberi sunt, & à potentia libera: & sic iudicium practicum est prius praxi, & regulatiuum praxis. Iudicium autem speculativum sistit in mera veritatis obiecti cõtemplatione: videantur dicta in logica.

151 Dico igitur in hoc dubio: quod actus fidei tantum est pra-

practicus. Ita *Scot. q.4. prolog. §. Ad quæstionem, & §. Ad argumenta principalia, 1. quæst.* sequūtur omnes Scotistæ dempto *Castillo disp. 8. quæst. 2. num. 5.* dicente: fidem diuinam secundū diuersos actus esse practicam, & speculatiuam. Sed est contra Scotū, vt videbimus. Probatur ergo conclusio. Quia sic se habet actus fidei in via, sicut se habet visio in patria, sed visio in patria est practica, & regulatiua fruitionis, quæ est praxis: ergo similiter actus fidei erit regulatiuus praxis, & prior natura illa: ergo est practicus solum; quia finis fidei est dilectio Dei, & summi boni. Nec leuiter insinuat Apostolus appellans fidem. *Argumentum non apparentium rerum sperandarum.*

152 Sed obijcies pro *Lorca disp. 26.* (& communiter tenent omnes Thomistæ) dicente, actū fidei simul esse practicū, & speculatiuum. Primo sic. Assensus fidei de istis propositionibus, *Deus est Trinus. Pater generat Filium*: vt assensus illarum est, neque est prior natura, nec regulatiuus alicuius praxis: ergo non est practicus. Respondeo cum *Scoto q.4. prolog. § Ad quæstionem, vers. Ad tertium dico*; quod assensus circa primam propositionem regulat voluntatem, vt diligat tres Personas diuinas: & assensus circa secundā regulat voluntatē, vt diligat primam, & secundam personā, vt procedentē à prima.

153 Obijcies secundo. Ergo nulla notitia de Deo erit speculatiua. Respondet Scotus concedendo consequentiam: necessariò enim, inquit Scotus citatus, notitia eius, scilicet *Dei conformis est praxi virtualiter*. Dices: *Scotus, §. Si obijciatur* ait, quod Theologia in intellectu diuino non est practica. Respondeo, quod ibi, etiam docet esse practicam, licet in fine dubius, & problematicus manserit: solum enim negat, esse practicam, in hypotesi, quod ad cognitionem practicam necessariò requiratur, esse dirigibilem: si verò sufficiat, esse ostensiuam praxis, tenet esse practicam.

154 Sed instat noster Castillo. *Scotus in 4. dist. 14. q. 3. §. Hic dicitur, vers. Ad propositum*: docet, *Deum esse Trinum: esse veritatē speculatiuam.* Respondeo, quod Scotus dicit illud disputando in aliorum sententia, non verò ex propria mente: quia oppositum expressè docet *q.4. prologi, §. Ad quæstionem, & §. Ad argumenta principalia primæ quæstionis*, vbi docet, *quod fides nō est habitus speculatiuus, nec credere est actus speculatiuus*: & sic noster Castillo est manifestè contra Scotum in re satis clara. Vnde contra Castillū arguo. Si vnus actus est prācticus, & alter speculatiuus: ergo habitus fidei est simul practicus, & speculatiuus, quod opponitur manifestè Scoto, *§. Ex hoc patet*,

Ni-

Nisi dicas esse duos habitus fidei specie diuersos, quod dici non potest. Præterea, quia secundum *Castillo q. 1. in fine*, omnes actus fidei sunt eiusdē speciei, sed actus practicus, & speculativus sunt diuersæ speciei: ergo eius opinio falsa est, & inter Scotistas audiri non potest.

155 Sed obijcies: in assensu huius propositionis *Deus est Trinus, & vnus*, non proponitur Deus, vt collendus: ergo talis assensus non est practicus. Respondeo: quod vt iudicium sit practicum, non requiritur, quod expressè ordinet, & dirigat ad praxim, sed sufficit, quod virtualiter sit directiuum praxis: & per hoc soluuntur omnia Thomistarum argumenta.

Sectio 3. *Vtrùm actus fidei sit certior omni alia notitia?*

156 CIrca præsentem difficultatem, plures sunt dicēdi modi. Et in primis *Durandus. in prolog. q. 6. num. 24. & in 3. dist. 23. q. 7. num. 10. vbi Marsilius q. vnic. art. 1. ad 3. ex Hugo de Sancto Victore, 1. de Sacramentis part. 10. cap. 1.* absolutè negant, assensum fidei infusæ certiorem esse assensu primorum principiorū, & conclusionis, siuè scientifico: cui sententiæ fauere videtur maximè *Scotus dist. 23. §. Ad quæstionem, versic. Contra hoc, & dist. 24. §. Sed si loquamur*: vbi dicit, fidē nō excludere omnē dubitationem: idem affirmare videtur D. Bonauētura. Et videtur eius fundamentum validissimum. Primo: quia cognitio principiorū, & scientifica nullam admittunt dubitationem adhuc indeliberatam (vt patet in his: *Totum est maius sua parte, quodlibet, vel est, vel non est, hoc est totum: ergo hoc est aliquid: ergo vel est, vel non est*) fides autem stat, saltim cum indeliberata dubitatione: ergo. Et confirmatur: quia sicut lumen fidei procedit à prima veritate, ita, & lumen naturale: ergo quoad infallibilitatem sunt æqualia: at lumen fidei collustrat obiectum credibile obscurè, ita vt intellectus egeat imperio voluntatis, & pia affectione ad assentiendum: lumen verò naturale non eget voluntatis determinatione ad assensum principiorum, & conclusionis: ergo fides minus certificat intellectum de suo obiecto, quam lumen naturale.

157 Secundo confirmatur: quia lumen fidei certificatur de suo obiecto per lumen naturale: ergo hoc erit certius, & consequenter assensus ex tali lumine erit certior assensu fidei. Consequentia patet: *Quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Antecedens patet: quia obiecta fidei debent esse euidenter, vel prudenter credibilia, sed hoc dependet ex lu-

lumine naturali: ergo certitudo fidei ex luminis naturalis certitudine depẽdet: ad quod facit, quod Patres exaggerãtes fidei certitudinem, comparãt cũ certitudine sciẽtiæ, & principiorum: ergo actus fidei non videtur certior omni alia notitia naturali.

158 Secundus verò modus dicendi est: quod fides in se est certior omni alia notitia naturali, non vero quoad nos: & hoc solum probare videtur opinio Durandi relata. Ita Magister *Lorca disput. 28. cum Caietano ex Diuo Thom. 2. 2. quæst. 4. artic. 8.* Sed contra hoc insurgo: si quoad nos non est certior: ergo neque in se est certior, & si cognoscit Lorca in se esse certiorem: ergo quoad se, & quoad nos etiam est certior: aliàs non benè diceret *Apostolus 2. ad Thimoth. 1. Scio cui credidi, & certus sum*: inutilis quippè foret certitudo fidei in se, si quoad nos etiam non foret, vt certos nos redderet de mysteserijs fidei; imò ad hoc simpliciter datur.

159 Tertius modus dicendi est. Eo fidem dicit certiorem propter maiorem radicationem. Sed facilè contemnitur iste modus. Quia vnde implicat; scientiam, & cognitionem principiorum magis radicatam esse, cum possit esse magis intensa, quam fides. Quartus modus dicendi est. Quod fides est certior certitudine conscientiæ: scientia verò certitudine euidentiæ. Sed contra. Quia fidei certitudo non est affectiua, sed intellectualis: etenim nostra voluntas non dat certitudinem fidei, sed ante nostram voluntatem est certa.

160 Quinto alij dicunt, certiorem esse, in quantũ propter ipsam parati sumus ad assentiẽdum rebus fidei, & deflerere omnes alias cognitiones naturales, quod vocatur appreciatiuè esse certiorem. Sed contra: ergo hæreses, & opiniones certiores sunt omni alia naturali cognitione, & æqualis certitudinis cum fide: quia hæreticus habet istam appreciationem de suo errore, & opinãs de sua opinione. Præterea: sequeretur lumen fidei esse contra lumen rationis; siquidem per lumen fidei est paratus intellectus, negare, quod totum est maius sua parte, & quodlibet, vel esse, vel non esse.

161 Quare Pater *Castillo disput. 8. quæstion. 3. numer. 14.* dicit: actum fidei esse certiorem, solum, quia prouenit ab habitu, vel auxilio supernaturali, vt à principio omnino certificanti. Sed contra hoc reddeunt argumenta Durandi: quia lumẽ rationis est principium omnino certificans respectu principiorum, & conclusionis: ergo.

Se-

Secũdo quia ex *Sco. dist. 23.* actus fidei est perfectior, non solum, quia à perfectiori principio, sed quia tendit in obiectum perfectius. Quibus addo *dist. 14. in 4. q. 3. versic. In talibus ergo*: vbi satis expresse tenet *Scotus* ad certitudinem actus concurrere non solum habitum, sed etiam obiectum. Vnde minus attente Castillo visitauit Scotum. Tertio: quia secundum Castillo, habitus se tenet ex parte obiecti: ergo, &c.

162 Alij verò Scotistæ dicunt: actum fidei esse certiorem omni alia naturali cognitione ratione obiecti fidei, quod est authoritas diuina; eo quia magis repugnat Deo mentiri, quam quodlibet aliud naturale principium falsum iri. Sed contra: quia fides acquisita, & actus eius est naturalis, & habet idem obiectũ formale, ac actus fidei infusæ, & tamen non est æquè certus, sed minus certus, quam actus fidei infusæ: ergo aliunde quam ex obiecto debet summi certitudo ista maior in assensu fidei infuse.

163 Quapropter noster Felix dixit: actum fidei esse certiorem omni alia cognitione naturali, ex eo quod proueniat à principio supernaturali, & terminetur, & specificetur ab obiecto tali, scilicet ab authoritate diuina, quæ ita est infallibilis, vt magis repugnet mentiri, quam falsificari principium naturale: & sic propterea euadit assensus fidei infusæ certior cognitione principiorum, & conclusionis scientificæ. Iste modus videtur cæteris rationabilior. Sed mihi adhuc sufficiens non apparet: quoniam non explicat, quare, quia actus procedat à lumine fidei, & terminetur ad authoritatem Dei, sit certior alijs cognitionibus: & augetur difficultas in sententia nostri Magistri Felicis dicentis, Deum posse, imprimere actum erroris, & speciem falsi, ex quo sequi videtur, Deum posse mentiri, vt contra eum probauimus *disp. 1. cap. 3. sect. 4. à num. 198.* Secundo: quia non probat qualiter minus repugnet, quodlibet principium naturale esse falsum, quam Deo mentiri; cum vtrumque sit æquè impossibile: maximè cum si aliquod principium naturale esset falsum, sequeretur, Deum esse authorem falsi, & mendacij: quia Deus est Author naturæ, & omnium principiorum naturalium; igitur æquè verum est naturale principium, ac quodlibet dictum à Deo, quia vnum ex dictis à Deo est principium naturale; & consequenter æqualem habet infallibilitatem, & certitudinem assensus fidei, & cognitio principiorum ex parte obiecti.

164 Mihi quidem præsens difficultas magis videtur de nomine, quam de re. Suppono ergo, quod actus fidei est certus sim-

simpliciter, ita vt illi falsum subesse repugnet, vt docet *Trident. sess. 6. cap. 9.* & latè ostendimus *disp. 1. cap. 3. sect. 4. à num. 179.* Dico ergo quod actus fidei est certior omni cognitione naturali, siuè conclusionis scientificæ, siuè primorum principiorū: ex eo quod certitudo actus fidei est supernaturalis, certitudo verò aliarum cognitionum est naturalis; & secundo, quia certitudo cognitionis conclusionis, & principiorum subordinatur certitudini assensus fidei: & ita certitudo assensus fidei est perfectior, superior, & nobilior certitudine cuiusuis cognitionis naturalis: & pro tanto dicitur certior, & non propter aliud. Vnde autem hæc perfectio sumatur, & nobilitas? dico cum Magistro meo Felice summi indiuisibiliter in simulque ex principio, & obiecto supernaturalibus.

165 Ad argumenta sententiæ Durandi (quæ solum videntur militare contra nos, nam aliorum modorū non sunt argumenta) respondeo quod assensus fidei non compatitur secum adhuc indeliberatam dubitationem, sed omnino infallibiliter, & firmiter, supernaturali modo, adhæret obiecto: quamuis enim cum habituali fide possit esse aliqua indeliberata dubitatio ex nostra deficientia, tamen ipse habitus omnino infallibiliter, & firmiter inclinat ad assensum omnino firmum, & infallibilem: quod non habet lumen naturale rationis; nam istud sæpè sæpius fallitur, & potest ei falsum subesse.

166 Ad confirmationem dico: diuerso modò procedere à Deo lumen naturale rationis, & lumen infusum fidei, quod illud procedit, non vt principium omnino infallibile, & firmum, sed est fallibile, & infirmum, ac deficiens: at verò lumen fidei est principium omnino infallibile, firmum, & indeficiens. Quod enim lumen naturale non egeat voluntatis determinatione ad assensum, lumen verò fidei egeat, & pia affectione, quia collustrat obiectum obscurè, & lumen naturale collustrat euidenter, non facit, cognitionem principiorum, & conclusionis certiorem assensu fidei, sed solum facit, quod assensus circa principia, & conclusiones sit euidens, & assensus fidei sit obscurus.

167 Ad secundam confirmationem respondeo (consequenter ad nostram doctrinam, quæ dicit assensum fidei esse naturalem in substantia, & secundùm quid, seu quoadmodum supernaturalem, & quod assensus fidei potest niti discursui) quod assensus principiorum, & conclusionis subordinant suam

certitudinem certitudini assensus fidei: & sic certitudo assensus fidei includit certitudinem cogaitionis principiorum, & conclusionis, & vltra hoc addit modum supernaturalem, propterquem certitudo assensus fidei est maior, idest nobilior, & perfectior certitudine cuiusuis assensus naturalis. Illud ex Patribus, non est contra nos, sed pro nobis: quia taliter per exagerationem comparant certitudinem assensus fidei cum certitudine cognitionis principiorum, vt dicant illam esse maiorem, non alia de causa, nisi quia illa est supernaturalis, & ista naturalis.

168 Difficultas est respectu visionis beatificæ: vtrùm assensus fidei sit certior ipsa? *Pater Felix* dicit visionem beatam esse certiorem, cum *Lorca disput. 28. num. 8.* & cum vtroque Ægidio. Quia visio habet idem obiectum ac fides, & ex parte principij habet principium supernaturale; modus autem attingendi est certior: quippè excludit omnem dubitationē: nam testis ocularis certior est auriculari, & per visionem manifestè apparet obiectum. Sed meo videri loquitur inconsequenter noster Felix. Quoniam paulò superius inquit Felix. *Dubitatio non opponitur certitudini, sed euidentiæ, & cum maiori certitudine potest reperiri dubitatio* ergo modus attingendi visionis non auget certitudinem, ex eo quod dubitationem excludat, sed solum ponit euidentiam in actu. Et confirmatur: quia, secundum ipsum, scientia abstractiua per alienas species est ita certa, ac scientia euidens, etiam si cum scientia abstractiua compatiatur dubitatio: ergo Pater Felix non loquitur consequenter, nec ex suo fundamento potest eius assertum probari.

169 Noster *Castillus* in suo *num. 18.* cum *Salas, & Torres* dicit; esse æqualis certitudinis: loquitur quidem magis consequēter. Et probat: quia lumen fidei, & lumen gloriæ sunt principia ex parte potentiæ æqualiter certificantia.

170 Sed mihi magis placet opinio Patris Felicis ex alio fundamento. Scilicet: quia certitudo fidei subordinatur certitudini visionis beatæ: & sic visio beata intra ordinem supernaturalem est perfectior, superior, & nobilior assensu fidei, & lumen gloriæ perfectius, superius, & nobilius habitu fidei, & modus propositionis obiecti perfectior est in beatitudine, quam in via; & pro tanto mihi videtur visio beata certior assensu fidei.

171 De assensu, autem fidei respectu prophetiæ, dico, quod si

si assensus fidei sit cum euidentia in attestante, sunt æqualis certitudinis; si verò non sit cum euidentia in attestante, certior est prophetia: quia iudico prophetiam consistere in scientia infusa: si verò consistat in visione beata, absolutè erit certior fide: si verò consistat in fide particularium reuelationū, erit æqualis certitudinis.

Sectio 4. *Vtrùm assensus Fidei sit ineuidens, & obscurus?*

172 PRo solutione nota; quod euidentia vna est physica, altera moralis; illa consequitur ex connexione physica medij cum extremis, antecedentis cum consequenti, vno ex duobus modis, scilicet, vel à priori, vel à posteriori: verbi gratia, *Omne totum est maius sua parte, hoc est totum: ergo hoc est maius sua parte.* Vel consequitur ex natura ipsorum extremorū absque discursu: vt *omne totum est maius sua parte, quodlibet, vel est. vel non est:* Euidentia autem moralis est, quæ consequitur ex connexione morali medij cum extremis, antecedentis cum cōsequenti, & ex connexione morali ipsorum extremorum, iuxta prudentem, & cordatam hominum existimationē: qualiter diximus, in sententia multorum, mysteria nostræ fidei esse euidenter credibilia: quia secundum prudentem existimationem argumenta, & motiva nostræ fidei conuincunt, & demonstrant, mysteria talia esse à Deo reuelata: reuelatum autem à Deo est credibile: ergo mysteria nostræ fidei sunt euidenter credibilia demonstratione, & euidentia morali.

173 Rursus euidentia est duplex; vna est intuitiua, quæ est cognitio rei in se per proprias species præsentis facialiter: qualiter in patria erit visio essentiæ diuinæ. Altera est abstractiua, & est cognitio rei non in se, sed in alio, & per alienas species, & non præsentis facialiter, siuè præsentis, sed nō facialiter; qualiter in via cognoscitur vnicum primum principium, & vnicus Creator Deus, per ea, quæ facta sunt: & huius generis multæ sunt euidentiæ.

174 Inter istas autem euidentias est discrimen, quod euidentia physica intuitiua opponitur obscuritati propriè dictæ, sicut positiuum, & priuatiuum. Euidentia autem abstractiua non opponitur obscuritati, & similiter euidentia moralis obscuritati non opponitur, sed compatitur cum opaccitate, & obnubilatione obiecti: quia similis euidētia moralis, vel abstractiua, est cognitio obiecti obnubilati, cōtecti; & cooperti, & intuinè, ac facialiter latentis, seu nō præsentis, sed in ænigmate apparentis.

175 Secundo notandum est, quod obscurum est habens carentiam claritatis, lucis, seu luminis, & ipsa carentia claritatis, lucis, seu luminis dicitur obscuritas: quia enim, verbi gratia, medium non habet lucem, dicitur obscurum, & ipsa lucis carentia obscuritas. Vnde obscuritas non est carentia alicuius positiui, scilicet lucis, claritatis, vel luminis in actu propriè, sed in potentia, vel in medio, vel in obiecto: & ita obscuritas, vel claritas solum sunt denominationes extrinsecæ in actu, prouenientes à claritate, vel obscuritate potentiæ, medij, vel obiecti. Etenim idem numero actus secundum substantiam potest trāsire de abstractiuo in intuitiuū, & de obscuro in clarum, præcisè solum ex eo, quod auferatur obscuritas potentiæ, medij, vel obiecti: verbi gratia, cognitio D. Pauli, quam de Deo habebat, transacto raptu, vsque ad tertium Cœlum erat abstractiua, quæ si obiectum facialiter præsens appareret, & ex parte intellectus Pauli foret lumen (si fortè species impressa, quæ in eo remansit de Deo non erat) eadem secundum substantiam foret intuitiua, & clara.

176 Hoc supposito dico primo: Actus fidei est obscurus: & ineuidens in euidentia opposita claritati. Hæc conclusio non eget probatione: in ea quidem omnes conueniunt Catholici contra *Manichæos*, & *Franciscum de Marchia*; qui dicebant, nihil credendum fore, quod euidenter clara ratione naturali non demonstraretur; in quo errore se fuisse, refert *August. lib. de vtilit. credendi, cap.* 1. & 2. Nihilominus tamen probatur: obiectum fidei est obscurum, & ineuidens in euidentia opposita claritati, & intuitioni: ergo actus, & assensus fidei erit etiam obscurus, & ineuidens in euidentia opposita claritati, & intuitioni. Antecedens probatur ex ad *Hebræ.* 11. quia fides *est argumentum non apparentium*, id est obiectorum obscurorum, seu obscurè propositorum, aut non facialiter per propriam speciem præsentium. Vnde 2. *ad Corinth.* 5. dicitur: *Per fidem ambulamus, & non per speciem*, & *Epistol.* 1. *cap.* 3. dicitur: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, & *ad Roman.* 8. *Quod non videmus speramus*: speramus autem quod credimus fide, iuxta illud ad *Hebræos* 11. *Fides est sperandarum substantia rerum*: ergo quod credimus non intuemur, nec clarè videmus: ergo obiectum fidei debet esse obscurum, & ineuidens in euidentia opposita intuitioni, & claritati: & consequenter assensus fidei necessario debet esse obscurus,

&

& ineuidens in euidentia opposita intuitioni, & claritati. Concordant sancti Patres, & sufficiat *Augustin. sermon. 17. de verb. Apostol.* dicens: *Fides est, credere, quod non vides*: intellige clarè, & intuitiuè: & *tractatu 68. in Ioannem*, dicit: *Si vides, non est fides.* Ratio autem ea est. Quia in tantum aliquid est obiectum fidei, in quantum proponitur nobis, non vt in se est præsens facialiter, sed per diuinam loquutionem, signis ad placitum, vel speciebus alienis, aut vniuersalibus factam, sed talis modus proponendi obiectum est obscurus: ergo de ratione obiecti fidei est obscuritas, & consequẽter actus fidei debet esse obscurus.

177 Sed contra obijcies. Quod 2. *ad Corinth. 3.* dicitur: *Nos autem reuelata facie in eamdẽ imaginem transformamur à claritate*, ideſt à fide, *in claritatem*, hoc est in visionem, & *cap. 4.* appellatur fides lux, *illuxit in cordibus nostris ad illuminationem claritatis Dei.* Respondeo, quod appellatur claritas, & lux fides noui Testamenti, non absolutè, sed in comparatione fidei veteris Testamenti, vbi omnia in figura contingebant: vel dicitur claritas, & lux: quia est principium assensus infallibiliter certi in ordine ad claram Dei visionem. Instabis: quod est infallibile, est euidens, sed assensus fidei est infallibilis, cui non potest subesse falsum: ergo euidens. Respondeo distinguo maiorem, euidentia intuitiua, vel abstractiua concedo: euidentia intuitiua nego: & concedo maiorem, & distinguo cõsequẽs: ergo euidens euidentia abstractiua concedo, intuitiua nego consequentiam.

178 Istabis secundo: inter credibilia est ordo ad vnum primum credibile: ergo illud erit per se credibile, & reliqua euidenter credibilia: ergo non est de ratione obiecti fidei obscuritas. Et confirmatur: quia *qui citò credit leuis est corde. Ecclesiast. 19.* ergo ad credendum requiritur iudicium prudens, & moraliter euidens de credibilitate, & ista euidentia posita, actus credendi est necessarius quoad speciem: ergo obiectum fidei non est obscurum, sed euidens, & cõsequenter actus fidei euidens est. Respondeo: quod hęc, & alia argumenta solum probant, obiectum fidei esse euidens abstractiuè, non verò intuitiuè; & sic nõ probant, obiectum fidei non esse obscurum, & consequenter de actu fidei.

179 Dico secundo. Actus fidei est euidens euidẽtia abstractiua. Hęc conclusio sequitur ex dictis, & probatur. Actus fidei est certior omni cognitione naturali, ideſt actus fidei est certus, & certitudo eius est supernaturalis: ergo etiam est euidens aliqua euidentia, non intuitiua:

ergo abstractiua. Secundo: quia obiectum fidei obscurè proponitur credendum, actus fidei est obscurus: ergo quia obiectū proponitur euidenter credibile, vel credēdum assensus fidei erit euidens, sed obiecta fidei sunt euidenter credibilia: ergo actus credendi erit euidēs; maximè si reuelatione euidenti proponatur obiectum, quæ euidentia, cum nō sit clara, & intuitiua, optimè secum componit obscuritatem necessariam ex parte obiecti ad assensum fidei. Et confirmatur: quia secūdum nos, assensus fidei est solum liber quoad exercitiū, & necessarius quoad specificationem: ita quod, suppositā euidentia credibilitatis mysteriorum, non potest intellectus dissentiri: ergo assensus est euidens, vt sæpè dictum est, non intuitiuè, sed abstractiuè. Vltimo: quia, secundùm nostram opinionem, assensus fidei potest niti discursui: ergo erit euidens euidentia, quæ secum admittat obscuritatem, scilicet abstractiuam, & nō intuitiuam.

Sectio 5. *Vtrùm cum euidentia in attestante possit compari assensus Fidei circa obiectum testificatum?*

180 SVppono, quod euidentia in attestante, secundùm Theologos, nihil aliud est, quam cognitio testimonij, aut reuelationis Dei, siuè cognoscatur ipse Deus reuelans, siuè tantum ipsa reuelatio. Vt autem præsens difficultas claritate resoluatur, tria examinanda veniunt. Primum est: vtrum ad euidentiam in attestante requiratur euidentia ipsius testificantis? Secundum est: Vtrùm euidentia in attestante sit propriè rei reuelatæ euidentia? Tertium: vtrùm in aliquo viatore fuerit euidentia in attestante? Et tandem resolutio præsentis sectionis.

181 Quantum ad primum non satis clarè loquuntur Doctores. Mihi tandem breuiter dicendum videtur, quod ad euidentiam in attestante requiritur, quod testificans euidenter cognoscatur: hæc tamen euidentia non requiritur, vt sit intuitiua, sed sufficit abstractiua: imò tantum moralis: dum tamen ipsa reuelatio sit euidens intuitiuè. Itaque ad euidentiam in attestante sufficit, quod habeat euidentiam moralem de testificante, scilicet de Deo; dum tamen clarè, & intuitiuè cognoscat reuelationem. Vnde triplex potest esse euidentia in attestante: Prima per cognitionem claram, & intuitiuam reuelationis, supponendo in aliquo priori cognitionem euidentem, claram, & intuitiuam reuelantis. Secunda per cognitionem euidentem, claram, & intuitiuam

uam reuelationis, supponendo cognitionem obscuram, quidditatiuam perfectam, sed abstractiuam reuelantis euidentem. Tertia per cognitionem euidentem intuitiuæ reuelationis, supponendo cognitionem obscuram, sed moraliter euidentem ipsius reuelantis; & vtroque istorum modorū procedit dubium quærendo: vtrùm cum euidētia in attestante compatiatur assensus fidei circa rem testificatam?

182 Circa secundum est maior difficultas. Nam Scotistæ, scilicet *Castillo disput. 4. quæstio. 3. part. 1. num. 7* dicit euidentiam in attestante, non esse euidentiam propriè rei reuelatę, sed tantum secundum quid: sequitur *Felix cap. 5. dub. 8. §. Secundo probatur* in fine: vbi expressè negat, euidentiam in attestante esse euidentiam rei reuelatæ. Sed meo videri in æquiuoco laborant nostri Magistri, vt in fundamentis pro eorum placito afferendis infrà videbimus.

183 Dicendum ergo à nobis est. Euidentiam reuelationis, seu in attestante esse euidentiam abstractiuam rei reuelatæ, non secundùm quid, sed veram, & propriam. Hæc conclusio probabilior, & vera semper fuit mihi: atque illam sequuntur *Bañez 2. 2. quæstio. 5. articul. 1. & 1. part. quæstio. 32. art. 2. vbi Valencia disp. 5. punct. 1. Suarez disp. 3. sect. 8. & 9. Ægidi. disp. 9. dub. 8.* & alij multi Doctores. Probaturque primo ad hominem contra Scotistas. Secundum *Castillo. disput. 8. quæst. 1. num. 15. & Felicem cap. 9. diff. 1.* eodem actu, quo credimus reuelationem, vt *quod* credimus articulum reuelatum: ergo eadem cognitione, qua cognoscimus reuelationem, cognoscimus rē reuelatam: ergo si euidēter cognoscimus reuelationem, euidēter cognoscimus rem reuelatā, cum hac distinctione, quod euidentia reuelationis erit intuitiua, & euidentia rei reuelatæ erit abstractiua: sicut cognitio euidens albi est intuitiua albedinis, & abstractiua subiecti, & sicut in sententia istorum Scotistarum cognitio euidens vnionis hypostaticæ etiam foret euidens Verbi diuini, & personalitatis eius: ergo.

184 Probatur secundo. Ex euidentia in attestante diuino conficitur consequentia euidens: scilicet *quidquid Deus reuelat est necessariò verum, sed Deus euidenter mihi reuelat, se esse Trinum, & Vnum: ergo Deum esse Trinum, & Vnum, est necessariò mihi euidenter verum.* Vtraque enim præmissa est euidenter vera: ergo consequentia, & consequens est euidenter verum. Respondet *Castillo disput. 4. quæst. 3. num. 11.* quòd talis consequē-

tia, aut conclusio non est euidens, quia non fit per principia intrinseca: nam præmissæ non sunt causæ, nec effectus intrinseci talis conclusionis, quod requiritur ad euidentiam, inquit *Felix cap. 5. difficul. 8.* sed solum sunt causæ extrinsecæ: vnde talis euidentia est scientialis, aut dialectica, non verò physica, aut methaphysica. Sed contra istos meos Magistros doctissimos insurgo primo ad hominem. Per vos assensus fidei non potest esse circa talem conclusionem elicitam, vt nititur discursui, non alia ratione, nisi quia talis conclusio est euidens (vt ait *Felix cap. 9. difficil. 1. §. Secundo probatur conclusio, & Castillo disput. 8. quæst. 1.*) ex motivo, & principio intrinseco scilicet ex connexione intrinseca antecedentis, & consequentis, medijque cum extremis: ergo istius conclusionis causæ intrinsecæ sunt præmissæ: ergo ipsa conclusio est euidens: ergo euidentia in attestante est euidentia rei reuelatæ: quia res reuelata connectitur necessariò cum reuelatione, sicut consequens cum antecedenti: sed per vos talis connexio est intrinseca: ergo valdè in consequenter loquimini: quia quod affirmatis in vna parte, negatis appertè in altera.

185 Secundo argumentor contra relatos Magistros Scotistas efficacissimè. Deus potest reuelare mysterium Trinitatis euidenter physicè per infusionem speciei impressiæ quidditatiuæ perfectæ, sed abstractiuæ repræsentantis tale mysterium, sed per euidentiam similis reuelationis cognoscitur euidenter mysterium reuelatum: ergo euidentia reuelationis est etiam euidentia rei reuelatæ, non intuitiua, sed abstractiua. Illud autem quod respondet *Castillo num. 13.* istam reuelationem non relinquere capacem rem reuelatam, vt sit obiectum fidei, & quod ipse loquitur de reuelatione relinquente reuelatum capax assensus fidei, est effugium: contra quod sequitur fore dicendum, quod neque Angeli, neque Adam, neque Beata Virgo, neque Paulus, neque Apostoli, neque Prophetæ habuerunt fidē, quod mihi est difficilimum. Confirmatur deinde. Quia reuelatio, & reuelatum sunt conexa necessariò, sicut relatiuum ad suum terminum, sed cognito relatiuo, eadem cognitione cognoscitur terminus: ergo cognita reuelatione, eadem cognitione cognoscitur reuelatum, licet istud abstractiuè, & illud intuitiuè, sed vtrumque euidenter: quia euidenter cognoscitur esse reuelationem diuinam.

186 Præterea tertio argu-

gumentor. Ex cognitione effectus euidenti colligitur euidens cognitio causæ, sed testificatio diuina est effectus per se veritatis reuelatæ, saltim in genere causæ obiectiuæ, formalis, & specificatiuæ: nam reuelatio est vera, quia obiectum reuelatum verum est: ergo veritas reuelationis dependet à veritate rei reuelatæ, sed euidenter cognoscitur reuelationem esse veram: ergo similiter euidēter cognoscitur rem reuelatam esse euidenter veram, quamuis talis cognitio sit abstractiua respectu rei reuelatæ: ergo intrinsecè cōnectuntur res reuelata, & reuelatio, ita vt connexio eorum nobis constare possit per illud principium, *quæ sunt eadem, vel connexa vni tertio, sunt eadem, aut connexa inter se*: quia tam reuelatio, quàm reuelatum connectuntur vni tertio, scilicet authoritati diuinæ. Similiterque potest constare per aliud principium, scilicet, *quodlibet reuelatum à Deo, vel est verum, vel non est*: ergo conclusio est euidens.

187 Respondent Castillo, & Felix, non sufficere cognoscere effectum euidenter in se, ad hoc, vt euidenter cognoscatur causa, nisi cognoscatur intrinseca connexio, & dependentia effectus ab illa causa. Sed contra primo; quia veritas talis effectus intrinsecè, & necessariò dependet à tali obiecto: ita quod ipse verus esse non potest, si causa non est vera: ergo si cognosco euidenter effectum esse verum, cognosco euidenter illud à quo dependet in esse veri: ergo cognosco euidenter connexionem intrinsecam, & dependentiam effectus ad causam; sicut enim coloratum in esse talis dependet à colore, ita veritas reuelationis a veritate reuelati: ergo sicut huius syllogismi consequētia, & cōclusio (scilicet: *Quid quid sensibiliter videtur est coloratū, paries sensibiliter videtur; ergo paries sensibiliter est coloratus*) est euidens, & in ea cognoscitur euidenter connexio, & dependentia intrinseca cognitionis ab obiecto, vt colorato: ita præfacti primi syllogismi consequentia, & conclusio erit euidens, propter intrinsecam connexionem, & dependentiā reuelationis à reuelato, quæ necessa ideò cognoscitur cognita euidenter reuelatione, quæ specificatur ab obiecto reuelato.

188 Respondet secundo *Castillo in suo num.* 15. quòd reuelatio dependet intrinsecè à reuelato, secundùm quod ipsa reuelatio est, non verò secundùm quod ipsa res, seu veritas est reuelata. Sed contra primo. Secundùm quod ipsa reuelatio est, cognoscitur euidenter: ergo cognoscitur euidenter intrinseca connexio eius à reuelato. Secundo: veritas secundū quod est reuelata, so-

solum dicit reuelationē, sed reuelatio dependet intrinsecè à reuelato, secundùm quod ipsa reuelatio est: ergo etiā secundùm quod ipsa veritas est reuelata; si fortè in illa distinctione posit intelligi quid velit noster Castillo dicere. Dicit Castillo, quòd reuelatio dependet à reuelato, quantum *ad an est?* non verò quātum *ad quid est?* Sed contra: quia secundùm Castillo, si veritas rei reuelatæ non esset, similiter non esset reuelatio illius, sed illud sine quo aliquid esse non potest, nō solum conducit, *quoad an est?* sed *quoad quid est?* maximè si sit illius specificativum: ergo. Secundo; quia reuelatio nihil aliud est in sua quidditate, quam manifestatio rei reuelatæ: ergo quātum *ad an est?* & *quoad quid est?* dependet intrinsecè à reuelato, vt ab specificante ipsius reuelationis.

189 Confundunt meo videri isti Scotistæ euidentiam intuitiuam cum abstractiua, & videtur illis, quod, si euidentia reuelationis sit euidentia rei reuelatæ, non poterit assensus fidei, componi cum euidentia in attestāte; in quo meo iudicio fallūtur: quia solum euidentia intuitiua fidei assensui obest: quia sola illa habet claritatem oppositam obscuritati necessariæ ad obiectum, & actum fidei.

190 Obijciunt contra nos Scotistæ primo: *Scotum in 3. distinct. 24. §. Sed si loquamur*, vbi dicit: *Cognitio, seu certitudo prædicti non est euidens ex euidentia rei, quia tunc contradictio esset, quod huiusmodi notitia, & fides simul starent; fuit tamen certitudo illa firma, sicut est certitudo scientialis.* Sed, bona venia, nostri Scotistæ noluerunt legere clarè, & attentè Scotum, quia Scotus solum vult, quòd illa cognitio mōtium, seu Sanctorum, in attestante nō erat euidens euidētia rei, ideſt intuitiua respectu reuelatorum non erat: & de hac euidentia intuitiua dicit, quòd esset cō tradictio, vt simul staret cum fide: non tamen negat, quòd prædicta cognitio sit euidens propriè, sicut est certitudo scientialis: legatur Scotus citatus à *vers. Dico quòd omnem effectum*: vbi clarè loquitur de euidentia intuitiua.

191 Secundo probat Castillo à priori, inquit, ex *Scot. quodlibet 7. §. Hic præmittendæ sunt.* Quia ad veram euidentiam requiritur, quòd sicut conclusio est euidens ex præmissis, ita præmissæ sint ex terminis euidēter cognitis in se ipsis, quia effectus euidens participat euidentiā à causa, sed cognitio euidens diuinæ reuelationis non dependet taliter à suis causis, scilicet à voluntate diuina, vt ab efficienti, & à reuelato, vt ab specificante, & causa formali extrinseca, quod tales causæ sint cognitæ euidenter in se ipsis, seu ex ipsis termi-

nis:

nis: ergo euidentia in attestante, non est propriè euidentia rei reuelatæ. Respondeo, quòd maior est solum vera, loquendo de euidentia intuitiua, nō verò de euidentia abstractiua. Vnde concedo minorem, & distinguo consequens, intuitiua concedo, abstractiua; nego consequentiam.

192 Tertio probat à posteriori. Reuelantis, & reuelationis veritas non sunt quid intrinsecum, sed extrinsecum rei reuelatæ: ergo cōclusio quæ nititur veracitati reuelantis, & veritati reuelationis non nititur, alicui intrinseco mysterij reuelati, sed tātum alicui extrinseco: at euidētia propria, & vera alicuius obiecti debet niti principijs intrinsecis eius: ergo euidentia quæ nititur illis præmissis (*quidquid Deus reuelat est verum, Deus reuelat hoc, &c.*) non est vera euidētia, sed solum secundùm quid. Respondeo primo: quòd veracitas reuelantis est terminus intrinsecus, & necessarius veritatis reuelatæ: quia à veracitate Dei omnis veritas pendet necessariò essentialiter, & intrinsecè: nam ad ipsum, vt ad primum verum omnia vera referuntur: & loquor de dependentia non in toto rigore sumpta. Veritas autem reuelationis est intrinseca rei reuelatæ: quia reuelatio non habet veritatē nisi participatam à reuelāte, & reuelato; sicut signum non habet veritatem, nisi à significato, & cognitio nisi ab obiecto cognito. Vnde negatur antecedens.

193 Secūdo respōdeo: quòd, licet veracitas reuelātis, & reuelationis veritas non sint quid intrinsecum rei reuelatæ, tamen veritas cognitionis veracitatis reuelantis, & veritas cognitionis reuelationis sunt quid intrinsecum veritati cognitionis mysterij reuelati: nam necessariò sequitur veritas cognitionis mysterij ex veritate cognitionis veracitatis reuelantis, & veritatis reuelationis; ita quod negari nō possit, & sic illa cognitio est euidens, licet non intuitiuè, abstractiuè, verè, & propriè. Ita enim connectuntur necessariò veritas reuelantis, & veritas reuelationis cum veritate intrinseca rei reuelatæ, quod Deus non foret verax, si ponet reuelare, quod in se non est intrinsecè verum: neque nō possumus, euidēter cognoscere reuelationem esse verā, si nō cognosceremus euidenter, Deum non esse veracem, si posset reuelare, quod in se nō est verum: ergo no solū respectu diuini reuelantis, sed etiam repectu creaturæ cui fit reuelatio, veracitas reuelātis, & veritas reuelationis necessariò cōnectuntur cū veritate intrinseca mysterij reuelati: ergo ex euidenti cognitione, & assensu illorū, cognitio veritatis rei reuelatæ, etiam est

eui-

euidens verè, & propriè, licet abstractiuè.

194 Tandem confirmatur nostra sententia. Quia obiectum dicitur obscurum, non per cãtiã claritatis existentem in ipso, sed per carentiam claritatis existentem in propositione obiecti: nam mysterium Trinitatis in se nullam habet claritatis, & luminis carentiã: ergo ab eo quod propositio obiecti sit clara, euidens, vel obscura, ab eo obiectũ est obscurum, euidens, vel clarum; vt expressis verbis fatetur *Castillo* in suo *num.24.§. Dico secundo*: sed reuelatio est propositio obiecti: ergo si reuelatio est euidens, vt isti Scotistæ fatentur, etiam obiectum erit euidens quoad sui veritatem: ergo euidẽtia reuelationis, etiam est euidentia rei reuelatæ: quod nostri Scotistæ reuera non negant; negant tamen, hanc esse propiè euidentiam, quia hæc nõ est euidentia rei in se, sed in alio: tamẽ mihi videtur, esse veram, & propriam euidentiam, sed abstractiuam.

195 Quantũ ad tertium examinandũ, sunt qui negent, quod in via detur euidentia in attestãte, non alio fundamento, nisi, quia cognoscereturDeus euidẽter, & clarè; aliàs non esset euidentia in attestãte diuino, Deus autẽ in via non potest cognosci clarè, & euidẽter: quia hoc soli contingit in patria: ergo in via nulli facta est euidentia in attestãte de obiectis fidei. Ita *Bañez 2.2. quæst.5. art.1.* & probabilem reputat *Valencia disp.5. punct.1.*

196 Cæterum non solũ potuisse esse, sed de facto fuisse in pluribus viatoribus, tenet communis sentẽtia Scotistarũ, vt *Castillo disp.4. q.3. part. Felix cap.5. diff.9. cum Scoto dist.24. § Sed si loquamur.* Tenet *Vazquez 1.p. disp.135. Lorca disp.29. Suarez 3. part. ad quæst.11. disp.3. quæst.8.* & alios plures referunt præcitati. Et probatur primo ex 2 *Reg. cap.23.* à nostro *Felice* citato, & *Castillo* in suo *n.43.* vbi dicitur: *Mihi loquutus est fortis Israel, sicut lux Auroræ orienteſole mane absq; nubibus rutilat, & sicut pluvys geminat herua de terra.* Sed existimo locum istum minus fideliter exponi à *Suar. punct.2.* & ab Scotistis, qui ex eo sine examine acceperunt; nec sic leguntur in Scriptura; ly enim, *sicut lux Auroræ*, &c. nõ debet referri ad ly *loquutus est*, sed ad ly *iustus dominatur in timore Dei*: & sic nihil fauet nostræ sententiæ. Melius ergo probatur ex illo *Actor. 4. Non possumus enim, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.* Et *Ioann. cap.19. Et qui vidit testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius.* Et teneo cum præcitatis Authoribus, huius generis esse loquutiones factas in via Angelis, primis Patribus Moysi, & eximijs Prophetis, vt Eliæ, & Patriarchis, Noe,

Noc, Abrahamo, & in lege Euãgelij Beatæ Virgini, & Apostolis; nam hoc congruebat, vt ipsorum testimonium de rebus fidei firmius foret in Ecclesia edocta, & quodammodo condita per ipsos.

197 Ratione autem probatur: Primo: quia non est inconueniens in eo, quòd Deus reuelet mysteria fidei Angelis, vel hominibus, ita vt Angeli, vel homines cognoscant euidentia, nõ solum morali, sed etiam physica, intuitiua, vel abstractiua, quod talis loquutio, reuelatio, & testimonium est ipsius Dei, sed hoc est habere euidentiam in attestante: ergo. De euidentia morali patet ex dictis *disp. 1. sect. 2. cap. 4.* & aliquantulum de euidentia physica ibi diximus. Sed nunc demonstratur, primo de euidentia physica intuitiua. Nam in nostra, & multorum iam, sententia, potest videri essentia diuina, imò vnum attributum sine alio, non visis personis: ergo si Angelus videret ita Deum intuitiuè, vel attributum veracitatis tantum, non visa diuina essentia, nec Personis, veracitas diuina posset testificari, & loqui Angelo, vel homini, se esse Trinum, & Vnum: Vnũ in essentia, & Trinũ in Personis, sed hæc est euidẽtia intuitiua in attestãte: ergo. De euidẽtia autem physica abstractiua in attestante patet: quia vt diximus *in Opusculis de Trinit. de Angelis, & de Incarnatione* cum *Scoto in 2. dist. 3. q. 9.* Possibilis est, & de facto fuit concessa Angelis, primis Parentibus, Beatæ Mariæ, Apostolis, &c. species impressa quidditatiua perfecta, sed abstractiuè repræsentans Deum, vt Vnum, & Trinum, & vt est prima veritas in dicendo, ita quod repræsentaret, Deum non posse fallere, nec falli: tunc autem euidẽter abstractiuè cognosceretur Deus, vt Vnus, & Trinus, & vt est prima veritas: ergo possibilis est euidentia physica abstractiua in attestante diuino per euidens testimonium, loquutionem, aut reuelationem, scilicet per infusionem prædictę speciei impressæ. Argumenta, quę ex parte cõtra hoc militant, ex præcitatis resolutionibus, seu opusculis eorum solutio constat: quærantur.

198 Prætereà: quia prima reuelatio Mysterij Incarnationis, facta Angelo existẽti in via, fuit Angelo euidens physicè in attestante abstractiuè, etiam si non haberet speciem illam quidditatiuam perfectam, sed abstractiuã Dei: quia per illam reuelationẽ non poterat non, sibi persuadere, quòd talis reuelatio esset à Deo: quia euidenter cognoscit Angelus, quod nulla creatura poterat, causare sibi talem reuelationem: quia supra omnes vires totius naturæ creatæ. Prætereà; resuscitare mortuos solius est vir-

virtutis Dei, sed in confirmatione, quòd Deus est qui testificat, potest Deus facere tale miraculū: ergo cognita hac reuelatione sic confirmata, haberet, cui facta est talis reuelatio, euidentiā physicam abstractiuam in attestāte.

199 Nunc ad fundamentum oppositæ sententiæ facile respōdetur. Primo: non esse necessarium ad euidentiam in attestante, quod Deus clarè, & intuitiuè videatur, sed sufficit, vt cognoscatur euidenter euidentia morali, vel euidentia abstractiua, certificante ipsum esse testificātem, & reuelantem, vt dictum est. Secundo respondeo; quòd nullum foret inconueniens, vt aliquid Dei intuitiuè videretur in via: nam hoc priuilegium cōcessum fuisse B. Mariæ, & alijs Sanctis, grauissimi Doctores affirmant; & tunc possent Sancti habere euidentiam physicam intuitiuam attestantis, & reuelationis in attestante, & abstractiuam rei reuelatæ.

200 His ita discussis: circa propositā sectionem prima sententia negat, vt *Bañez 2. 2. q. 5. art. 1. Valēcia disp. 1. q. 5. punct. 1. Caiet. 3. p. q. 11. art. 1. Canus 12. de locis cap. 13. conclusione 1.* Secunda sententia tenet, quòd si sola reuelatio sit euidens, potest esse fides cum euidentia reuelationis, nō verò si authoritas Dei sit euidens. Itaque si ille, qui habet euidentiam in attestante solum se conuertat, & attendat in actu secundo ad euidentiam reuelationis, simul potest credere articulum reuelatum; si verò attēdat ad euidentiam reuelantis, & reuelationis, cum tali euidentia non stat fides.

201 Tertia sententia absolutè docet, cum euidentia reuelationis in attestāte simul assensum fidei compati: est sententia iam communis: tenentque *Pater Felix cap. 5. dub. 8. Pater Castillo disput. 4. q. 3 part. 2. n. 24. Ex Scoto in 3. distinct. 24. §. Sed si loquamur*, tenet etiam *Surez disput. 3. punct. 3.* qui alios citat, & *Lorca disp. 29. in fine.* docuitque *noster Alensis 3. part. quæst 68. memb. 7. art. 2* & *noster Vega lib. 9. in Trident. cap. 30.* Vnde *Lugo* minus benè appellat oppositam sententiam communem, & veriorē, quam ipse sequitur *disp. 2. sect. 1. à num. 7.*

202 Sed dico primo: Cum euidentia morali reuelationis in attestante stat optimè assensus fidei de obiecto euidenter reuelato. Hæc conclusio est certa, & apud omnes vera; quia similis euidentia relinquit obiectum fidei obscurum, quamuis illud faciat euidēter credibile, sed quod fidei obiecta sint euidenter credibilia, non tollit posse terminare assensum fidei, imò vt sic redduntur aptiora, vt fide infusa credantur, vt diximus *disput. 1. cap. 4. sect. 2.* ergo. Argumenta, quæ

quæ contra hanc conclusionem millitare possunt soluta sunt loco citato.

203 Dico secundo. Cum euidētia physica in attestāte abstractiua, siuè per proprias, siuè per alienas species ipsius reuelantis, stat optimè assensus fidei de obiecto reuelato. Hanc conclusionem, contra primam, & secundam opinionem, probo. Quia huiusmodi euidentia non tollit obscuritatem necessariam ad assensum fidei ex parte obiecti: ergo cum tali euidentia simul stare potest assensus fidei: antecedens patet: nam talis euidentia non facit, quod obiectum reuelatū cognoscatur euidentia intuitiua: ergo obiectū adhuc manet obscurum, & nō visum: igitur, &c. Et confirmatur: quia reuelatio cum huiusmodi euidentia physicā testificantis diuini, solum proponit obiectum per species vniuersales, vel abstractiuas alienas: ergo obiectum credendum obscurum est, quia obscurè proponitur, & non facialiter vt est in se præsens, & existens: ergo cum tali euidentia compatitur assensus fidei rei reuelatæ. Confirmatur secundo: quia ego video testimonium pluriū mihi dicentium, & reuelantium esse Romam, & tamen, quia non video Romam, habeo assensum fidei de Roma: ergo similiter in nostro casu; quidquid Lugo citatus defatigetur.

204 Dico tertio: Cum euidentia morali, vel physica, siuè per alienas, siuè per proprias species abstractiua, siuè intuitiua in attestante, quæ etiam sit euidentia rei testificatæ abstractiua, per alienas, vel proprias species, stat assensus fidei. Probatur hæc conclusio: (etiam contra Cardinalem de Lugo citatum) quia huiusmodi euidentia non tollit obscuritatem necessariam ad assensum fidei: quoniam huiusmodi euidentia non est euidentia rei existentis, & præsentis facialiter: ergo obiectum manet sufficienter obscurum: quia manet non visum intuitiuè: ergo manet credibile: ergo potest credi, etiam si sit euidenter propositum euidētia abstractiua per reuelationem eius factam per proprias ipsius obiecti species. Non enim reuelatio Romæ mihi facta per Mapā, vbi Roma per proprias species proponitur, tollit assensum fidei de Roma. Vnde, etiam si Angeli, primi Parentes, Prophetæ, & Patriarchæ B. Maria, & Apostoli habuerint reuelationem euidentem in attestante physicam abstractiuam, & similiter rei reuelatæ per speciem propriam obiecti reuelati, scilicet mysterij Trinitatis habuerunt fidem de tali mysterio; & existimo ita accidisse Diuo Petro quando dixit, & confessus est: *Tu es Chri-*

Christus Filius Dei viui; cui respondit Christus: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*: nam per hoc non videbant illi Sācti Mysterium Trinitatis, & Incarnationis intuitiuè, & vt in se præsens facialiter erat: & ita illa mysteria erant sufficienter obscura obiecta, vt actu fidei tangi possent.

205 In hac conclusione nolunt conueniri mei Magistri *Felix cap. 5. diff. 3. & Castillo disp. 4. quæst. 2. part. 2. num. 26* sed bona venia, vel in consequenter loquuntur, vel conuenire debent nobiscum in præfacta assertione. Patet: quia *Felix diff. 9. & Castillo quæst. 3. part. 3.* (cum anteà præmisissent, cum euidentia in attestāte posse stare simul assensum fidei) affirmant, Angelos, & multos homines viatores habuisse hanc euidentiam per speciem quidditatiuā propriam, sed abstractiuam mysterij Trinitatis: ergo vel in consequēter loquuntur, vel cū hac euidētia stare potest assensus fidei: quoniam ad consequēter loquendum de eadem euidētia debent loqui quādo asserunt, quod euidentia in attestante compatitur cum assensu fidei, ac quando dicunt, quòd in viatoribus fuit communicata euidentia in attestante; euidentia autem in attestante viatoribus fuit cōmunicata per proprias etiam species rei reuelatæ, vt ipsi fatentur; imò aliam euidentiam renuit Castillo concedere: ergo ista euidentia, velint, nolint, stare potest cum assensu fidei, vel in consequenter loquuntur.

206 Sed contra nostras assertiones obijcit prima sententia. Euidentia in attestante est propria euidentia, sed cum propria euidētia nō stat fides: ergo. Respondeo, distinguo minorē; cum propria euidentia intuitiua permitto: cum euidentia abstractiua, nego minorem, vt satis supra ostensum est. Dices: Assensus fidei est liber quoad exercitium, & quoad specificationem, sed cū euidentia non stat libertas: ergo nec fides. Respondeo, quòd sufficit libertas quoad exercitium, dixi *disp 2. sect. 2. cap. 1. n 22.*

207 Dices tertio. Si cū euidentia in attestante posset stare fides; sequeretur, quòd eadē reuelatio cognosceretur simul, clarè, & obscurè, sed hoc implicat, nam fides, & scientia de eodem obiecto non possunt esse simul: Probatur sequela, quia per assensum fidei, qui est cognitio obscura, cognoscitur reuelatio, quia cognoscitur reuelatum; deinde per cognitionē claram reuelantis cognoscitur reuelatio: ergo simul clarè, & obscurè cognosceretur. Authores tenentes reuelationem esse obiectum formale fidei, difficile, & malè respondent ad præfatā obiectionem, quæ

quæ sola sufficiebat, vt tenerent nobiscum, reuelationem tantũ esse conditionem essentialẽ, & nõ obiectum formale: vnde eorum solutiones, vt non veras relinquo. Alij verò nobiscum tenentes reuelationem esse solum conditionem obiectiuam, negant sequelam: quia reuelatio non attingitur, *vt quo*, assensu fidei: ita *Pater Castillo num.24. & Felix diff. 8. §. Quarto ex nostra sententia.*

208 Sed contra eos arguo. Eadem cognitione per vos creditur obiectum formale, & materiale: ergo cum euidentia in attestante non potest esse assensus fidei. Patet: quia sequeretur exinde, quòd idem obiectum formale clarè, & obscurè cognosceretur; obscurè per assensum obiecti reuelati; clarè, per cognitionẽ euidentem attestantis, per quam clarè cognosco, Deum non posse fallere, nec falli; & consequenter eius authoritatem, siuè veracitatem, quæ est obiectum formale motivum fidei. Præterea contra istos Scotistas arguo: quia in sententia Scoti etiam si essentia, vel voluntas diuina sit obiectum motivum visionis beatæ, possunt videri Personę diuinę, quin videatur essentia, aut voluntas diuina: ergo incõgruè asserunt, quòd eodem assensu fidei creditur, & cognoscitur obiectum materiale, & formale.

209 Quare aliter respondeo ad argumentum *num.* 207. propositum; videlicet sequelam distinguendo, secundùm eandẽ rationẽ, nego, secundùm diuersas rationes admitto sequelam. Reuelatio ergo cognoscitur clarè, qua ratione est diuina, & secundũ specificationẽ à testificãte efficienter (& hoc, quando euidẽtia est physica intuitiua; nã si euidentia est abstractiua, reuelatio non est omnino clara, sed potest esse circa eam assensus fidei, & multo magis si euidẽtia est moralis) & est obscura, qua ratione est huius articuli, & secundùm specficationem ab articulo reuelato in ratione obiecti, & causæ formalis extrinsecæ, seu terminatiuæ, & vt sic obscurè cognoscitur, quod non est inconueniens: quia licet secundùm relationem ad efficiens sit clara, tamen secundùm relationem ad terminum est obscura. Ad argumenta secundæ sententiæ ex dictis hic, & in toto præsenti capite facile constat.

210 Pro complemento tamen, aliqua dubiola breuissimè sunt hic ennodanda. Primum: vtrùm fides, vt proponeretur Ecclesię, fuerit necessaria in Prophetis, Patriarchis, & Apostolis euidentia physica in attestante diuino? Affirmauit *Caiet. q.174. ar.3. & in 2.2.* Sed nobis dicendũ est, sufficere euidentiam moralẽ diuini testimonij. Ita communis

sententia apud *Suar. disp. 3. sect. 8. à num. 10. & Lugo disp. 2. sect. 1. num. 30.* Quia hæc moralis euidentia sufficit Ecclesiæ ad firmissimam certitudinem fidei: aliàs, si fuisset necessaria Patriarchis, Prophetis, & Apostolis hæc euidētia debebat esse nobis, & toti Ecclesiæ physica euidētia, quod illi habuerunt talem euidentiā, sed sine euidentia physica de tali euidentia, certa, & firma manet in Ecclesia fides diuina: ergo. Argumenta, quæ Lugo affert ad hoc nostrum assertum stabiliendum non probant.

221 Fundamentum autem Caietani nullius roboris est; quia vt fides sit omnino certa, non requiritur testis ocularis, qui sit creatura, sed sufficit Deus, de quo habet Ecclesia certitudinē moralem.

211 Secundum est. An reuelatio euidens in attestante posset attingi, *vt quod* assensu fidei? Respondet *Castillo num. 30.* quòd non; sed loquitur inconsequenter: nam *Castillo n. 24.* affirmat, quòd cum euidētia hac relinquitur obiectum reuelatum obscurum: quia reuelat obscurè: ergo reuelatio est obscura: ergo potest tangi assensu fidei, *vt quod*. Quare dico, quòd secundùm respectū ad efficiens, seu reuelans nō potest credi, *vt quod*, si reuelans euidētia intuitiua cognoscatur (stādo in communiori sententia de incōpossibilitate assensus fidei, & actus visionis circa idem obiectum) quia tunc clarè, & euidenter cognoscitur, quòd reuelatio est diuina: & sic ista veritas, *hæc reuelatio est diuina*, non potest tangi assensu fidei. Si verò reuelans nō cognoscatur euidentia intuitiua potest credi, *vt quod*; quia talis reuelatio non est mihi facialiter præsens omnino secundùm illum respectum, quia terminus non est facialiter præsens: secundum autem respectum ad rem reuelatam, quādo res reuelata non proponitur in se præsens facialiter potest credi, *vt quod*.

213 Tertium est. Vtrùm iudicium, quo quis iudicat euidēter, Deum esse, qui reuelat sibi aliquid sit fidei? Respondet *Castillo num. 32.* quòd non. Sed consequenter dico; quòd si illud iudicium sit euidens euidentia intuitiua, conuenio cum illo; si verò sit euidens solum euidentia morali, vel abstractiua physica, iudico tale iudicium posse esse fidei.

Sectio 6. *Cum quibus actibus simul cohærere possit assensus fidei diuinæ infusæ?*

214 PLures sunt actus, de quibus præsens dubium, & difficultas oriri potest. Primus est visio beata: & hoc bipartiri potest, circa idem, vel diuersa obiecta. Secundus est scientia abstra-

stractiua: & hæc etiam est duplex, abstractiua per proprias species, vel per alienas. Tertius actus est fidei humanæ, & opinionis. Quia tamē quilibet actus habet suum speciale motivum: ideò sub præsenti dubio, quatuor principalia veniunt ennodanda quatuor sequentibus subsectionibus.

Prima subsectio. *Vtrū cum visione beata possit stare assensus fidei?*

215 DIficultas est circa idem obiectum: nam circa diuersa obiecta non est dubium, istos actus posse componi in eodem intellectu, vt omnes affirmant. Hoc posito prima sententia docet, quòd de facto potest esse assensus fidei cum cognitione intuitiua naturali (ita *Lugo disp. 2. sect. 2. à num. 59.* sed præcipuè *n. 74.* cum alijs quos ipse ibi citat) & de potentia absoluta cū visione beatifica, non verò de potentia ordinaria. Ita *Suarez disput. 3 sect. 9. n. 23. Ægidius disput. 11. dub. 1. Puente Hurt. disp. 30. sect. 2. §. Quarto: Conink. Granados tract. 2. disp. 7. sect. vlt. num. 25.* citantur *Durand. & Gabriel, noſterque Alensis 3. part. quæst. 68. memb. 7. art. 2. & 3. & D. BB. in 3. dist. 24. quæst. 1. & 2.*

216 Probant primo: quia obiectum formale visionis, & assensus fidei obiectum formale sunt diuersa: ergo circa idem obiectū materiale optimè possunt versari visio, & assensus fidei sub diuersa ratione formali; quia in eodem obiecto materiali possunt reperiri illæ duæ rationes formales. Respondet *P. Felix cap. 5. diff. 2.* negando consequētiam: quia talia obiecta sunt opposita priuatiuè, scilicet visum, & non visum, clarum, & obscurum

217 Sed contra. Esse non visum, quod est de ratione obiecti fidei, non est negativum, sed ipsum obiectum materiale propositum obscurè per reuelationē, quod positivū est: vel si est negativū, scilicet non esse clarè, & facialiter propositū, nō est priuativum, sed negatio infinitans, sicut non album sequitur ad esse nigrū, & ad esse album sequitur non nigrum, & tamē idem subiectum, de potentia absoluta, potest esse album, & nigrum simul: ergo idem obiectum poterit esse visum, & creditum.

218 Respondet *Casillo disput. 4. quæst. 2. num. 16.* quòd esse non visum non est negatio infinitans, neque passio sequuta ad aliquid positivum, sed est carentia priuatiua visionis inhærens ipsi intellectui, sicut visio proportionaliter. Cæterum ista solutio mihi semper fuit falsa. Quia carentia priuatiua visionis inhærens intellectui, sicut visio cuius est priuatio, propriè non est denominatio

obiecti in esse non visi, & obscuri sufficiens ad constituendū obiectum assensus fidei, sed propriè est denominatio intellectus in esse non videntis: ergo esse non visum, quod est de ratione obiecti fidei non est carentia priuatiua visionis, sed solum est negatio infinitans sequuta ad aliquid positivum, nempè ad propositionem obiecti per reuelationem obscuram: nam per hoc præcisè (inquit *Castillo q. 3. n. 24.*) obiectum fidei est ineuidens obscurū, & non visum, non verò per carentiā visionis formaliter. Aliàs in quocumque reperiretur carētia visionis beatę, ibi sufficienter esset obiectum fidei propositū: quia posita tali carētia esset obiectum nō visum, & obscurum, & vt requiritur ad rationem obiecti fidei; quod non potest dici.

219 Secūdo probant. Quia in Christo Domino fuerunt visio, & scientia abstractiua de eodem obiecto, non obstante, quod isti actus inuoluunt cōditiones obiectiuas oppositas, scilicet præsentiam obiecti visio, & nō præsentiam obiecti cognitio abstractiua: ergo etiam si obiectum fidei, & visionis includant conditiones oppositas, nihilominus possiunt versari circa idem obiectum materiale visio, & fides.

220 Respondet Pater Felix relatus; quòd cognitio abstractiua non dicit essentialiter nō præsentiam obiecti; quia cognitione abstractiua potest cognosci obiectum præsens: istę enim duę cognitiones se habent, vt magis ac minus, & vt excedens ac excessum: acquiesco solutioni tanti Magistri: sed inquiro; quare cū assensus fidei nihil aliud sit, quā cognitio abstractiua propter authoritatem Dei, tanquam propter motivum formale de obiecto per species alienas proposito (hoc est meo videri obiectum esse obscurū, nō visum, & ineuidens, & nihil aliud) vel per proprias (sed non repræsentantes ipsum, vt præsens facialiter) id est per reuelationem obscurè, non poterit cōponi simul cū visione beata? Etenim obiectū esse clarum, nihil aliud est, quam obiectum esse propositum intellectui, secundùm quod est in se realiter, & facialiter præsens: & obiectum esse obscurum, nihil aliud est, quam obiectum esse propositum per species alienas, vel proprias, non repręsentantes realiter obiectum in se realiter, & facialiter præsens; sed simul potest obiectum sic duplici isto modo proponi: ergo etiam circa idem obiectum potest esse visio, & assensus fidei.

221 Tertio probant; quia licet fides doceat, euacuandam fore fidem adueniente visione: tamen Beata Virgo, & Apostoli viderunt Christum crucifigi, &

& crediderunt, vt vnum ex articulis fidei nostræ. Et *Ioan. 20.* dicitur: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*: ergo assensus fidei cum visione naturali de eodem obiecto compatitur de facto, & de potentia absoluta cum visione supernaturali. Respondet *Scotus distinct. 24. ad primum principale*: quòd B. Maria, & Apostoli non crediderunt crucifixionem in effectu, sed in affectu, ex quo viderunt, & habebant habitum fidei. Ad aliud dicit Scotus; quòd Apostolus Thomas vidit Humanitatem, & credidit esse Deum. Et si obijciatur, quòd incredulitas B. Thomæ non fuit de eo, quòd Christus esset Deus, sed de eo, quòd Christus Dom. resurrexisset ideòque dixit, ibi: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius, non credam*: Christū Dom. scilicet surrexisse, vt cæteri Apostoli dicebant illis verbis, *vidimus Dominum*: ergo idē obiectū fuit quod credidit, de quo habebat incredulitatem, sed de quo habebat incredulitatē vidit: ergo de eodem obiecto habuit fidem, & visionem, non verò de diuersis. Quid ad hoc Scotistæ respondeant non inuenio. *Suarez* tamen *disp. 3. sect. 9. n. 24.* quē sequitur *Lugo disp. 2. sect. 2. n. 80.* dicunt non repugnare assensum fidei diuinæ cum visione sensitiua, & materiali eiusdē obiecti.

222 Secunda autem sententia cōmunis etiam tenet assensum fidei cum visione de eodem obiecto non posse componi de potentia absoluta. Ita *Felix*, & *Castillo* citati, & omnes Scotistæ ex *Scoto dist. 24. §. Ad quæstionem*, & *§. Sed si loquamur, vers. Sed Deus*, & *vers. Dico igitur*, & *§. Cōtra hæc, vers. Contra quælibet*, & *§. Ad quæstion.* Docet *D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5.* vbi *Caiet.* & alij Thomistæ, *Lorca disp. 14. Vazq. 1. part. disp. 4. cap. 2. Torres disp. 8. dub. 5. Hurtado disp. 2. diff. 9.* cum *Molina*, & alij grauissimi, tam ex Antiquioribus, quam Recentioribus, vt *Cardinalis de Lugo disp. 2. sect. 2. à num. 81.*

223 Probant primo: quia fides est sperandarū substantia rerum argumentum non apparentium, sed posita visione obiectum nō est sperabile, nec est argumentum rei non apparentis, quia obiectum apparet: ergo cū visione beata nō compatitur fidei actus circa idem obiectum. Explicatur magis argumentum à Patre Felice, & Castillo. Quia assensus fidei debet versari circa obiectum priuatiuè non visum (seu non euidens, & obscurū priuatiuè; & hoc est, quod obiectū non appareat, positū in deffinitione actus fidei) ergo nō potest stare cū visione adhuc de potentia Dei. Antecedens patet ex definitione actus fidei consequentiā probāt; quia visio huius obiecti,

& priuatio visionis eiusdem obiecti, ideſt obiectum esse visum, & non esse visum priuatiuè, non minus repugnant, quam in aere esse lucidum, & non esse lucidū priuatiuè, sed hoc repugnat omnipotentiæ Dei: ergo, & illud.

224 Ad hoc argumentum, quod est vnicū Scotistarū Aquiles (nam aliorū argumenta sunt in efficacia, vt fatentur Scotistæ, & videbimus) respondent Authores oppositæ sententiæ: quòd obiectum fidei dicitur non visum, ineuidens, obscurum, & nō apparens, non propter carentiā priuatiuam visionis formaliter, sed propter reuelationem, & locquutionem Dei proponentem obiectum, & illud repræsentantē per species, non vt realiter est in se præsens, & existens facialiter.

225 Sed insurgit contra hoc primo noster Felix. Quia obiectū fidei nō accipit obscuritatē, & non esse visum, non esse euidens, seu non apparens à reuelatione, sed potius illam obscuritatem supponit: quia, etiā si reuelatio sit clara, adhuc obiectū reuelatum manet obscurum: cū ergo reuelatio supponit obiectū fidei, supponit illud cum omnibus requisitis, vt credatur: vnum est esse obscurum, & non visum: igitur nō esse visum, non est negatio infinitans sequuta ad reuelationem, sed erit carentia priuatiua visionis, & patet inquit noster Felix: quia si esset visum, ad quid foret reuelatio, nam authoritas Dei, tunc non moueret.

226 Sed bona venia, hæc instantia non est vera. Quia falsum est, quòd obiectum fidei non accipiat obscuritatem à reuelatione: etenim reuelatio dicitur clara efficienter, hoc est per respectū ad agens, non verò per respectum ad rē reuelatā: quia si vt sic foret clara, non esse sufficiens ad assensum fidei: vt patet in reuelatione euidenti facta Angelis; & Patribus per speciem quidditatiuam perfectam mysterij Trinitatis secundùm ipsum Felicē, qua posita nō datur fides de tali mysterio in Angelis, &c. ergo obiectum non supponit, ex parte sui ante reuelationem, obscuritatem necessariā ad assensum fidei: quod ingenuè fatetur *Castillo q. 3. n. 24.* Aliàs reuelatio non esset adhuc conditio necessaria essentialiter ex parte obiecti ad actum fidei; si quidē secundùm nostrum Felicem obiectum supponit ante reuelationem cum omnibus requisitis, vt credatur, quòd in omnium sententia falsissimū est: imò sine reuelatione nō est credibile: ergo solutio nostri Magistri à primo, vsque ad vltimū, non habet verum. Et ita esse obscurum, nō esse visum, nō esse euidens, & non apparens solum est negatio infinitans, & nō priuatiua carentia visionis. Illud au-

autem quòd vltimo loco suæ replicæ adducit Magister Felix reijcitur; sicut ipse reiecit argumentum Vazquezij; in quo miror tam citò placuisse, quod immediatè antea, immemor sui, displicuit.

227 Quare secundo insurgit noster *Felix* cõtra solutionẽ Authorũ oppositæ sentẽtiæ *n.* 224. posita ad suum argumentũ. Quando fides terminatur ad obiectũ visum, secundùm hos Authores, supponitur obiectum visum per alium actũ, scilicet per visionẽ: ergo quãdo terminatur ad obiectum non visum, negat actum distinctum à reuelatione. Respõdetur omittendo antecedens, & distinguẽdo cõsequens; negat priuatiuè ex natura rei, nego; negat *in*finitãter, cõcedo; sicut visio albi, prout albi, est visio nõ nigri, & prout visio nigri est, est visio non albi, & tamẽ idẽ subiectum potest esse album, & nigrum, & idem actus potest esse cognitio albi, & nigri.

228 Insurgit tertio Negatio infinitans sequuta ad reuelationẽ, non est magis non visio, quã non opinio, non scientia, nõ lapis, &c. Respondetur, quòd in re ita est; sed tamẽ terminatur magis ad non esse visum, cũ fundamento in ipsa re, quam ad negationẽ aliarũ rerum; propter aliqualẽ oppositionẽ, quã habent inter se, tam obiectũ fidei, & visionis, quam ipsa visio, & assensus fidei sub eodem genere: sicut in albo negatio infinitans determinatur ad non esse nigrũ propter oppositionem contrariã sub eodem genere, quã habent inter se: visio enim, & assensus fidei sunt sub eodẽ genere cognitionis, sed tamẽ visione formaliter non credimus, nec assensu fidei formaliter videmus, clarè, & intuitiuè; & sic quodãmodo opponuntur, sed sunt entitates positiuæ. Ferè eodem modo instat noster Castillo, sed eodem modo respondetur illi.

229 Probant secundo alij istã sententiã cõmunem. Quia plures actus non subordinati inter se nõ possunt elici ab eodem intellectu. Sed hoc argumentum cõtemnitur: quia ex tertio libro de anima constat oppositum. Secundo, quia intellectus est agens naturale: ergo si proportionato modo applicentur ei plura obiecta motiua, simul aget circa illa, & in Christo fuerunt de facto: & in Angelis, & in nobis experimur quotidiè: præterquamquod actus fidei subordinatur beatitudini, & visioni beatificæ.

230 Quare alij cum Sancto Thom. probant. Quia implicat eundem intellectum eidem obiecto assentiri conuictum ab eodem per medium euidens, & clarum, & non conuictum ab obiecto per medium ineuidens, & obscurum, relinquens potentiam

tiam liberam, quoad speciem actus. Sed contra optimè insurgit noster Castillo: Primo: quia non minus repugnat, quod intellectus sit fallibilis, & infallibilis ex diuerso motiuo, & tamen hoc reperitur de facto, in eo qui simul habet fidem infusam, & humanam circa idē obiectum: ergo etiam poterit reperiri illud. Præterea: quia motivum fidei non relinquit potentiam liberā secundùm speciem, sed quoad exercitium.

231 Quare Vazquez, & Torres, & Hurtado probant. Quia in præsentia medij clari non potest mouere diuinum testimonium, cū sit valdè debile, & extrinsecum, indigens voluntate, vt determinet, & imperet intellectui actum credendi: cum autē actus implicet sine motiuo; hinc oritur implicantia coexistentiæ visionis, & assēsus fidei circa idē obiectum materiale. Verum hoc non placet nostris Felici, & Castillo. Primo: quia non redditur ratio, cur implicet diuinum testimonium mouere in præsentia medij clari. Secundo: quia secundùm Vazquez, Torres, & Hurtado, cum assensu fidei potest esse actus scientiæ abstractiuæ de eodem obiecto, & tamen motivū, & medium scientiæ abstractiuæ necessariò determinat ad actū, sicut medium cognitionis intuitiuæ: ergo sicut in præsentia scientiæ abstractiuæ stat assensus fidei; ita in præsentia visionis de eodem obiecto materiali assensus fidei stabit.

232 Tandem *Lugo, n.* 81. probat ex eo; quia sicut plena possessio boni impedit desiderium illius, & electionem mediorum quibus idem bonū procuretur: ita plenissima possessio veri in se ipso immediatè impedit vsum medij ad idem verum comparandum, sed per visionē beatificam intuitiuā plenissimè possidetur summum verū in se ipso immediatè: ergo ex natura rei, & essentialiter impedit quēcumque vsum cuiuscumque medij ad idem verum comparandum, qualis est assensus fidei. Sed respōdetur; quòd qui habet rem vno titulo potest velle eam alio titulo habere, & sic licet per visionem beatificā intuitiuè possideatur, & habeatur summū verum per cognitionem abstractiuam fidei non implicat simul possideri, & haberi idem verum.

233 Vnde Authores huius sententiæ videntes suam opinionem ratione efficaci non fulciri ad Patres recurrunt. Nam *Aug. tract. 68. in Ioann.* expressè ait: *Si vides non est fides*: quod nequit explicari *Si vides* per reuelationem obscuram: quia per hanc repugnat videre, inquit Castillo. Sed contra: ergo *Paulus 1. ad Cor. 13.* affirmat, quòd repugnat: nā dicit: *Videmus nunc per speculū in ænigmate.* Respondeo ergo: quòd

quod August. & alij Patres, ita loquentes, solum volunt dicere, quod qua ratione obiectum videtur, non est de eo fides, quod est dicere, actum visionis formaliter, vt visionis est, non esse fidei: cum quo stat, vt alius actus compatiatur cum visione, qui sit actus fidei. Secundo potest dici Sanctos Patres loqui de facto, non verò de potentia absoluta.

234 Pro hac ergo sententia solum premit *Scoti* authoritas. Nam 3. *dist.* 24. satis pro ea expressè esse videtur: nam §. *Ad quæstionem igitur, vers. Quarta*: ait. *Impossibile est de eodem esse simul scientiam, & fidem*: & §. *Sed si loquamur, vers. Sed Deus*: loquendo de cognitione intuitiua dicit. *Contradictio esset, quod huiusmodi notitia, & fides, simul starent*: & infrà dicit idem. Videtur posse responderi primo; quod Scotus negat posse esse simul scientiam, & fidem de eodem sub eadem ratione; & vt sic est contradictio. Secundo potest respoderi; quod Scotus loquitur de facto, & secundum legem ordinatam, ad quam attendendo, est verum, quod est impossibile de eodem simul esse scientiam intuitiuam, & fidem, & contradictio esset non ex natura ipsorum extremorum, sed ex ordinatione diuina: quoniam ex ipsa constat, quod *cum venerit quod perfectum est*, scilicet visio beatifica, *euacuabitur quod ex parte est*, scilicet fides: nam etiã dicit Paulus, quod sine fide impossibile est placere Deo: & tamen vt videbimus ex natura rei non repugnat, quod charitas præcedat fidem, & spẽ: cuius ordinationis ratio est optima; quia cum fides sit sperãdarum substantia rerum, argumentum non apparentium, & posita visione intuitiua beatifica non speratur illud quod videtur, non videtur congruum, seu necessarium ponere argumentum non apparentium, ideſt fidem: & vt sic videtur rationabile, quod in præsentia medij clari, non moueat authoritas diuina per testimonium, aut reuelationem eius obscuram. Vel potest tertio responderi, quod Scotus loquitur respectu eiusdẽ actus, & sic videtur verum, quod est impossibile de eodẽ esse simul scientiã, & fidẽ, ideſt impossibile esse eumdẽ actum, qui simul sit cognitio intuitiua, & fidei: & vt sic videtur contradictio, non vero si sint diuersi actus: & si nulla istarum solutionum videtur vobis conformi menti Scoti, quærite solutiones ad instantias factas cõtra fundamenta secundæ sententiæ, & contra solutiones ad argumenta facta pro prima opinione.

Secunda subsectio. *Vtrùm actus Fidei possit esse simul cum actu scientiæ abstractiuæ?*

235 PRima opinio absolutè, de omni sciētia abstractiua, siuè sit per proprias, siuè per alienas species, negat; ita *S. Tho. 2.2. quæst. 1. art. 5.* vbi *Caiet. & Capreolus 3. dist. 25. quæst. 1. art. 2. Ricard. dist. 24. quæst. 5. Molin. 1. part. quæst. 1. art. 2. disp. 4.* & alij. Quia per scientiam abstractiuam apparet clarè obiectum, & fides est non apparentium. Cæterum ex dictis hoc fundamētum enerua tum est: quia dum obiectum non fit præsens potentiæ in se realiter, & facialiter, clarè non apparet.

236 Secunda opinio ait: quod potest esse simul cum actu scientiæ abstractiuæ, siuè per alienas species naturales, aut supernaturales, & est de facto secūdum legem ordinariam. Loquendo verò de actu scientiæ abstractiuæ per proprias obiecti species, non existentis facialiter præsentis, dicit, adhuc de potentia absoluta, non posse componi. Ita Pater *Felix cap. 5. diff. 3. Castillo part. 2. à num. 26.* citant pro se *Alensem 3. part. quæst. 68. memb. 2. D. Bonauenturā dist. 24. Salmeron, & Catherinum cap. 12. ad Hebræos. Vazquez 1. part. disp. 4. cap. 2. & disp. 33. cap. vlt.* atque *Scotum dist. 24.* Sed existimo non benè citari istos Authores: quia neque Alensis, neque D. Bonauentura, nec Salmeron, nec Catherinus, neque Vazquez admittunt cognitionem abstractiuam quidditatiuam perfectam per proprias species. Ex parte conuenit cum hac opinione *Cardinalis de Lugo disp. 2. sect. 2. à num. 59.* qui meo videri non loquitur consequenter dum *num. 87.* affirmat, quod nō repugnat assensus scientificus, & fidei in priori naturæ cum visione intuitiua, & perfecta eiusdem obiecti comparata pro posteriori naturæ, & *num. 81.* affirmat repugnare inter se adhuc de potentia absoluta fides actualis, & visio intuitiua in eodem intellectu de eodē obiecto, prius enim, & posterius natura sunt intra idem instans temporis: ergo in vna parte negat, quod in altera affirmat.

237 Sed quidquid sit de hoc; consequenter ad ea, quæ diximus supra: dico. Quod cū omni actu sciētię abstractiuę potest esse simul assensus fidei diuinę infusæ. Ratio est: quia actus scientiæ abstractiuæ per alienas, vel per proprias rei species, neq; cōtrariè, neque contradictoriè opponitur cum assensu fidei: neque requirunt conditiones, aut modos contradictoriè, aut contrariè oppositos: ergo possunt circa idem obiectum materiale eidem intellectui inesse. Imò vt ex dictis patet idem actus potest esse as-

assensus fidei, & scientiæ abstractiuæ. In hac conclusione debēt conuenire Authores pro prima sententia *subsectione 1. num. 215.* relati.

238 Tres igitur partes continet nostra assertio. Prima est, cum actu scientiæ abstractiuæ per alienas species potest simul esse actus fidei. Probatur: actus fidei potest esse ex dictis actus discursiuus: ergo. Cōfirmatur: quia per actum scientiæ abstractiuæ per alienas species non apparet euidenter euidentia intuitiua obiectum, sed solum cum euidentia intuitiua obiecti potest opponi assensus fidei: ergo. Confirmatur secundo: quia potest esse assensus fidei cum visione: ergo multo magis cum cognitione abstractiua. Tertio confirmatur: quia siuè per Theologiam, siuè per Philosophiam habemus scientiam abstractiuam de hac veritate Deus est Vnus, &c. sed circa hoc obiectum habemus fidem Catholici: ergo.

239 Secunda pars probatur contra Scotistas. Quia actus scientiæ abstractiuæ per proprias species elicitus non est formaliter de obiecto clarè apparenti, secundum quod est in se realiter existens, & facialiter præsens: ergo. Confirmaturque: quia talis actus non est euidens euidentia intuitiua; neque per talem actū obiectum dicitur visum intuitiuè: ergo obiectum manet ineuidens, & non apparens sufficienti in euidentia, & in apparentia, vt sit non visum, & obscurum obscuritate sufficienti ad terminandum actum fidei.

240 Tertia pars est: quod vnus, & idem actus potest esse actus scientiæ abstractiuæ, & assensus fidei. Sequitur ista conclusio ex dictis in toto isto capite: & meo videri est expressa sentētia *Scoti in 3. dist. 24. §. Quæstio ista, versic. Scientia subalternata*: vbi videtur dicere, quod Theologia est vera scientia, & potest stare cum fide de eisdem: quod licet sit argumentum Sancti Thomæ; tamen *§. Ad argumenta pro prima opinione*, videtur Scotus non negare. Imò *§. Sed si loquamur*, satis expressè fatetur *Scotus, quod Deus potest causare se solo notitiam certam absque omni dubitatione, & hæc notitia, quia euidens est diceretur scientia* (qualis est notitia de obiecto per species proprias abstractiua, & à Deo reuelata) *cuiusmodi notitiam creditur Prophetas habuisse, & multos alios Sanctos in Scriptura, illa tamen certitudo, & euidentia, non ex euidentia rei*, ideſt intuitiua, *quia tunc esset cōtradictio, quod huiusmodi notitia, & fides simul starent*: ergo dum notitia non sit euidens euidētia intuitiua (ideſt *ex euidentia rei*) non est cōtradictio in hoc, quod possit esse cum fide, non solum circa idem obiectum per distinctos actus, sed in vnico actu.

Ne-

Neque video, quid posit cõtra hoc obijci, quod ex dictis facilè non saluatur. Nam euidentia opposita actui fidei non est euidentia abstractiua, sed intuitiua: & adhuc ista non opponitur ei ex natura rei, sed ex ordinatione diuina, vt supra *subsection. prima* notauimus.

241 Sed obijcies: *Scotus dist. 24. §. Contra hæc, versic. Contra conclusionem*, infert ex sententia Gandauensis inconueniens; scilicet, posse dari simul scientiam abstractiuam, & fidem: ergo nostra opinio, secundum omnes partes est falsa, & contra Scotũ. Respondeo: quod Scotus ibi solum impugnat quoddam lumen perfectius, medium inter lumen gloriæ, & lumen fidei. Dices: intellectus nõ potest simul ex medio libero, & ex medio necessario operari, sed medium scientiæ abstractiuæ est necessarium, medium autem fidei liberũ est: ergo circa idem obiectum non possunt esse simul actus fidei, & scientia abstractiua. Respondet *Castillo num. 34.* (in quantum facit contra secundam suam conclusionem) distinguendo maiorem: nõ potest per vnicum actũ, concedo, non potest per diuersos, nego quia vt sic, non verificantur cõtradictoria de eodem, scilicet esse liberum, & non esse liberum, necessarium, & nõ necessarium, sed de diuerso: quia sunt duo actus.

242 Sed contra: Cur etiã hoc modo non possit saluari, quod actus fidei, & visionis, & scientiæ abstractiuæ per proprias species possint simul compati de eodẽ obiecto? Quia vt sic contradictoria; quæ exinde videntur sequi, non verificantur de eodem, sed de diuersis subiectis. Præterea solutio eius est falsa: quia supponit, actum scientiæ abstractiuæ esse omnino necessarium, cũ sit liber quoad exercitium, sicut actus fidei: & per hoc soluitur melius argumentum numero antecedenti propositum.

Tertia subsectio. *Vtrũm cum actu Fidei infusæ possit componi actus Fidei humanæ, & opinionis?*

243 NEgant *Lorca disput. 15. num. 19. Ægidius disput. 11. dub. 1. num. 43.* & alij. Sed cõtraria sententia à nobis tenenda est cum nostris Magistris *Felice diff. 6. Castillo disp. 4. quæst. 2. part. 4. ex Scot. in 3. dist. 23. §. De primo certum est, & quodlib. 14. §. De primo, & quodlib. 17. §. Cõtra cõclusionem*, tenent *Gabriel, & Okam quodlib. 3. quæst. 3.* sequũtur *Vazquez 1. 2. disp. 201. cap. 2. Hurtado, Salmant. disp. 2. diff. 10. Torres disp. 8. dub 7. & Cardinalis de Lugo disp. 2 sect. 2. n. 89.* & videtur iam sententia communis omnium.

244 Igitur quod cum assensu fidei infusæ possit, de eodem ob-

obiecto, esse assensus fidei humanæ probatur: sed primo suppono, quod actualis fallacia non est de ratione fidei humanæ, sed solum aptitudinalis, scilicet fallibilitas. Iam ergo probatur conclusio, Quia de facto credo mysterijs fidei propter politicam Ecclesiæ authoritatem, & simul credo propter authoritatē Dei, vt propter rationem formalem vltimam: ergo. Et ratio à priori est: quia quod motivum fidei humanæ sit fallibile, & motivū fidei infusæ infallibile, non facit actus contradictoriè oppositos, sed solum est potentia, vt possit facere illos contrarios, vel contradictorios; cum quo stat posse illos facere non oppositos: ergo possunt componi in eodem intellectu circa idem obiectum. Ex eo enim quod motivum sit fallibile, solum sequitur, posse actum esse falsum, vel verum: ergo quando est verus actus fidei humanæ, non opponitur cum actu fidei diuinæ; & sic possunt esse simul.

245 Dices: Actus fidei humanæ est incertus: actus verò fidei infusæ est certissimus: ergo si sunt simul, erit intellectus certus, & non certus de eodem obiecto, quod est cōtradictio. Respondeo, quod actus fidei humanæ tunc solum est aptitudinaliter incertus, non verò actualiter; & certitudo actualis nō opponitur cum incertitudine aptitudinali. Sed instabis: actus fidei est aptitudinaliter certus, sed certitudo aptitudinalis, & incertitudo aptitudinalis sunt oppositæ: ergo. Respondet Felix: quod reperiuntur in duobus actibus, scilicet in actu fidei humanæ, & in actu fidei diuinæ.

246 Sed contra: quia hoc modo etiā certitudo, & incertitudo actualis non pugnant; quia essent in diuersis actibus, & subiectis. Respondeo ergo negando minorem: actus enim fidei infusæ non potest non esse certus: deinde neque certitudo, & incertitudo aptitudinalis sunt oppositæ: aliàs non posset dari voluntas, quæ est potentia ad oppositæ contraria, & contradictoria: nec similiter daretur intellectus, qui est potentia ad assensum, & dissensum: in actibus ergo reperitur contradictio, & oppositio, non verò in potentia ad oppositos actus disiunctim: ex quo possunt solui alia argumenta minoris momenti.

247 Quod autem actus fidei infusæ possit esse cum assensu opinatiuo, probatur: & suppono, quod de ratione assensus opinatiui, non est actualis formido, sed solùm aptitudinalis, id est formidolositas: quo posito, est ratio. Quia assensus opinatiuus potest esse sine actuali formidine, sed tunc non habet vnde opponatur cum certitudine actus fidei infusæ: ergo possunt simul es-

esse circa idem obiectum. Secũdo probatur per similes rationes, quibus præcedens pars stabilita est.

248 Dices: scientia, & opinio non possunt esse simul: ergo neque opinio, & fides. Respondeo, quòd illud antecedens non est omnino certum. Iudico enim quod actus opinionis idem numero potest esse actus scientiæ: nam antequam per euidentem consequẽtiam ex principijs euidentibus conuincatur quis ad assensum, qui anteà erat opinatiuus, solum habebat assensum opinatiuum, & istemet transijt ad esse assensum scientificum: potest tamen conseruare vtrumque motiuum, & medium assentiendi, & sic simul habere opinionem, & scientiam. Quod non opponitur *Scoto dist. 24. §. contra hæc, Vtrũ eteà scientia, & opinio*: vbi videtur tenere opinionem, & scientiam non posse compati simul: nam intelligo Scotum de opinione, secundùm quod habet incertitudinem actualem, & actualem formidinem.

249 Dices: opinio est incerta, fides verò est certa: ergo. Respondeo, quod opinio est incerta aptitudinaliter, cum quo compatitur certitudo actualis. Addit *N. Felix*, quod fides non excludit omnem dubitationem ex *Scoto in 3. dist. 24. §. Sed si loquamur*: quam dubitationem vocat *Caiet.* accessoriam, & contingentem; & existimat Felix nihil aliud esse, quã non esse euidentẽ: sed si vellit intelligere de euidentia intuitiua illi subscribo, & adhæreo, non verò de abstractiua.

Quarta subsectio. *Vtrùm idẽ numero actus possit procedere ex motiuo scientiæ, & ex motiuo Fidei. Et ex motiuo Fidei diuinæ, & ex motiuo Fidei humanæ?*

250 IN præsenti idem est, ac si quæramus: vtrùm idem actus possit esse fidei, & sciẽtiæ, & fidei diuinæ, & humanæ? Et circa primũ Scotistæ, *Felix cap. 5. diff. 4. Castillo disp. 4. q. 2. par. 5.* consequenter dicunt, quod idem numero actus non potest esse scientię per proprias species, & fidei; potest verò esse scientiæ abstractiuę per alienas species, & fidei idem numero actus. Secunda autem opinio dicit, quod idẽ numero actus, secundum speciẽ essentialem, potest esse scientiæ, & secundum modum accidẽtalẽ habere certitudinẽ fidei; & sic simul ex motiuo sciẽtiæ, & motivo fidei. Ita *Capreol.* & *Hispalensis*. Alij verò, vt *Molina 1. p. q. 1. ar. 1. disp. 1. Fonseca, Puẽte Hurtad. disp. 31. §. 16.* asserunt, quod vnus numero actus potest esse scientiæ, & fidei eminenter, & vt sic procedere à motivo fidei, & scientiæ. Tertia sentẽtia absolutè negat, quod idem numero actus

actus posit esse fidei, & scientiæ, & ex vtroque motivo procedere. Ita *Suarez disp. 3. sect. 9. Lorca disp. 5. num. 18.* sequuntur*que Torres, & Ægid. disput. 11. dub. 1.*

251 Sed dico primo: ex motivo scientiæ abstractiuæ per proprias species, & ex motivo fidei infusę potest idem numero actus procedere: & sic idem numero actus potest esse scientię per proprias species abstractiuæ, & fidei infusæ. In hac conclusione conuenire videtur *Lugo*, & alij, quos ipse refert *disp. 2. sect. 2. à n. 59. vsque ad 80.* vbi Cardinalis multa profert cum prænotatis Authoribus quæ in hac conclusione coincidunt.

252 Probatur ergo nostra conclusio: quia motivum scientiæ abstractiuæ per proprias species nihil aliud est, nisi connexio necessaria specierum cum re, cuius sunt species; motivum autē fidei infusæ est authoritas Dei reuelantis, sed ista duo motiua nō sunt opposita, & possunt subordinari ad vnicum actum: ergo vnus actus potest procedere ab vtroque motivo. Minor in qua est difficultas patet ex dictis *in præsenti cap. sect. 1. & sect. 5.* & iterum declaratur: quia potest diuina authoritas reuelare mysterium Trinitatis, & testificari illud per speciem impressam quidditatiuam virtualiter repræsentantem illud abstractiuè, & non intuitiuè: at actus elicitus, quo habens talem speciem infusam assentitur huic mysterio, procedit ex motivo fidei, & ex motivo scientiæ abstractiuæ per speciem propriam: ergo, &c.

253 Sed obijciunt Felix, & Castillo contra nos. Repugnat per locum intrinsecum, quod idem actus sit euidens, & ineuidens, sed hoc sequitur ex nostra conclusione: ergo est falsa. Respondeo distinguendo antecedens: repugnat, quod idem actus sit euidēs abstractiuè, & ineuidens abstractiuè sub eadē ratione, permitto antecedens: repugnat quod sit euidens abstractiuè, & ineuidens intuitiuè, nego antecedens; & hoc solum sequitur ex nostra conclusione: vnde negatur consequentia. Cōsulto dixi permitto antecedēs, in primo distinctionis membro: quia euidens, & ineuidens non sunt opposita priuatiuè, & eiusdem de eodem sub eadem ratione, sed est idemmet actus secundum substantiam, prout tendit circa idem obiectum materiale diuersis modis formalibus.

254 Sed insurgit Felix: si obiectum fidei concurrit, debet causare effectum, sed proprius effectus est obscuritas: ergo illam causat in actu, & si non causat, talis actus non procedit ex motivo fidei. Respondeo: quod obs-

obscuritas, quam obiectum fidei causat, solum opponitur euidentiæ intuitiuæ. Imò obscuritas, & euidentia intuitiua, siuè claritas intuitiua in eodē actu circa idē obiectum materiale, secundùm diuersum modum tendendi non repugnat ex natura rei, sed solū ex ordinatione diuina de facto; quia licet sint eiusdem de eodē, sed non de eodem formaliter, & sub eadem ratione formali, sed de eodem materiali.

255 Sed contra arguit Felix. Quia licet sint diuersa obiecta formalia, tamen sunt opposita, & cum quòdlibet tribuat actui suam rationem, in actu erunt rationes oppositę, quod repugnat. Respondeo: quòd rationes, quæ non sunt oppositæ eiusdē de eodem, oppositione sub eadem ratione formali, nō repugnant eidem in esse. Nam secundùm Patrem Felicem, & Castillo, sciētia abstractiua, & intuitiua, se habent sicut magis, & minus, & vt excedens ad excessum: & ita vnicus actus potest esse intuitivus, & abstractivus, & tamē abstractivus dicit non videre obiectum, & intuitivus dicit videre illud: item eadem cognitio albi est intuitiua, prout album est, & abstractiua prout substantia est, vel prout subiectum est albedinis; vbi, prout intuitiua est, habet videre obiectum, & prout abstractiua est habet non videre illud: & tamen quia videre, & non videre, non sunt eiusdem de eodem sub eadem ratione formali, compatiuntur in eodem actu: ergo similiter in casu nostrę conclusionis.

256 Prætereà explicatur magis: quia lapis mouetur deorsum ab impellente: ergo etiam vnus actus potest procedere à duplici motiuo. Respondet Pater Felix, hoc non esse ad rem: quia non sunt causæ inter se oppositæ, vt est motivum fidei, & scientiæ. Sed contra: quia lapis non habet exigentiā secundum pondus naturale suum, vt tanta celeritate descendat, quanta descendit addito impulsu: ergo aliqua oppositio est inter impellentē, & naturale pondus lapidis: ergo in descensu causabunt effectus oppositos maioris velocitatis, vt ab impellente, & minoris, vt à grauitate ipsius lapidis: igitur sicut vnus descēsus est simul minoris velocitatis, prout ab vna causa, & maioris velocitatis, prout ab alia; ita vnus actus poterit esse minoris claritatis, & euidentiæ, prout tendit in vnum motivum, & maioris claritatis, & euidentiæ, prout tendit in alium.

257 Dico secundò. Idem numero actus potest procedere à motiuo fidei, & à motiuo scientiæ, per alienas species; & hoc de facto, & secundùm potentiā ordinariā; præcedens enim cōclusio prima est de potentia absoluta. Conueniunt in hac conclu-

clusione secunda *Lugo*, & Authores, quos ipse refert numeris præcitatis. Probatur contra Suarez. Quia motivum scientiæ abstractiuæ, & motivum fidei non opponuntur; imò subordinari possunt: ergo ab vtroque potest procedere vnus numero actus. Antecedens patet ex dictis *sect. 1. & 5. huius capitis*. Quia diximus, quod cum euidentia manente stare potest assensus fidei, & quod assensus fidei est discursivus. Præterea in omnium sententia, ex præmissa de fide, & ex præmissa naturaliter nota oritur assensus Theologicus: ergo ex hoc duplici motivo potest vnus numero actus procedere. Patet; quia præmissa de fide nititur motivo fidei, & præmissa naturaliter nota nititur motivo scientiæ abstractiuæ: ergo. Præterea confirmatur argumentis assertionis præcedentis. Tandem cõfirmatur: quia potest Deus reuelare obiectum, imò frequenter reuelat credibilia per species alienas eorum, sed istæ species possunt generare actum scientiæ abstractiuæ, & ex parte obiecti mouent ad assensum fidei: ergo, &c.

258 Sed obijcies pro Suario. Si daretur talis actus, etiam daretur habitus infusus ad illum eliciendum distinctus à fide, sed hoc non potest dici: ergo neque illud ex quo sequitur Respõdeo: quod in prima conclusione daretur habitus scientiæ per se infusæ, & habitus fidei: in secũda verò cõclusione daretur habitus fidei, & habitus scientiæ per se acquisitæ, vel darẽtur species alienę, per quas mouetur intellectus ad assensum obiecti, & vnus habitus subordinaretur alteri, vel adinuicem: quia in hoc non reperio inconueniens; sicut in cõclusione Theologica, quæ subalternatur habitui fidei, & habitui scientiæ.

259 Dices: quodlibet motivum potest causare substantiam huius actus totalem: ergo non potest procedere ab vtroque: quia duæ causæ totales non possunt causare eũdẽ numero effectum totalem. Respõdet N. Felix, quòd vnum motivum daret substantiam actus, & aliud daret circunstantiam actui. Sed contra: quia iam incidit in modum philosophandi Capreoli, & Durãdi, quẽ impugnat. N. Castillo respondet: quòd est vnus actus eminentior, quã foret si à quolibet motiuo seorsim procederet, mixtus ex fide, & scientia, sicut color ceruleus ex albedine, & nigredine; in quo modo dicendi debet etiam conuenire *Felix*, quia §. *Dico secundo*, ait, quòd iste actus est vna tertia species, sicut productio muli ex æquo, & assina; in quo etiam libenter cõuenio; dummodo intelligamus illum actum esse simul formaliter scientiæ, & fidei, & non virtualiter, sicut elementa manent in mixto, & primæ qualitates in temperamento.

260 Circa secundum negat *Lorca disp. 5. num. 18. Suarez disp. 3. sect. 9. Torres, Ægidius disp. 12. dub. 1.* ex nostris *Pitigian. dist. 24. art. 6.* quos sequutus fuit in manuscriptis *Pater Vrbina.* Quia motivum fidei humanæ, & infusæ sunt specie diuersa, & opposita priuatiuè: nam vnum est fallibile, & aliud infallibile, vnum certũ, & aliud incertum, & sic actus esset simul certus, & incertus, fallibilis, & infallibilis: ergo, &c.

261 Sed dico: quod de facto vnus numero actus potest à motivo fidei infusæ, & à motivo fidei humanæ procedere: & sic vnus numero actus potest esse fidei diuinæ, & humanæ simul. Ita *Felix diff. 7. Castillo part. 6. ex Scoto quodl. 14. §. De primo, & quodl. 17. §. Contra conclusionem,* sequũtur *Capreolus, & Durandus, Sotus, Fonseca, Valencia, Molina, & Arigon,* & ante omnes *Nominales,* nec longè abest ab hac sentẽtia *Cardinalis de Lugo* ex his, quæ habet, & diffusè tractat. *disp. 2. sect. 2.* maximè *num 89.*

262 Probaturque. Quia nulla est contradictio in hoc: ergo. Antecedens probatur, quia si aliqua potest inueniri, maximè certitudo, & incertitudo, fallibilẽ, & infallibilem esse actum, sed tunc talis actus non esset incertus actualiter, nec fallibilis actu, seu fallax, aut falsus, sed solũ illas denominationes haberet aptitudinaliter per ordinẽ ad motivũ, in quo est potentia ad actus certos, & incertos, falsos, & veros, quod parũ refert: ergo. Vtrũque enim motivũ subordinatur, scilicet fidei humanę (qualis est authoritas politica Ecclesiæ) motivo fidei infusæ: & sic causatur vnus actus certus, verus, & infallibilis fidei. Et per hoc respondetur ad fundamentum primæ sententię.

263 Obijcies: Ergo idẽ numero actus potest procedere à voluntate libera, & à qualitate physicè prædeterminante, vel auxilio moraliter. Negat Castillo consequentiam, sed ego cõcedo hìc: quia non est mihi obstaculũ. Dices: eodẽ actu impossibile est iudicare aliquod obiectum esse possibile, & impossibile simul: ergo nec idẽ actus poterit assentiri eidẽ obiecto, ex motivo infallibili, & fallibili. Respondeo: quod nõ mouemur ad assentiẽdum fide humana ex motivo, vt formaliter est fallibile, sed potius, quia prudẽter existimamus, esse verax. Dices tertio: Actus fidei humanæ entitatiuè est naturalis; actus fidei infusæ est supernaturalis: sed repugnat quod eadẽ entitas sit naturalis, & supernaturalis: ergo & quod idẽ numero actus sit fidei humanæ, & infusæ. Respondeo primo: quod maior est falsa in secũda parte, vt dixi *in præsenti disputatione cap. 2. sect. 2.* Respondeo secundo, permissa maiori negando minorẽ, & est conforme *Scoto in quodlib. 17. §. Cõtra conclusionem, vers. Ad illud antecedẽs:* vbi naturalitatẽ, & su-

supernaturalitatē in actucōparat sicut perfectū ad perfectionem, vel sicut perficiēs ad perfectum.

264 Inquires. Iste actus erit fidei infusæ, vel acquisitæ? Respodet *Castillo n. 28.* quod formaliter est neutrius, eminēter verò vtriusque. Sed respōdeo, quod est dicē dus formaliter actus fidei infusę; quia motivum fidei humanę subordinatur motivo fidei diuinę.

265 Ex dictis facilè soluuntur aliqua dubiola, quæ in præsenti solent exagitari à Recentioribus. Primum est; vtrùm assensus fidei possit stare simul cum assensu Theologico? Et respondetur affirmatiuè cum *Felice diff. 5. & Castillo disp. 4. q. 2. part. 3. Vitig.* & omnibus Scotistis *ex Scot. in 3. dist. 24. §. Sed si loquamur.* Quæ conclusio intelligitur de facto, & probatur à Scoto ex *Aug. 14. de Trinitate cap. 1. quia Theologia est scientia, qua fides salubertimè gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur*: ergo simul compatiūtur. Et confirmatur: quia propositiones de fide sunt principia Theologiæ: imò, vt supra diximus, assensus cōclusionis Theologicæ potest esse simul fidei, & scientiæ subalternatæ, quæ est Theologiæ.

266 Dices: Assensus fidei nititur immediatè testimonio diuino, Theologię verò mediatè, sed idē obiectū nō potest pendere ab alio mediatè, & immediatè ab alio. ergo isti actus nō possunt simul esse de eodē obiecto. Respō deo primo negādo minorē, secū dū diuersas applicationes, & propositiones obiecti. Secundo respondeo negando maiorem: nā Theologia etiam immediatè dependet ex testimonio diuino.

267 Sed inquires: ex medio fidei, & Theologiæ potest vnus numero actus prodire? Negat Vrbina cū Lorca. Sed affirmat, vt nos *P. Felix diff. 5. in fin.* Et si objicias, se cōtradicere: quia *cap. 9. diff. 1.* tenet, assensum fidei nō esse discursivū, cuius oppositū videtur tenere hic: quia, vt ipse supponit, assensus Theologicus est circa cōclusionem deductam ex duabus de fide, vel ex vna de fide, & altera naturali lumine nota, & motivū assensus Theologici est connexio antecedētis cū consequenti, & extremorū cum medio; & sic motivū Theologię est discursivum. Respōdet Felix, quod, secūdū Augustinū, & Scotū, idē est obiectū motivū fidei, & Theologiæ. Sed contra: quia hoc impugnat in Puēte Hurtad. *Felix* loco citato *c. 9. diff. 1. §. Nobis dicendū*, in medio ergo incōsequenter loquutus est. Secūdum dubiolū est 2. Vtrum habitus fidei possit esse simul cum habitu luminis gloriæ, & cum habitu scientiæ abstractiuæ per proprias species. Et respōdeo affirmatiuè, vt tenēt cōmuniter Scotistæ, & Thomistæ, de quo infrà disp. sequenti.

268 In præsenti consequens erat; quod de necessitate, & præ-

cepto actus fidei ad salutem agemus: atque de exteriori confessione fidei: sed quia hoc spectat ad partē moralē huius tractatus, ideò de his disputabimus in secunda parte huius tractatus morali disp. vnic. Quare pro secūda disputatione dicta sufficiant.

DISPVTATIO TERTIA.
De habitu Fidei.

CAPVT I.
De existentia natura, & proprietatibus habitus Fidei infusæ.

Sectio. 1. *Vtrùm ad actum internum Fidei ponendus sit habitus Fidei infusus?*

1 AFfirmatiua conclusio est certa apud omnes Catholicos: quia à tēpore Concilij Vienensis est certum dari habitus fidei, spei, & charitatis infusos per se in iustificatione, vt definit *Tridē. sess. 6. c. 9.* Qui sunt principia ad actus supernaturales. Negare autem esse habitus, licèt no sit cōtra fidem, temerarium tamē foret contra omnes Theologos: Quoniā ista principia sunt qualitates non transeūtes, sed permanentes in potentijs animæ, per modū virtutis ad operandū simpliciter, & vt opportet. Vnde habitus iste ita poterit definiri: *Est qualitas supernaturalis permanens inclinans in assensum fidei: firmum, & infallibilem circa obiectum à Deo reuelatum.* Argumenta, quæ contra nostram conclusionem fieri possunt difficiliora, si quæ sunt, subtiliter soluit *Scot. in 3. dist. 23.*

2 Aliquæ hic exagitari solent ifiic ultates. Prima: an iste habitus sit tota ratio agēdi? Et respōdeo quod non: quia intellectus concausat actum fidei; vt dixi *opusculo de visione, & opusculo de Angelis,* & sequitur ex dictis *disp. 2. cap. 2. sect. 2.* Secūda difficultas est. Vtrùm sit causa partialis principalis? Et respondeo, quod *Scot.* pro vtraque parte est valdè probabilis *in prologo q. 5. & in 1. dist. 17.* sed communiter dicitur, esse causam partialem principalem. Vtrùm autem sit principalis, vel minus principalis, vtrumque videtur insinuare *Scot. in 1. dist. 17.* Tertia difficultas est. Vtrū possit suppleri à Deo iste habitus? Et respondeo affirmatiuè: primo: quia primus actus non causatur ab habitu, sed ab auxilio. Secundo: quia dependet in genere causæ efficientis; & sic potest poni actus à Deo sine habitu.

Sect. 2. *Vtrùm, præter istum habitum, detur aliud lumen supernaturale ad actum Fidei?*

3 RAtio dubitādi potest esse: quia in sciētia naturali lumen distinguitur ab habitu sciētię: ergo in cognitione per fidem lumē fidei distingui debet ab habitu fidei. Præterea, quia ad illuminānda obiecta corporalia, da-

datur lumen corporale: ergo ad illuminanda obiecta spiritualia supernaturalia datur aliud lumē spirituale, & supernaturale: aliàs habitus illuminaret obiecta fidei, & esset quodammodo reuelatio obiecti; & sic habitus se teneret ex parte obiecti. Vnde *Ægidius de beatitudine lib. 9. q. 2. art. 6. & Aragon 2. 2. q. 6. art. 6.* partē affirmatiuam difficultatis tenent.

4 Nostri *Felix cap. 10. diff. 2. & Castillo disp. 9. q. 2.* negant ex *Scoto in 3. dist. 23. §. Secundo de fide infusa, & dist. 25. q. 1. §. Sed dico currunt, versic. Ad actū autem fidei* Tenent *Suarez de Incarnatione, disp. 16. dub. 2. vbi Vazquez disp. 54. cap. 3.* Et probatur: quia posita reuelatione ex parte obiecti sufficit potentia cum habitu ad ad actum fidei: ergo præter habitum non est necessarium aliud lumen. Secundo: ad visionem beatificam præter habitum luminis gloriæ non est aliud necessarium. Tertio, quia hæreticus, apprehenso aliquo articulo, credit illi sine lumine infuso, solum quia Deus dicit: ergo & fidelis, vt distinguatur ab infideli, sufficit, quod habeat habitum infusum, quo eliciat actum, sine alio lumine distincto; amplector ergo istam sententiam.

5 Ad rationem autem dubitādi respondeo: quod ipsa potentia est sufficiens lumen naturale, & ipse habitus sufficiens est lumen, & aliud non requiritur: vnde nego consequentiam. Ad illud de lumine corporali respōdeo: quod loco eius correspōdet reuelatio, & sic cessat difficultas. Ad vltimum iam dixi *disp. 1. cap. 2. sect. 3.* Vnde Pater Felix nobiscum cogitur fateri, quod habitus se tenet ex parte obiecti.

Sectio. 3. *Qualis virtus sit habitus infusus Fidei?*

6 VIrtus communiter diuiditur in moralem, & intellectualē. Moralis dicitur, quæ versatur circa bonum honestū: & est habitus, qui reddit bonū habētem, & opus suum reddit bonum; ita *Arist. 2. Ethic. cap. 6. & 6. Ethi. cap. 1. 2. & 3.* intellectualis verò versatur circa verum, & non reddit bonum habentem. Secundo suppono; quod habitus fidei, siuè charitate formatus sit, siuè informis, propriè est virtus intellectualis. Ita *Sco. in 3. dist. 34. & 36. §. Quantum ad quartum artic. vers. Si quæratur*, & communiter tenet omnis Schola *Lorca 2. 2. q. 4. in expos. art. 5. Suar. disp. 7. sect. 1. Vazquez 1. part. tom. 1. disp. 5. cap. 4. Ægid. disp. 16. dub. 3. Torres disp. 40. dub. 1. & in Clemēt. de sum. Trin. & Fid. Cath. Clemens 5.* appellat habitū fidei virtutē.

7 Et probatur: quia vitium virtuti opponitur: sed infidelitas est vitium, & opponitur fidei: ergo fides est verè virtus. Aliàs non daretur præceptum de actu fidei: sed datur: ergo quia est

actus virtutis. Ratio autè à priori est: quia bonum intellectus est verum: sed habitus fidei inclinat circa verum: ergo est virtus. Patet consequentia; quia inclinando in verum, inclinat in bonum potentiæ intellectiuę rationalis: sed virtus est, quæ inclinat in bonum potentiæ rationalis: ergo habitus fidei est verè virtus.

8 Sed obijcit *Caiet. 2. 2. q. 4. art. 5. Durand. in 3. dist. 23. q. 6. ex Diuo Thom. 2. 2. q. 4. art. 5.* tenentes non esse propriè virtutem sine charitate. Primo sic: quia *Arist. 6. Ethic. cap. 4.* numerans virtutes intellectus, vel intellectuales, non meminit fidei: ergo. Respondeo quod Arist. nec habuit, nec cognouit fidem hanc. Secundo obijciunt ex *Arist. 7. Physicorum, textu 17.* virtus est dispositio perfecti ad optimum, sed fides non disponit ad cognitionem euidentem, quæ est optima, sed solum ad obscuram: ergo non est virtus. Respondeo: quod ly ad *optimum*, non debet intelligi superlatiuè, sed interpretatur ad valdè bonum, quale est actus fidei infusæ. Dices: perfectio charitatis est eiusdem ordinis cum perfectione fidei, & debetur fidei, magis quam alijs virtutibus moralibus: ergo habitus fidei carēs illa, est in suo genere imperfectus, & sic nō erit vera virtus secluſa charitate. Respondeo: quod charitas est perfectio extrinseca: & sic deficiente charitate, solùm deficit fidei perfectio extrinseca, quæ magis ad statum pertinet, quam ad rationem virtutis.

9 Hoc statuto circa difficultatem sectionis dico contra hæreticos nostri temporis: quod habitus fidei est vnus in specie infima in omnibus illum habētibus, & vna simplex qualitas, & non plures. Ita communis Catholicorum sententia, *Scotus 3. dist. 23. §. Secundo de fide infusa, & dist. 25. quæst. 2. §. Ad primum quæsitum*, sequitur *Suarez disp. 7. sect. 1.* Cuius ratio à priori est, quia obiectum eius est vnicum indiuisibile in specie, scilicet veracitas Dei, seu diuina authoritas, quæ est formale motiuum fidei, & specificatiuum eius.

10 Sed obijcies: quia *Scotus quæst. 3. prologi in 2. quæst* laterali ait: quod in scientijs vbi assignatur obiectum commune, non est vna simplex qualitas: ergo idem dicere debet de fide: & sic imputauit Aragon, Scoto. Respōdeo: quod Aragon falsè imponit Scoto, & illum non intellexit: nam in scientijs datur obiectum commune generica vnitate, cum quo stat, vt sint plures rationes formales motiuas specificas assentiendi: at verò in fide solum est vnica ratio formalis indiuisa motiua assentiendi.

11 Obijcies secundo: assensus fidei Angeli, & assensus fidei hominis sunt specie diuersi;

si: ergo habitus fidei Angeli, & hominis. Respondeo primo negando antecedēs: quia intellectus Angeli, & intellectus hominis in ratione principij intellectiui sūt eiusdem speciei formaliter; licet secundum materialem differentiam specie differant. Secundo respondeo permittendo antecedens, & negando consequentiam: quia idem habitus charitatis est principium actuum specie distinctorum, atque eadem albedo est in homine, & in equo.

12 Obijcies tertio: differentiæ tēporis, vt præsens præteritū, & futurum, specificant actus distinctos, vt patet in amore, desiderio, & fruitione: ergo fides circa mysteria præterita, & circa futura, & circa præsentia erit specie distincta. Respondeo: quod hoc solum probat de actibus, non verò de habitu: sed neque de actibus fidei est verum: quia differētiæ temporis in actibus voluntatis se habent, vt conditiones obiectiuæ ex parte motivi formalis, secundum quas diuerso modo tendit voluntas eadem, cum sit, circa obiectum: at verò in fide istę circunstantię, & temporis differentiæ se habent ex parte obiecti materialis: quia licèt mysterium sit futurum, præsens, aut præteritum eodem modo tēdimus circa illud propter authoritatem Dei reuelantis: legantur dicta *disp.* 1. *cap.* 1. *sect.* 1. & *disp.* 2. *cap.* 2. *sect.* 3.

13 Dices: obiectum formale fidei non est vnum specie, sed ex bonitate, & scientia Dei conflatur: ergo habitus fidei non est vnus specie, sed conflatus ex duplici inadæquata specie. Respōdeo: quod quodlibet illorum seorsim non potest specificare actum fidei, nec habitum, sed coniunctim, vt faciunt vnam diuinam authoritatem: & sic est vnum motivum formale fidei indiuisibiliter, & consequenter vnicus habitus. Dices, quod *August.* 13. *de Trinitate, cap.* 2. dicit, quod fides non est numero vna, sed genere. Respondeo: quod sumit genus pro specie infima secundū phrasim Scripturæ *Gen.* 1. vbi dicitur: *Lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*; id est, speciem suam.

Sectio 4. *Vtrùm primus actus Fidei eliciatur ab habitu isto?*

14 TRactatu de pœnitentia virtute latè diximus, loquendo de contritione, & similiter opusculo de pœnitentiæ Sacramento: breuiter tamen discurrēdo affirmant *Vazquez* 1. 2. *disp.* 211. *Medina, Torres, & Hurtado*, & quotquot primum charitatis actum putant elici ab habitu, vt sunt omnes, qui sub Sancto Thoma directè, vel curuè militant.

15 Anobis verò dicendum est; quod primus actus fidei non

procedit ab habitu: ita *Felix cap. 10. diff. 4. Castillo disp. 9. q. 4. ex Scot. in 4. dist. 14. q. 2. §. De secundo principali, vers. Pro primo modo, & dist. 15. quæst. 1.* sequuntur *Molina, Suarez 1. part. 2. de articul. cap. 16. & lib. 8. de gratia, cap. 11. & 12. Lorca 1. 2. tom. 2. disput. 38. Montesinos disp. 34. quæst. 4.* Probaturque 1. *ex Trident. sess. 6. & 7.* vbi primum actum fidei appellat dispositionem ad fidem, & dona, quæ in iustificatione infunduntur, sed dispositio non procedit à forma, cuius est dispositio, quia forma non est ante dispositionem: ergo. Omnia quæ respondent aduersarij sunt friuola, & soluta manēt locis citatis de pœnitentia, & refutata.

16 Obijcit prima opinio: Non implicat, quod in diuerso genere causæ, duæ sint adinuicem causæ: ergo licèt primus actus in genere causæ materialis, & dispositiuæ, sit causa saltim moralis habitus, ipse habitus in genere causæ efficientis poterit causare primum actum. Respōdeo: antecedens esse verum, solum loquendo de duobus generibus causæ, scilicet finalis, & efficientis; & aliquomodo inter causam formalem, & materialem: non verò inter causam materialem, & efficientem, & formalem, & efficientem. Dices: Actus, & habitus sunt simul in eodem instanti temporis: sed habitus habet virtutem effectricem respectu actus; non verò actus respectu habitus, neque est dispositio physica, sed tantum moralis: ergo causatur ab habitu. Respondeo: quod actus, licet sit solum causa moralis habitus, tamen ipse actus præcedere debet, vt intuitu ipsius Deus moueatur ad causandum physicè habitum: & sic actus non procedit ab habitu, sed vt inquit *Arausicanum Concilium, can. 25. & Trident. sess. 6. cap. 7. hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur.*

17 Circa præsens valdè displicet *nostro Felici, Pater Castillus*, eo quod *num. 7.* dicat: *Actum primum fidei, qui requiritur vt dispositio*, non requiri per se, quod sit supernaturalis, sed sufficere, vt sit naturalis, ex auxilio ordinis naturalis: meritò quidem displicet, quia contra Scotum, & falsissima est talis propositio, & contra omnes Theologos. Primo, quia aliàs esset dispositio ex natura rei ad iustificationem. Secundo: quia Concilia, maximè Tridentinum, decernunt cōtra hæreticos, dispositiones ad iustificationem esse ex gratia per Christum: imò Vazquez, qui auxilij gratiæ ordinis naturalis fuit assertor, nō audet dicere hoc de primo actu fidei; vt patet in 1. 2. *disput.* 186. & 187. Ratio autem *Scoti* cōtra Castillum est *in 2. dist. 9 quæst. 2. §. Contra quartum articulum*: quia ad formam supernaturalē, qualis est habitus fidei, no est ponen-

nenda dispositio ex natura rei, & ordinis naturalis: maximè cũ talis dispositio sit meritoria de congruo iustificationis.

18 Sed obijcit contra nos *Castillus, Scotum in 3. dist. 25. q. 2. §. Ideò dico, vers. Sed posita fide acquisita*, vbi solum requirit, quòd ponatur fides acquisita ad actũ fidei infusæ. Sed bona venia Castillo non intellexit Scotum; nã Scotus ibi nõ loquitur de primo actu fidei, qui est dispositio ad habitum infusum, sed loquitur de actu post infusionem habitus elicito: & intendit, quod non requiritur in voluntate alius habitus, sed sufficit habitus fidei in intellectu ad eliciendum actum; verba Scoti sunt clara: Dicit ergo sic: *Sed posita fide acquisita, credibili præsente potest intellectus per habitum infusum credere*: igitur Scotus non loquitur de primo actu, sed de subsequẽtibus ad habitum infusum.

19 Obijcit secundo Castillus: *Scotum in 4. dist. 14. q. 2. §. De secundo principali, vers. Ad huiusmodi intellectum*: vbi non requirit hanc dispositionem esse supernaturalem, sed ex naturalibus cum communi influentia. Respondeo: quòd neque hic intellexit Castillus Scotum. Quia per communem influentia intellexit Scotus auxilium ordinis supernaturalis sufficiens, vt latè diximus opusculo de pœnitentia virtute. Solũ potest excusari Castillus dicendo, quòd est mẽdacium, & error Typographi: nam adeò erratis, & mendis maximis scatent sui libri, quod suspicari possit, hanc suam conclusionem, & Scoti intelligentiam eius, numerandã fore inter typis errata, quare necessè est, vt in secunda impressione corrigatur.

20 Sed iterum obijcit. Nõ est necessarium, quod dispositio sit eiusdem ordinis cum forma: ergo. Antecedens probat, quia calor accidens disponit ad formã substantialem ignis: & Christus erat Deus & Homo, & fuit medium ad Redemptionem puri hominis: atque eius satisfactio fuit infinita pro actu finito puri hominis. Respondeo, quòd antecedens est falsum de facto: ad exemplum de calore respondeo; quòd licet diuersi prædicamenti sit à forma ignis, tamẽ est ordinis naturalis, sicut ignis. Ad secundum exemplũ respondeo; non esse ad propositum: quia illud factum fuit ex ordinatione Dei de potentia absoluta: nõ vero de facto. & iuxta modũ operandi communem. Addo, quòd in casu, quòd Deus acceptaret actum purè humanum, & naturalem, vt dispositionem ad iustificationẽ, ille actus, vt sic acceptatus, non est dicendus ordinis naturalis, sed supernaturalis ordinis, ad quem ordinem elevatur per acceptationem.

Se-

Sectio 5. *Vtrùm habitus fidei sit prior alijs virtutibus?*

21 DIco primo; quòd habitus fidei est prior prioritate perfectionis omnibus virtutibus moralibus. Ita omnes Theologi. Quia istæ sunt naturales in sententia Scoti, & Scotistarum, & aliorum. Secundo, quia habent pro obiecto aliquid creatum; iste verò habitus creatur immediatè à Deo, & est supernaturalis, & habet pro obiecto ipsam veracitatem diuinā.

22 Dico secundo. Eadem prioritate charitas est prior fide. Quia charitas est *vinculum perfectionis*. Ad *Corinth.* 3. Dices, infidelitas est pessimū vitium: ergo fides est optima virtus. Respondet *Scotus* 2. *dist.* 43. *quæst.* 1 §. *Respondeo*, negando antecedens; excedit tamen alia vitia, pro quanto destruit fundamentum salutis.

23 Dico tertio; non solū in esse moris, sed in esse physico, secundū hanc prioritate charitas est prior fide: ita *Scotus in* 4. *dist.* 49. quia dicitur ad *Cor.* 13. *Maior autem horum est charitas*; quæ verba in toto rigore sunt exponenda ex Augustino; quia non est manifesta contradictio. Residet enim charitas in voluntate, quæ perfectior est intellectu, vbi residet fides; atque ex morali perfectione eius sequitur etiam physica, & cognoscitur: si enim eius entitas perfectissimè vnit, perfectior arguitur esse, quam entitas fidei. *Caietan.* & *Ferrar.* tenent oppositū, sed eorū fundamenta sunt fragiliora.

24 Dico quarto. Quòd spes est etiam perfectior habitu fidei. Ita *Suar. disp.* 1. *sect.* 6. *Ægid. disput* 19. *dub.* 8. Quia versatur circa bonum, & residet in voluntate secundùm cōmunem sententiam: fides autē est circa verum, & residet in intellectu. Sed in esse morali dicit *Lorca* 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. oppositum. Quia spes habet firmitatem à fide, & secundùm quemdam Recentiorē Complutensem, residet in intellectu spes. Sed respondetur, quòd spes accipit à suo obiecto firmitatem, licèt præsuppositiuè requiratur actus fidei, sicut fides infusa supponit humanā, vt famulā. Dices: infidelitas est maius peccatum desperatione: igitur fides est perfectior virtus spe. Respondeo, nego antecedens ex suo genere.

25 Dico quinto, loquendo de priori durationis; quod ex ordinatione diuina de facto, in prima infusione, & in primo fieri horum trium habituum supernaturalium, nullus antecedit tempore alterum, sed omnes simul tempore infundūtur semper. Ita Scotistæ, *Felix diff.* 5. *Castillo q.* 5. *Ex Scoto in* 3. *dist.* 25. *q.* 1. §. *Dico primo*, & *distinct.* 36.

§.

§. *Quantum ad quartum, vers. Respondeo*; sequuntur *Liquetus, Tartaretus, Pitig. & Vega 2. in Trid. cap. 29.* docent *D. BB. distinct. 23. in 3. & in 4. dist. 14. art. 2. quæst. 3.* vbi *Durand. Ricard. OKam, Gabriel, & Almain. & D. Thom. distinct. 23. q. 2. art. 5. in 3. sentent. & 1. 2. q. 62. art. 4.* & iudicat *Aragon* probabile.

26 Probatur primo: Quia *Concil. Vienens. in Clement. 1. de Sum. Trinit.* doctrinaliter dicit; quòd in Baptismo infunduntur habitus gratię, & donorum, vbi vniuersaliter loquitur Concilium: ergo hoc est verũ, etiã si in adulto, qui baptizatur, præcesserit actus fidei ex auxilio, qui adultus, si ponat obicem ad recipiẽdam gratiam, & charitatem, nõ habebit habitum fidei. Et confirmatur ex *Trident. sess. 6. cap. 2.* dicente: *In ipsa iustificatione hæc omnia simul accipit homo, fidem, spem, & charitatem.*

27 Respondebis: quòd Cõcilia loquuntur generaliter, & vniuersaliter, quantũ est ex parte baptismi præcisè, non verò si alias habitus fidei præsupponatur infusus, vel si suscipiens ponat obicem ad gratiam; quia tunc non dabit habitum charitatis, dabit tamen habitum fidei: alias incongruè Tridentin. citatum contra hæreticos diceret: *Fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cũ Christo, neque Corporis eius vivum membrum efficitur*: ergo supponit *Tridentin.* fidem infusam prius tempore sine charitate.

28 Sed contra insurgunt N. Felix; quòd hoc est, extorquere sensum Conciliorum: quia vniuersaliter loquuntur: *Tridẽt.* autem, inquit Felix, loquitur ibi de actibus, non verò de habitibus: quia hæretici dicebant, nos iustificari per actum fidei. Verum huius impugnationẽ non magnifacio: nam penitus non quiesco ei. Castillo intelligit illã authoritatẽ Concilij de habitibus, & pro se adducit, sed non placet; nam mentem Concilij videtur extorquere.

29 Secundo ergo probatur conclusio ratione Scoti. Quia quãdo Deus sanat perfecto modo, integrè, & perfectè sanat, ex *Deuteron. 32. & Aug. de vera, & falsa pœnitent. cap. 9.* Vnde Christus D. nullum sanauit in corpore, quin sanauerit in anima: ergo Deus nullum sanabit in intellectu per fidem, quin in voluntate sanet per charitatem.

30 Sed *Caiet. Valencia, Medin. Bañez, Suarez 3. part. tom. 3. disput. 28. sect. 3. Vazquez 1. 2. disput. 203. cap. 9. Lorca disput. 22.* & plures alij tenent; quòd quando actus fidei primus elicitur ante actum spei, & charitatis, tunc prius tempore infunditur habitus fidei, quam spes, & charitas: & obijciunt contra primam sententiam, quam prop-

propter Scotum, & Scotistas sequimur.

31 Probant ergo primo sic. Fides conseruatur in facto esse sine charitate: ergo in fieri potest tempore præcedere spem, & charitatem: quia non est maior ratio connexionis earum in facto esse, quã in fieri, sed in facto esse, fides potest esse sine illis: ergo etiã in primo fieri, & in prima earum infusione; maximè si ponatur ex parte suscipientis obex, vt in fictè baptizato.

32 Respõdent Scotistæ: quòd in hoc relucet bonitas, & misericordia Dei, quod quãdo sanat, integrè sanat, & quando punit, non omnino punit; nisi peccatũ sit oppositum virtuti Sed propter istam responsionem sumit vires iactum argumentũ. Quãdo punit, per vos, non omnino punit: ergo quãdo suscipitur baptismus, non omnino negat virtutes infusas, ad quas homo non ponit obicem per peccatum immediatè oppositũ. Forsan respondebit Scotista; quòd tunc nõ tam punire intendit, quàm sanare. Sed cõtra: quia maior misericordia est, & magis relucet sanitas, quando totũ non potest sanari, sanare aliquam partem, quam omnes partes sine sanitate relinquere. Responderi potest: quòd Dei opera sunt perfecta in fieri; & sic in primo fieri omnia debent infundi: in destructione autẽ fit per partes: vel quære aliam aptiorem solutionem.

33 Obijcies secundo. Augustinus de Fide, & operibus appellat Christianum, & fidelem Cathecumenum accedentem cum mortali ad baptismum: ergo accipit fidem sine spe, & charitate. Respondetur: appellari Christianum secundùm forum exterius, & quia accipit caracterem. Dices; ad vltimam dispositionem ad gratiam infunditur charitas: ergo ad vltimam dispositionem ad fidem fides. Respondetur, quòd istæ dispositiones solum sunt tales ex ordinatione Dei: & sic ex ordinatione Dei, si non ponatur vltima dispositio ad charitatem, in primo fieri non infunditur fides.

34 Hic oritur difficultas: vtrũ ordine causalitatis ex natura rei fides debeat præcedere spem, & charitatem. Affirmatiuè respõdet *Suarez* cum alijs *tract. de Spe, disput. 1. sect. 7.* tenet *Lorca 2. 2. quæst. 17. ad articulum septimum, & octauum, & Torres disput. 41. dub. 8.*

35 Sed à nobis dicendũ venit: quòd licet de facto ordine causalitatis ex ordinatione diuina fides præcedat spem, & charitatem: quia *sine fide*, inquit *Paul. impossibile est placere Deo.* ex natura tamen rei non repugnat, quod per potentiam absolutã, charitas, & spes præcedant ordine causalitatis, seu in causando

suos

suos actus, ipsam fidem. Ita Scotistæ, ex alijs Ægidius.

36 Probatur primo. Quia ex natura rei licet nihil sit volitū, quin præcognitum; tamen ad volitum supernaturaliter, sufficit præcognitum per scientiam infusam, vel per fidem diuinam acquisitam: quia vt diximus *disput. 2. cap. 2 sect. 6.* circa obiectū supernaturale potest esse actus merè naturalis, & è contra: ergo. Prætereà: quia, vt spes sit firma, sufficit quod proponatur obiectum per scientiam per se infusam, vel per fidem acquisitā; quæ cognitiones habent sufficienter certitudinem obiectiuam, vt spes firma sit: per quod patet ad argumenta oppositæ opinionis.

37 Sed obijcies contra id, in quo conuenimus cum oppositā opinione. Fides potest esse obiectum spei: igitur fides nō est ante spem, adhuc de facto. Respondeo; quòd augmentū fidei potest sperari, non verò simpliciter fides, loquendo de facto. Dices: quòd Cassiodorus appellat spem introitum fidei, & initium salutis: ergo fides de facto non est prior ordine causalitatis. Respōdeo ex *D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 7. ad 1.* quod Cassiodorus nomine fidei intelligit rem creditam: ac si diceret per spem intramus ad videndum, quod credimus: ita etiam respondet Pater Felix.

Sectio 6. *Qualiter habitus fidei augeatur?*

38 DVplex difficultas potest esse in præsenti difficultate: vna est circa augmentum extensiuum, & altera circa intensiuum augmentū. Loquendo de augmento extēsiuo, quæstio videtur de nomine magis, quam de re: nam cum idem indiuisibilis habitus, si omnia obiecta fidei proponātur, sufficiat, ad explicitè credendum eis, & in id inclinet, propriè habitus nō augetur extensiuè in se: quia in se, in quacumque intensione sit, omnimodam habet extensionem: quia habet inclinationem circa omnia obiecta. Quòd autem vnus credat multa obiecta explicitè, & alius non; hoc non ponit extensionem in habitu, sed in actu: nam in infusione cuiuscumq; habitus remissi, sunt reuelata omnia credibilia habitualiter.

39 Dices. Habitus acquisiti extenduntur ad extensionē obiectorū materialium: ergo, & fides. Respondetur: quòd habitus acquisiti dependent à suis actibus, & obiectis: prætereà; quia habent plura media formalia, non verò fides, quæ infunditur, non ad facilius, sed ad simpliciter operandum.

40 Circa augmentum autē intensiuum, suppono ex primo

de

de generatione cum Scoto, intensionē fieri per additionē gradus ad gradum. Suppono item, quòd habitus fidei non augetur physicè per actus, sed tantū moraliter; & impetratoriè: quoniā habitus creatur; & sic physicè solum dependet à Deo.

41 Hoc supposito: hæretici dicentes, nos æqualiter esse iustos per fidem, dicunt, fidem nō augeri intensiuè. Sed cum fide Catholica teneo: fidem intensiuè augeri. Ita omnes Catholici. Nam *Matth.* 14. dicit Christus D. ad Petrum: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* ergo si non dubitaret, maiorem, & intensiorem fidem haberet, & *cap.* 17. dicitur: *Domine adauge nobis fidem.* Et *cap.* 15. *Magna est fides tua.* Et ad *Roman.* 12. *Vnicuique sicut diuisit mensuram fidei.* Vnde maximo fundamēto *Oratione Dom.* 13 *post Pentecost.* Ecclesia Sancta orat, & petit: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum*: videatur *Trident. sess.* 6. *cap.* 10.

42 Sed quæres. Quibus actibus augeatur? Et suppono, vt latè dixi *Opusculo de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Pœnitentia Sacramento, & Opusc. de Eucharist.* quod per Sacramenta augetur ex opere operato: quare hic agimus de augmento ex opere operantis, quod fit per actus.

43 Circa quod dico primo breuissimè: quòd habitus fidei intenditur meritoriè, & moraliter ex opere operātis per actus fidei; sed in homine peccatore augetur de congruo, & in homine iusto de codigno. Ita omnes, in quo non est amplius immorandum.

44 Dico secundo: quòd istud augmentum datur statim. Quia post animæ separationem euacuatur fides, & sic nō est dicendū sicut de augmento gratiæ diximus *Opusc. de Pœnitentia Sacramento*, dari in instanti separationis animæ; licet probabiliter loquutus fui.

45 Dico tertio: quòd habitus fidei intenditur meritoriè, etiam per actus aliarum virtutum. Ita Scotistæ, *Felix, Pitig. 3. distinct. 23. art.* 11. Ex alijs *Puente Hurt. disp.* 61. *sect.* 2. *Coninch. disput.* 6. *dub.* 4. *& disput.* 17. *dub.* 6. tenet etiam *Suar. lib.* 9. *de Grat. cap.* 4. *& Cardin. de Lugo disp.* 16. *sect.* 4. *à n.* 79. Et probatur ex *Trident.* dicēte: quòd homo crescit in accepta iustitia per omne opus meritorium: ergo. Patet consequentia; quia *cap.* 7. iustitia sumitur à *Tridentin.* pro infusione trium virtutū supernaturalium, & clarius *cap.* 10. vb ait: *Hoc iustitiæ incrementum petit Ecclesia, dum orat: Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentū*: sed hoc iustitiæ incrementum, idem Concilium decernit, crescere per mortificationem, & per alia opera: ergo, &c.

Pro-

46 Probatur secundo contra Thomistas. Quia, secundū eos, fides est passio charitatis, & gratiæ: ergo ad proportionem augmenti gratiæ augetur fides, quæ passio est gratiæ: at gratia augetur per opera aliarum virtutum à fide: ergo simili modo augetur fides. Confirmatur tandem; quia in susceptione cuiusuis Sacramenti non solum spes, & charitas, sed etiam fides ex opere operato augetur: igitur etiam ex opere operantis per quodcumque meritum; quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

47 Sed Pater *Vazquez in* 1.2. *disp.* 220. *cap.* 6. *& Lorca* 2.2. *q.* 2. *ad art.* 4. oppositum tenent; & obijciunt. Quia fides, & spes dātur sine gratia: ergo non sunt connexæ cum illa: ergo non augentur proportionatè. Respondeo; sufficere, gratiam sine illis non posse esse. Obijcit Torres. Quouis actu meritorio cōstituitur iustus magis iustus, sed non magis fidelis sine actu fidei: ergo. Respondeo, distinguo minorem; non magis fidelis habitualiter formaliter, nego; actualiter formaliter efficienter, concedo; vnde nego consequentiam.

48 Obijciunt alij. Habitus aliarum virtutum non augentur nisi per actus earum; ergo neque habitus fidei. Respondeo, esse discrimen; quòd habitus aliarum virtutum non sunt per se infusi, & independentes physicè à suis actibus, sed sunt acquisiti dependenter physicè ab actibus. N. Castillo vtramque opinionem satis probabilem reputat, & respondet ad argumenta pro nostra sententia facta, & facta pro opposita opinione. Sed meo videri inconsequēter procedit ad dicta *disp.* 9. *q.* 5. *n.* 7. vbi mordicus defendit, & affirmat, nunquam infundi de nouo fidē sine spe, & charitate, & ècontra; ex eo quia non sit maior ratio vnius, quam alterius.

Sectio 7. *Per quale peccatum, & qualiter destruatur habitus fidei infusus?*

49 SVppono cum omniū Catholicorum sententia cōtra *Bañez* 2. 2. *q.* 4. *art.* 1. quòd fides de facto non potest minui; aliàs error Lutheri dicentis, fidem quolibet peccato mortali destrui, sumeret vires, neque esset per quod fidelis distingueretur ab infideli: quia ex sententia Bañez sequitur, quòd in infideli sit habitus fidei; quòd Catholici detestantur. Infidelitas enim venialis non minuit fidem, sicut nec peccatum veniale gratiam.

50 Suppono secundo. Quòd non per quodcumque peccatū destruitur fides, sed per mortale, quod sit peccatum infidelitatis,

&

& hæresis, quoquis pertinaciter, & ex animo se opponit authoritati Ecclesiæ. Ita omnes Scholastici. Per infidelitatē enim sine pertinatia cōmissam, adhuc ex ignorantia vincibili non destruitur fides, vt multorum sententia fert.

51 Dices: ergo nunc ferè omnes hæretici habent fidem: quia ferè omnes ex ignorantia persistunt in suos errores. Respondeo: quòd cum in baptismo simul infunduntur tres istæ virtutes, & nulla sine alia, sicut non recipiunt gratiam, nec charitatem, quia cū fictione recipiunt, sic nec fidem. Secundo respondeo: quòd pertinaciter persistunt in erroribus; quia se opponunt authoritati Ecclesiæ Catholicæ, & nollunt ei acquiescere.

52 Hoc supposito, tota difficultas versatur circa secundū sectionis. Nam *Vazquez* 1. 2. *disp.* 91. *cap.* 4. & quotquot, peccatum, & gratiam ex natura rei physicè opponi, dicunt, similiter de peccato hæresis, & fide philosophantur cum *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 10. Differunt inter se, quod alij dicunt in genere causæ formalis; alij verò in genere causæ efficientis opponi.

53 Sed nobis dicendum est, moraliter, & demeritoriè tantū opponi, non verò ex natura rei, & physicè. Ita Scotistæ cum *Scoto in* 3. *dist.* 23. *§. Ad primum principale.* Ex alijs *Suar. disp.* 7 *sect.* 4. *Coninch. disp.* 18. *dub.* 4. *Lorca disput.* 22. 1. 2. *Becan. cap.* 11. *q.* 3. *Puente Hurtado disp.* 60. *sect.* 2. & *Hurt. Complutensis disp.* 5. *diff.* 9.

54 Et probatur primo: quia habitus creatur: ergo desinit esse per anihilationem: ergo sicut nihil physicum potest illum causare, nihil physicè increatis potest destruere illum. Secundo: quia infidelitatis peccatum, & hæresis solum habet oppositionem cum actu fidei, non verò cū habitu. Tertio: quia aliàs per infidelitatem indeliberatā, vel non pertinacem non maneret fides; cuius oppositum fatentur aduersarij: videantur Authores relati, & *Lugo disp.* 17. *sect.* 5. *à num.* 80. videaturque *sect.* 4. *à num.* 62. vbi nobiscum consentit oppositionem fidei cum peccato hæresis non esse ex natura rei, sed moraliter, & demeritoriè: quamuis controuersiam de vocibus, non merito hanc controuersiam, appellet.

55 Sed obijcies. Ergo odium Dei, & desperatio: atque quodlibet peccatum mortale destruit fidem. Quia ista peccata opponuntur demeritoriè illi: ergo, quia ex natura rei infidelitatis peccatum opponitur cum fide, destruitur physicè fides. Respondeo; quòd actus infidelitatis opponitur physicè cum actu fidei circa idem obiectum; non verò cū quouis alio actu, & sic habet ma-

maius fundamentum, vt Deus ordinet, quod destruatur habitus fidei demeritoriè per hæresim, quam per aliud peccatum: nam cum infidelitate sine pertinatia stat habitus fidei. Dices: ergo hæreticus potest dici fidelis. Patet; quia posita hæresi posset permanere fidei habitus. Respondeo; posse dici fidelem habitualiter; & esset hæreticus actualiter, sed absolutè esset infidelis; nam malum ex quocumque defectu.

56 Dices: infidelitas destruit obiectum formale fidei physicè: ergo similiter habitum. Respondeo primo negando antecedens: aliud enim est, quod infidelitas non habeat pro obiecto formali obiectum formale fidei; aliud est, quod obiectum formale fidei destruatur. Secundo respondeo, permittendo antecedens, & nego consequentiam; quia habitus potest conseruari sine obiecto, vt etiam fatentur Thomistæ, saltim propter ornatum. Sed inquires: in quo genere expellat infidelitas fidem? Respondeo; in genere causæ efficientis.

*
*****
****
*****
*

CAPVT II.

De subiecto habitus fidei remoto.

Sectio 1. *Vtrùm in viatoribus Angelis fuerit habitus fidei?*

57 SVppono, ex *Opusculo de Angelis*; Angelos nō fuisse conditos in supernaturali beatitudine: sed per instantia, subsequentia boni meruerunt illam perseuerando in gratia, & mali peccando demeruerunt illā. Vnde Angeli fuerunt viatores. Hoc supposito *Durand. dist. 23. q. 9. Gabriel quæst. 2. & 3.* negant Angelos habuisse fidem. Insinuant *D. BB. Alensis, Albert. Magn. Hugo de Sancto Victore,* & videtur probabile in *Scoto,* ponente speciem impressam quidditatiuam perfectam Trinitatis in Angelis.

58 Sed affirmatiua sententia est nobis tenenda cum Scotistis, *P. Felice cap. 11. dub. 1. Castillo disp. 10. q. 1. part. 1. ex Scoto in 3. dist. 25. q. 1. §. De primo dico. Ex Diuo Thom. 2. 2. q. 5. art. 1. vbi Bañez, Aragon, Lorca, Granados, Ægid. disput. 17. num. 16. vterque Hurtado, Torres disp. 43. dub. 2.* & *Lugo disput. 17. sect. 1.* referens varias censuras Authorum à *num. 1.* contra oppositam sententiam. Nam aliqui appellant sententiam negātem temerariam,

alij falsam, & omnino improbandam, sed *Hurtado Salmanticensis disp. 59. sect. 1.* talem sententiam, dicit non esse improbabilem.

59 Ratio est mihi (omissis alijs inefficacibus, quas referunt, & simul reijciunt *Suarez lib. 5. de Angelis cap. 1. num. 15.*) quia in ordine iustificationis eodē modo debemus loqui de Angelis, ac de hominibus, sed homines in via per fidem ambulant: ergo Angeli: cui consonare videtur illud *Apocalips. 21. vers. 17. Mensura hominis, quæ est Angeli.* Præterea, quia dicit Scriptura, quòd est impossibile placere Deo sine fide: quare *Accedentem ad Deum*, inquit Paul. *oportet credere*; aliàs non est verum, *quòd Dæmones credunt*, vt inquit *Iacob. in Epistol. Cathol.* quod licet non oriatur ex habitu: tamen quando Dæmones erant in gratiæ statu ex habitu credebant; ergo in via fuit fides in Angelis circa mysteria Trinitatis, Incarnationis, & circa Deum, vt Remuneratorē, & Glorificatorem, &c.

60 Sed obijcies: Angeli habuerunt speciē impressā mysterij Trinitatis quidditatiuā perfectam, & euidentiam physicam in attestante de hoc mysterio, & de alijs: ergo nō fuit fides in eis. Respondent Felix, & Castillo dicentes Angelos habuisse fidē, & concedentes antecedens, & aliàs negantes assensus fidei cōponi cum euidentia physica in attestante orta ex specie impressa relata. Lugo respondet; Angelum non habuisse euidentiam in attestante ex specie prædicta. Sed nos tenentes, quod fides cōpatitur cum scientia abstractiua per proprias species, vt diximus *disp. 2. cap. 3. sect. 5.* concedimus antecedens, & negamus consequentiam.

Sectio 2. *Vtrùm Adamus habuerit fidem in statu innocentiæ?*

61 SVppono quòd Adam ante lapsum habuit gratiā, & iustitiam sanctificantem. Ita *Trident. sess. 5. can. 1.* Vtrùm autē illam meruerit, vel cōditus fuerit cum illa, nō est omnino certum, sed pro vtraque parte opinatur. *Magister igitur in 3. dist. 23. Alens. quæst. 68. memb. 8.* & alij pro prima opinione supra relati *in 1. sect.* negant sicut in Angelis; à quo non videtur alienus *Hurt.* citatus. Sed à nobis affirmatiuè tenendū est cū Authoribus pro nostra opinione supra citatis: & potiori ratione currunt rationes ibi allatæ pro Angelis de hominibus adhuc in statu innocentiæ.

62 Et confirmatur: quia dicit *Ambros. lib. 5. Epist. 33.* de Adamo perdidisse fidem: ergo. Secundo confirmatur; quia *Michael Vaius* dixit: *Absurdum est eorum*

eorum sententia, qui dicunt ab initio quodam dono supernaturali, & gratuito, super conditionē naturæ fuisse exaltatum, vt Fide, Spe, & Charitate coleret Deum supernaturaliter: sed ista propositio damnatur à *Gregor. XIII. & Pio V.* per Bullam: ergo.

63 Sed objicies: in illo statu felicissimo incōgruum erat ponere cognitionē obscurā, ergo non erat fides. Respondeo, admisso antecedenti, nego consequentiam; quia obscuritas sufficiens ad fidem est, quam negat visio beata, clara, & intuitiua, non verò, quam negat, quælibet alia cognitio perfectissima infra intuitiuam.

Sectio 3. *Vtrùm in Beatis sit habitus Fidei, vel actus Fidei infusæ?*

64 PRima opinio tenet absolutè in Beatis permanere habitum fidei; ita *Durād. dist. 31. quæst. 3. & 4. & Aragon.* Secunda sententia tenet, quod manet fides circa obiecta, quæ neque per se, neque concomitanter pertinent ad beatitudinē, sed omnino sunt extra ipsam, v. g. quòd Mardochæus fuerit honoratus, quòd Amā fuerit suspensus, quòd canis Tobię habuerit caudā, &c. circa alia verò obiecta, quæ per se, vel concomitanter pertinent ad beatitudine non mansit. Ita Scotistæ *Felix diff. 3. & Castillo part. 3.* citantque *Scotum in 3. distinct. 31. §. Respondeo.*

65 Tertia verò sententia tenet absolutè; quòd in Patria non manet fides: ita *D. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 3. & 5. & 2. 2. quæst. 5. art. 2.* vbi eius sectatores. Tenet *Lorca disput. 15. Torres, Ægidius, & Hurtad. Complut. disput. 7. diff. 3.*

66 Fundamentum primæ sententiæ est authoritas *Irenæi 2. contra hæreses cap. 49. & lib. 4. cap. 45. Tertul. de Pœnitentia cap. 12.* Secundo: quia in Patria manet pia affectio ad credendū: ergo, & fides. Tertio: quia visio, & habitus fidei non pugnant inter se: ergo. Quarto: quia licet Beatis appareat intuitiuè obiectum, tamen non apparet eis intuitiuè, incomprehensibile esse: ergo credunt esse incomprehensibile. Quinto: nam vnus Beatus intensius videt Deum, quam alius: ergo potest credere suam visionem, potuisse esse intensiorem.

67 Respondent sectatores secundæ opinionis: quòd Patres sunt exponendi de fide circa obiecta, quæ nec per se, nec concomitanter pertinent ad beatitudinem, non verò de obiectis quę per se, vel concomitanter pertinent ad beatitudinem: & eodē modo cōcedunt, piam affectionem in Beatis manere respectu eorum, quę per se, vel concomitanter, nō pertinent ad beatitudinem. Ad tertium concedunt, habitum fidei non pugnare cum

visione, tamen actus fidei, & visio, circa idem obiectum pugnant: & sic manet in Beatis fides respectu eorũ quę non videntur, non verò respectu eorũ, quæ videntur. Ad quartum, & quintum nõ video quid respõdeant.

68 Fundamentum secundę opinionis est. Primo. Quia aliqui Patres ponunt manere fidẽ, spem, & charitatem, vt supra relati, & maximè *Augustin. lib. 83. quæst.* 448. vbi ait: Quædam sunt credibilia, quæ nunquam sciuntur, sed tantum creduntur sicut historiæ. Respondent Authores tertiæ opinionis; quòd Augustin. loquitur in statu viæ, non verò Patriæ, vbi Beati cognoscunt omnia intuitiuè perfectiori modo, quam sunt in se. Ad alios Patres respondetur loqui de fide, spe, & charitate obiectiuè, non verò formaliter de habitu, aut actu fidei. Secundum fundamentum est; quia fides, & visio circa diuersa obiecta non se excludunt, sed in patria aliqua obiecta non videntur: ergo circa illa datur fides. Respondent Authores tertiæ opinionis, negando minorem: quia visione beatifica, perfectiori modo, quã sunt in se, Beatus videt omnia, quæ cognoscit. Tertium fundamentum est. In via Christus D. habuit visionem beatificam, & lumen gloriæ: ergo etiam in Patria, potest esse fides. Respondetur; quòd Christus non habuit fidem, & si hoc probaret, esset argumentum optimum.

69 Fundamentum autem tertiæ opinionis est ex *Scoto in 3. dist. 31. §. Circa istam, vers. Contra, ex 1. ad Corinth. 13. Charitas nunquam excidit*: ergo fides in Patria excidit. Respõdebunt Authores secundæ opinionis distinguẽdo consequens: excidit quantum ad obiecta per se, vel concomitanter pertinentia ad beatitudinem, concedo; quantum ad sic non pertinentia, nego. Simili modo respondent ad illud eius loci: *Cum venerit quod perfectum est, euaquabitur, quod ex parte est*: & illud *2. ad Corinth. 5. Dum sumus in corpore ambulamus per fidem, & non per speciem.*

70 Sed ego contra obijcio, ex *ad Hebreos 11. Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; sed in beatis non est spes de illis obiectis. Insuperque, illa obiecta, de quibus admittunt Authores secundæ opinionis fidem, videntur cognitione clara, & euidentimaiori euidentia, quam scientia propriè dicta: ergo secunda, & prima opinio falsæ sunt, & contra Paulum ac definitionem fidei.

71 Sed responderi potest; quòd ad rationem fidei sufficit, vt sit rerum sperandarum remotè argumentum. In nostra verò sententia, quæ solum euidentiam intuitiuam opponit fi-

fidei (vt supra manet dictum *disput.* 2.) parum obstat, quod illa obiecta cognoscantur euidenter ; quia formaliter non cognoscuntur, ita euidenter, vt videantur intuitiuè, secundùm esse reale, vt præsentia facialiter: & sic possunt credi: & tunc eadē cognitio videtur visio, & assensus fidei; sicut cognitio albi, est visio albedinis, & assensus fidei humanæ circa subiectum, quod sit huius, vel illius substantiæ.

72 Vnde videtur, quòd Scotus componit rationem formalem visionis cum ratione fidei in eodem actu. Quia secundùm *Scotum distinct.* 31. *§. Ad primum, vers. Alia sunt.* De talibus obiectis potest esse fides, & concedi. Et alibi dicit, quòd eadem visione beatus videt essentiam diuinam, & alia, inter quæ sunt ista obiecta. Aliter potest probari, dari habitum fidei in patria; ponendo lumen gloriæ indistinctum ab habitu fidei. Quia sicut habitus spei inclinat circa absens, & præsens: cur habitus fidei non inclinabit ad actum circa obiectum absens, & sic dicetur fides, & circa obiectum præsens, & sic dicetur lumen gloriæ? Videatur *Scot. distinct.* 31. *§. Respondeo*, per totum.

Sectio 4. *Vtrùm in Dæmonibus, & damnatis manserit fides?*

73 IN Dæmonibus non manere fidem tenet communis sententia; & similiter loquēdo de damnatis. Ita *Sanct. Thom.* 2. 2. *q.* 5. *art.* 2. *vbi Caiet. Bañez, Lorca disp.* 3. *Suar. disp.* 6. *sect.* 9. *& disp.* 7 *sect.* 5. *Ægid. disput.* 17. *Hurtad. & ante hos N. Pitig. disput.* 23. *art.* 17. *Lugo disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 8.

74 Probaturque primo (cōtra *Durand. Magistrum Salmeron, Valenciam*, & alios, oppositum tenentes, quòd periculosum in fide, & errori proximum, & temerarium aliqui censent, licet *Hurtado disput.* 59. *sect.* 2. *& Lorca disput.* 30. *num.* 4. ab omni nota liberent) nam *Dionys. cap.* 4. *de diuinis nominibus*, docet: *Damnatos carere omnibus diuinis bonis.* Et *August. cap.* 2. *de Ciuitate*, ait: *Dæmones non cognoscere Christum lumine fidei, sed efficatia signorum.* Etenim fides datur à Deo, vt sit fundamentum, & radix iustificationis, & vt argumentum rerum sperandarum, sed in inferno nulla est redemptio, loquendo de existentibus ibi absolutè secundùm decretū absolutum damnationis æternę, quia nō sunt capaces iustificationis, & spei: ergo in illis nō est fides supernaturalis infusa.

Est enim ille status summæ miseriæ, quod non foret, si habitū fidei infusum haberent: quia habitus fidei ingreditur iustificationis integritatem.

75 Sed contra nostram cōmunem conclusionē obijciunt *Durand. in 3. dist. 13. quæst. 9.* qui oppositam tenet, & tribuitur *Salmeroni*, *& Valencia* iudicat probabilem; citatur *N. Alensis*, sed non credo: habet verò *Glossa rubrica de Summa Trinit.* Primo sic; quia fides nō destruitur physicè, sed tantum moraliter, & hoc per infidelitatis peccatum pertinacia cōmissum, sed Dæmones in via, & multi damnati non commiserunt infidelitatis, seu hæresis peccatum: ergo manet in illis fides, quam in via habuerunt. Respondeo (quidquid sit; vtrùm Dæmones peccauerunt peccato hæresis? De quo dixi affirmatiuè *Opuscul. de Angelis* cum Suario) quod ratione status aufertur à Deo physicè per suspensionem cocursus omne supernaturale donum: nam sunt in summæ miseriæ statu, & in peccato finalis impœnitentiæ, per quod contraxerunt meritum formale, seu strictissimum iustitiæ debitum carendi talibus donis.

76 Sed dices; quòd in damnatis Sacerdotibus manet caracter. Respondeo (admisso hoc, de quo dixi *Opusculo de Sacramentis in genere*) esse discrimen, quòd fides est initium operis boni cōducentis ad vitam æternam supernaturalis: at verò caracter est mera relatio, & signū, quod tunc deseruiret in contumeliam, potius quam in decorem.

77 Obijciunt secundo. Eo probat *Sanctus Iacobus in sua Epistol. cap. 2.* quòd fides non sufficit ad iustificationem contra hæreticos; quia *etiam Dæmones credunt, & contremiscunt*: igitur in Dæmonijs manet fides eiusdē speciei cum nostra infusa; aliàs inutile foret argumentum Apostoli. Et confirmatur; quia multi Patres, maximè *Aug. serm. 61. de verbis D.* fidem Dæmonum comparat cum fide hominum existentium in peccato: at istorum fides est infusa: ergo etiam fides Dæmonum.

78 Variè respondent ad hoc argumentum Doctores: videantur apud *Torres disput. 43. dub. 3.* nam multis omissis, placet dicere; quod hæretici non curabant, imò non admittebant habitum supernaturalem infusum fidei; quia viribus tantum naturæ dicebant homines iustificari per credulitatem mysteriorum. Vnde optimè Apostolus Iacob. in sua Canonica arguit contra hæreticos, non sufficere fidem ad iustitiam: nam Dæmones fidem eiusdem ordinis cum ea, quam ponunt hæretici, habent, & non sunt iusti Dæmones.

Ad

Ad Sanctos Patres respondeo, comparationem esse cum fide peccatorum quantum ad meritum; quia sine charitate fides mortua est, & sic non sufficit ad iustificationem: & hoc solum intendunt Sancti Patres.

79 Obijcies tandem; quòd *Sanct. Thom. quæst. 18. art. 3. ad 2.* dicit; quòd spes non manet in damnatis, & fides manet. Respondetur in gratiâ Sancti Thomæ, quòd solum vult, quòd spes nullo modo manet, nec infusa, nec naturalis; atverò fides naturalis manet, sed non supernaturalis.

Sectio 5. *Vtrùm in hæreticis sit fides infusa?*

80 SVppono: hæresim, per quam homo dicitur hæreticus, nihil aliud esse, quam error pertinax contra fidem, siuè Catholicam, siuè priuatam, vt aliqui existimant. Hoc posito, *Durand.* censet probabile esse, manere fidei habitum in hæreticis: ita *in 3. distinct. 23. Hurtado Complut. disput. 7. diff. 5.* ait, non manere habitum, posse tamen actum esse; & pro se citat *Ægidium, Granad. & Becanum.* Sed vltimus falsò citatur, vt vidit *N. Felix*; alij verò solum loquuntur de actu fidei humanæ.

81 Sit conclusio. In hæretico non manet habitus fidei. Quia 1. *ad Thimoth. 1.* dicitur: *Quidam circa fidem naufragarunt*; id est, hæretici, vt *Hymenæus, & Alexander*, negantes articulum Resurrectionis, sed ex Chrisostomo, naufragare circa fidem est, amittere fidem dicit enim: *Sicut ille, qui naufragium facit, amissis omnibus, nudus euadit, ita his, qui ex fide excidit, nihil sibi ex Dei donis, ac virtutibus amplius retinet.* Quare *Tridentin. Sess. 6. cap. 15.* dicit: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam ipsa fides amittitur, &c.* Aliàs enim simul homo esset fidelis, & infidelis, quod est cõtradictio; nam ex *Cypriano lib. 4. Epistol. ad Cornel. Nulla societas fidei cum perfidia esse potest*; haberet namque homo actum fidei, & contra fidem, si cum hæresi habitum habeat infusum: & sic Deus suspendit concursum ad habitum ex sua ordinatione ob peccatum hæresis.

82 Sed instat Durand. Ex errore circa vnam conclusionẽ nõ amittitur totus habitus sciẽtiæ: ergo neque ex hæresi contra fidem totus fidei habitus destruitur. Respondeo, quòd fides est vna simplex qualitas, & destruitur non physicè, sed demeritoriè, ex ordinatione diuina. Thomistę verò videant quid respondeant. Dices: ergo hæreticus non potest conuerti ad fidem, siquidem non habet habitum. Respondeo, quòd habet

auxilium, & si conuertatur non erit hæreticus, si hæresim deponat, per actum supernaturalem fidei, & auxilio per Christum.

83 Inquires: in hæreticis est fides diuina acquisita? Respondeo affirmatiuè *ex Scoto in 3. distinct. 23. §. Ad primum, vers. Sed cum dicitur; & distinct. 26. §. Ad quæstionem, & quodlib. 14. §. De primo.* Sequuntur *Basolis, Gabriel*, & alij Discipuli. Ex alijs tenent *Molina in concordia disp. 8.* & qui circa obiectum supernaturale actum naturalem admittunt; sequitur etiam *Ripalda disput. 45. sect. 5.* & probatur: Nam hæreticus credit alicui articulo, quia Deus dicit, non supernaturaliter: ergo naturaliter: ergo ex fide acquisita diuina. Respondebis; quòd non credit ob Dei reuelationem, sed propter argumenta suadentia sibi à Deo esse reuelatum. Sed contra: ergo credit propter Dei reuelationē, vt ipsa solutio in nostrum fauorem dicit.

84 Sed instat Montesinos ad oppositum. Ratio formalis assentiendi omnibus articulis est eadem: ergo qui vni articulo discredit, vt hæreticus, non habet rationem formalem assentiendi alicui articulo. Respondeo; quòd hæreticus directè non negat diuinam authoritatem, sed negat solùm, quòd talis articulus diuinæ authoritati nitatur, & quod sit reuelatus: & sic propter authoritatem Dei poterit fide acquisita alijs articulis assentiri.

85 Queres secundo, in hereticis manet habitus, vel actus Theologicus? Negat *Pater Felix cap. 11. diff. 5. in fine*, affirmat *Vrbina*, sed placet cum *Castillo disp. 10. quæst. 1. num. 51.* manere tam actum, quàm habitum Theologicum, deductum ex fide acquisita diuina, non verò infusa. Tandem quæres: in animabus Purgatorij manet habitus, & actus fidei? Respondeo cum *Suario disput. 6. sect. 91. n. 4. & tom. 4. in 3. part. disput. 47. & cum Maldero q. 5. art. 2. dub. 3.* & cum alijs communiter, quos sequitur *Lugo disput. 17. sect. 3. num. 49.* quod in animabus Purgatorij datur habitus fidei, & actus, ex eo quod non dum Deū clarè vident, neque per speciem ambulant: ergo adhuc peregrinantur à Deo, & consequenter ambulant per fidem iuxta ea, quæ docet *Paul. ad Corinth. 5.* Quantumuis habeant euidentē cognitionem dum tamen non habent intuitiuam, quidquid in oppositum dicat *Hurtado disput. 59. num. 11.*

Sectio 6. *Vtrùm quis possit esse certus, quod habeat fidem?*

86 INter Catholicos certum primo est; quòd in viatoribus ritè baptizatis, tam in in-

infantibus, quàm in adultis, absque obice recipientibus baptismum sit habitus fidei. Et idem est dicēdum de illis, qui cum receptione baptismi in voto primam gratiam consequuti sunt, ex *Trident. sess. 6. cap. 7.* Secundo: quod in animabus purgatorij perseverat fidei habitus: quia, vt diximus nondū venit quod perfectum est, vt euaquetur in illis, quod ex parte est, scilicet fides, nec habent claram, & intuitiuā visionem Dei.

87 Prima ergo sententia dicit, quod fideles possunt certo certitudine fidei cognoscere habere fidem. Ita *S. Thom. 1. part. q. 87. art. 2. & 1. 2. q. 112. art. 5. ad 2. & in illud 2. ad Corinth. vlt. An non cognoscitis?* sequūtur *Caietan. Medina, Sotus de natura, & gratia lib. 3. cap. 10. Vazquez 1. 2. disp. 201. cap. 2.* & citatur *D. Bonauentura dist. 23. & Vega 9. in Trid. cap. 37.* Secunda autem sententia tenet, posse cognosci cognitione certa experimentali, & euidenti: insinuant *Caiet. Medin.* & alij cum *D. Thom.* relato. Expressè tamen defendit *Lorca 1. 2. disp. 30.* Tertia verò sententia dicit, posse esse certos per certitudinē discursus Theologici. Ita Authores pro prima, & secunda sententia relati.

88 Sed nostra conclusio sit. Nullus est certus certitudine physica, vel methaphysica de sua fide habituali, vel actuali: Potest tamen esse certus de facto certitudine tantum morali, excludente omnem veram dubitationē. Ita *Castill. disp. 8. q. 4. n. 6.* cum communi sententia *ex Ricar. Durād. Valenc. Rofensi*: quos citat, & sequitur *Suar. 2. tom. de gratia lib. 9. cap. 12. Torres disp. 44. dub. 3. 4. & 5. Ægid. disp. 14. dub. 14.* & colligitur ex *Scot. dist. 23.*

89 Probaturque primo quoad primam partem: argumēto vniuersali destruente fundamenta oppositarum sententiarū; quod sic efformatur. Certitudo physica, vel methaphysica, vel habetur per scientiam strictè sumptā, vel per fidem, vel per Theologiā? Sed de lege ordinaria nullo ex istis modis potest quis esse certus de sua fide: ergo. Probatur minor contra supra relatas opiniones: & in primis contra Lorcam: non certitudine experimētali, & quæ haberi potest scientia rigurosissima; quia licet certitudine scientiæ certo cognoscamus, quod credimus propter diuinam authoritatem, & non propter aliud motivū: tamen nō cognoscimus physicè, talē credulitatem procedere ab auxilio: & licet hoc cognosceretur, quod non concedo, non cognoscitur, quod procedat ab habitu: quia habitus physicè non cognoscitur.

90 Item nobis non constat quod prædictum motivum subiaceat diuino testimonio, verè exi-

existenti: quia non habemus euidentiam physicam in attestante: ergo: aliàs euidentia physica facilè possemus conuincere hæreticos, ostendendo euidenter nostram fidem. Præterea non certitudine fidei; quia cognitio certa certitudine fidei versatur circa reuelata à Deo: sed Deus non reuelauit mihi me habere fidem: ergo. Tandem non certitudine Theologica. Patet. Quia cognitio certa oritur, quãdo est Theologica, ex præmissis de fide, vel vna de fide, & alia lumine naturali nota: sed nulla est præmissa de fide, nec lumine naturali nota, ex quibus inferatur cognitio certa de mea fide, seu de eo quod ego habeã fidẽ, ergo, &c.

91 Quoad secundum autem partem cõclusio probatur. Quia cognoscimus, nos velle credere ea fide, qua credit Catholica Ecclesia: & aliàs cognoscimus, quod Deus non deficit, nec denegat facienti, quod est in se auxilium gratiæ, auxiliando ei, vt opportet, qui in toto corde desiderat credere, quod credendum est. Præterea cognoscimus motivum, propter quod credimus, esse infallibile, & quæ credimus, esse prudenter credibilia, & euidenter moraliter reuelata: ergo secundum nostrum captum, & prudentem existimationem sumus certi de nostra fide: ergo certitudine morali.

92 Sed obijcies pro opinionibus oppositis: illud 2. *ad Corinth. vlt. Vos metipsos tentate, si estis in fide, ipsi probate.* Et *August. de Trinit. lib. 13. cap. 1.* ait: *Video me credere, si credo.* Respondeo, quod hæc testimonia intelligẽda sunt de certitudine morali, non verò de certitudine fidei experimentali, aut scientifica strictissimè. Dices cũ Lorca. Quilibet potest cognoscere, se credere nõ propter testimonium humanum, sed propter diuinum, sed eo ipso cognoscit suã fidem infusam: ergo. Respondeo, omitto antecedens, & nego minorem: quia actu naturali potest quis credere propter diuinum testimonium.

93 Sed instat Lorca. Ego cognosco, me non esse Gentilẽ, nec Iudæum, nec Hæreticum: ergo cognosco me esse Christianũ, & Fidelẽ: ergo experimẽtali cognitione, & certitudine potest quis esse certus de sua fide. Respondeo, quod omnia hæc cognosco certitudine moraliter euidenti, sed nõ physicè, aut methaphysicè. Dices: ergo possumus dubitare: an simus Christiani? Respõdeo; imprudenter concedo; dubitatione vera, & prudenti iuxta rectam rationem, nego: nã certitudo moralis, aufert omnem prudentem veram dubitationem.

94 Sed obijcies. Quis per experientiam cognoscit, se credere omnia mysteria verè à Deo reuelata: sed nullus potest illa cre-

credere, nisi per fidem infusam: ergo per discursum Theologicum, & scientiam experimentalem potest quis certificari de sua fide. Et confirmatur. Quia lumine naturali est certum, Deum non negare gratiam facienti quod est in se: sed ego sum certus certitudine morali non solum, sed certitudine physica experimentali, me facere, quantū in me est, ad credendum: ergo cognosco experientia, & discursu Theologico, me credere adiutum diuina gratia: ergo cognosco certitudine experimentali, & Theologica me habere fidem infusam, & actum supernaturalem fidei.

95 Respondeo distinguendo maiorem; certitudine physica, vel methaphysica, nego (quia non cognoscit, an credat omnia, sicut oportet) certitudine morali, concedo. Ad minorem distinguo; actu sicut oportet, concedo; actu naturali, nego. Vnde solum sequitur nostra conclusio, non verò opposita; nego enim consequentiam. Ad confirmationē respondeo: certum esse facienti ex auxilio gratiæ, quod est in se, Deum non negare gratiam, non verò faciēti, quod est in se viribus naturæ tantum. Vnde cum ego non sim certus methaphysicè, aut physicè, me facere quantum in me est ex auxilio gratię ad credendum, sed solum sim certus morali certitudine de hoc, sequitur tantum, quod quis possit esse certus certitudine morali de sua fide, non verò certitudine fidei, nec certitudine experimentali, aut scientifica Theologica rigorosa.

96 Sed objcies efficacissimè *Scotū in 3. dist. 23. §. Sed quid dicis*, vbi ait. *Sicut credo Deum esse Trinum, & Vnum sic credo me habere fidem infusam inclinantem ad illud, sicut in verum, quod est in se verum.* Maximè torquet Scotistas hæc Scoti authoritas, & variè respondent ad illam; sed nulla eorum solutio placet, nec est ad propositum, & mentem Scoti. Quare relictis omnibus; quia longum esset recensere, & impugnare. Respondeo; quod Scotus non vult, quod eadem fide, qua credo Deum esse Trinum, & Vnum, eadem credo me habere fidem infusam: nam eius ratio id non intendit, nec ibi sistit; sed solū intēdit, quod supposito quod habeam fidem infusam, eadē fide qua credo, Deum esse Trinū, & Vnum, eadē fide credo, quod fides, quæ est in me, inclinat ad illud, quod in se est verum, sicut in verum. Itaque Scotus nō vult, quod mihi habere fidem, sit propositio de fide, seu sit obiectum fidei, sed solum vult, quod sicut Deum esse Trinū, & Vnū, est obiectum fidei, ita etiam est obiectum fidei, habitū fidei infusum inclinare in illud sicut in verum, quod est in se verum.

SE-

SECVNDA PARS
MORALIS TRACTATVS
DE FIDE.

DISPVTATIO VNICA.
De Doctrina Morali huius Opusculi.

CAPVT I.

De necessitate Fidei ad salutem.

Sectio. 1. *Vtrùm credere Fide supernaturali sit necessarium necessitate medij?*

1 CIrca istud, secundū quod ordo postulabat, cū alijs secundæ disputationis capi ibus texendum erat, sed quia continet doctrinam moralē, & dogmaticam, ideò inter doctrinam valdè methaphysicam discutere non placuit, sed ad istum locum distulimus.

2 Tota ergo huius capitis difficultas procedit circa actum fidei: nam circa habitum certum debet esse de fide esse necessariū ad salutem: quia simul infunditur in iustificatione, vt visum est, habitus fidei. Suppono ergo pro decisione, difficultatem sectionis procedere circa adultos: nam in paruulis sufficit habitus fidei, qui per baptismum, vel eius vice martyrio, infunditur cum gratia, vt dixi opusculo de baptismo: vbi, & opusculo de Sacramentis in genere, & opusculo de pœnitentia virtute, & de Sacramēto, & de Eucharistia notaui sæpè, quid sit necessarium necessitate medij, & præcepti. Item suppono, quod actus fidei est necessarius necessitate præcepti.

3 Fuerunt quidam hæretici sectantes, vnumquemque in sua secta saluari: & sic affirmant nostram fidem non esse necessariā. Manichæi autem, vt refert *Aug. de vtilit. credent. cap.* 1. in eadem secta fuerunt, & *Abailardus apud Bernard. epistol.* 190. dicentes: non esse assentiendum nisi rebus lumine naturali notis. In eadem secta fuit Pelagius dicens: (*Teste Augustin. de peccat. origin. lib.* 2. *cap.* 26.) in lege naturæ sufficere naturalem Dei cognitionem ad salutem: in legibus verò scriptis aiebat, ad melius esse, requiri fidem Dei, & aliquorum mysteriorum, sed non simpliciter; & hoc non ex gratia, sed viribus naturæ.

In

4 In præsenti refertur *N. Vega lib. 6. in Trident. cap. 17. 20. & 21.* quasi dixerit: fidem non esse necessariam necessitate medij in re: quia si per impossibile (quod ita dicit esse Vega) quis ignoraret inuincibiliter omne reuelatum à Deo, vt iustificaretur, sufficeret sola cognitio, & amor boni moralis: quia tunc talis actus in illo impossibili acceptarentur à Deo, vt meritorij: sed tamen Vega cum Ecclesia Catholica sentit, quod nemo iustificatur sine fide.

5 Tenuit tamen illud *Sotus 2. de natura, & gratia cap. 11.* licet postea retractauerit in *4. dist. 1. q. 2. art. 3. in fin. retract. 4.* Alij verò media via procedunt tenentes ad salutem necessariam esse necessitate medij aliquam notitiam supernaturalem ex beneficio, & gratia Dei, & non sufficere naturalem, & solis viribus naturæ elicitam: dicunt tamen talem cognitionem; non esse simpliciter necessarium, quod sit fides stricte: & huiusmodi cognitionem existimant habuisse Ethnicos Philosophos ex creaturis de vnico Deo supremo omnium Creatore, qua eleuabantur ad illū colendum, & amandum. In hūc dicendi modum, pro pendet *Ripalda tom. 1. disp. 20. sect. 21. 22. & 23. & disp. 63. & Hurtado Salmanticēs. disp. 10. sect. 6. §. Secundo* probabilem censet: sed existimo hanc opinationem non esse mediam. Quia talis cognitio, supernaturalis est fides, vel Catholica, vel particularis reuelationis. Dicit enim *Milebitanum Cōcil.* Omnem gratiam præueniētem ad effectum supernaturalē necessariam pertinere ad fidem, & *Ambros. lib. 6. in Lucam.* Ad illa verba: *Quid molesti estis*, ait: *Misericordiæ præfertur fides, quia misericordia tunc habet meritum si fide præcedente conferatur. Et S. Leo. homil. 19. in Ezechiel*, dicit: *Non virtutibus venitur ad fidem, sed per fidem peruenitur ad virtutes.*

6 Cum communi ergo Catholicorum sentētia tenendum est: quod actus fidei supernaturalis (modo quo supra dictum est) est omni tempore, & fuit necessarium medium ad salutem. Ita *Scot. in 3. dist. 25. q. 1. §. Sed posito*, sequuntur *Pitig. Medina, Corduba*, & omnes Scotistæ, vno dēpto *Castillo* de quo infra; docet *S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 3. Suarez disp. 12. sect. 1. Lorca disp. 18. Torres disp. 25. Lugo disp. 12. sect. 1. à n. 3.*

7 Et probatur primo *ex 1. ad Hebræos* 11. vbi dicit Apostol *sine Fide impossibile est placere Deo, & Habacuc 2.* dicitur: *Iustus ex Fide viuit.* Et passim plura alia reperiuntur in Scriptura, *ad Galat. 3. & 2. ad Roman. 1. & ad Hebr. 11. &c.* Et confirmatur *ex Trid. sess 6. cap. 7. & 8.* vocante fidem radicem, & fundamentum gratiæ, sine gratia autem non est salus: ergo neque, sine fide: quia gra-

gratia non datur ſine fundamento, vt decernunt Arauſicanum, & Milebitanum. Conſentiunt ferè omnes Sancti Patres *Auguſt. Proſper. Fulgent. Ambroſ. Chriſoſtom. Leo. Bernard.* & alij, quos referunt *Suarez, & Valencia.*

8 Ratio autem eſt. Quia extra Eccleſiam nulla eſt ſalus, ſed per fidem efficimur Eccleſiæ membra, & ſine fide ſumus extra Eccleſiam: ergo fides eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. Nec valet dicere; hæc omnia probare neceſsitatem præcepti, non verò medij. Nam de vtraque neceſsitate debent intelligi: aliàs non diceret Paul. citatus, quod ſine fide impoſsibile eſt placere Deo vbi loquitur, non ſolum de habitu, ſed maximè de actu, vt ſatis clarè eſt in textu.

9 Nec valet ſecundo, dicere, probare neceſsitatem medij non in re tantum, ſed ſufficere in voto. Nam contra eſt. Quia nihil eſt in quo, tanquam in voto, contineatur actus fidei, ſicut continetur Baptiſmus in contritione, & Sacramentum pœnitentiæ: nullus enim actus præcedens fidem poteſt eſſe votum fidei. Dices; quod in affectu recipiendi fidem, poteſt contineri. Sed contra: quia iam fides non eſſet radix, & fundamentum iuſtificationis. Secundo: quia tunc ſufficit neceſsitas alicuius in voto, quando non eſt, poſsibilis moraliter loquendo neceſsitas eius in re, ſed ſiquis habet affectum fidei, poſsibilis eſt actus fidei in re: ergo affectus fidei non eſt votum fidei in re. Dices: quod poteſt contingere, vt quis habeat affectum fidei, & tamen, quia non eſt benè inſtructus, nec cathechizatus, poterit inuincibiliter ignorare, quid ſit credendum: maximè iuuenis in ſyluis à pueritia nutritus: ergo ille affectus ſufficit pro actu fidei; & ſic erit fides in voto. Hoc argumentum magni ponderis eſt. Sed reſpondeo; quod ferè omnes dicunt, quod illuminabitur à Deo ſufficienter ad eliciendum actum fidei de obiectis neceſſario credendis, & ſi non elicit condemnabitur, vt dicitur *Matth. vlt.*

10 Nec valet tertio ſi dicas: quod noſtra argumenta, ſolum probant neceſsitatem habitus infuſi, non verò neceſsitatem actus ſupernaturalis ex auxilio, vel ex habitu fidei. Nam contra eſt: quia clara ſunt teſtimonia, & loquuntur de actu, maximè Pauli. Et confirmatur: quia ſecundum omnes in adultis requiritur actus voluntatis: ergo etiam actus intellectus, qui eſt fidei, prout diſponit ad iuſtificationem, vt inquit *Tridentin ſeſsion. 6. cap. 6.* His verbis: *Homines diſponi ad iuſtitiam, dum excitati diuina gratia,*

liberè mouentur in Deum, credentes, &c.

11 Sed insurgunt hæretici. Quia secundum *Paul. Gentes, quæ legem non nouerunt, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt,* sed ad *Romanos 2. Factores legis iustificabuntur*: ergo sola cognitio naturalis sine fide sufficit ad iustificationem, & salutem. Toletus; de gentibus, quæ vllo tempore fideles fuerunt non verò de infidelibus, & idolatris, exponit hæc verba Pauli. Alij de gentibus ad Christi fidem conuersis intelligunt. Alij de gentibus, quæ tempore legis naturæ, & legis Moysi seruabant legem adiuti gratia, & fide. Alij de infidelibus, & idolatris exponunt. Alij tandem intelligunt de obseruantibus totam legem absque gratia, & fide. Ita *Suarez cap. 8. de gratia, à num. 16.* Non enim ad probandum, quod Gentiles iustificentur sine fide facientes, quæ legis sunt, hæc verba adducuntur à Paulo, sed ad probandum, quod *quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt*: quia Gentiles legem naturalem scriptam in cordibus suis sæpius violant; & sic sine lege scripta peribunt propter præuaricationem in lege naturali. Respondeo ergo: quod quando *Paul.* dicit: *Gentes quæ legem non nouerunt*, sub intelligitur, *scriptam*: & cum dicit *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, ly *naturaliter* significat sine lege scripta, non verò sine auxilio gratiæ supernaturalis, vel sine habitu infuso. Ita interpretatur *Aug. istum locum, lib. 1. de Spiritu & litera cap. 27.*

12 Deus Optimus Maximus prouidet de omnibus necessarijs ad salutem omnibus, sed multi sunt, qui nihil de fide audierũt, vel non intellexerunt, vel inuincibiliter sunt obliti: ergo sola cognitione naturali boni, si secundum illam operentur, iustificabuntur sine fide. Sed iam dixi, quod in tali casu, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum illuminabit, vel per se, vel per Angelos interiori, vel simul exteriori illuminatione.

13 Dices: si filius hæretici inter hæreticos baptizatus moreretur ante vsum rationis saluaretur: supponimus, quod non est mortuus, & per totam vitam eius seruabit totam legem naturæ, & nullus fuit, qui illi proponeret mysteria fidei, iste si moreretur, quæro: Saluabitur? vel non? Non potest dici hoc: quia non amisit per aliquod peccatum mortale iustificationem in baptismo acceptam: si saluabitur: ergo iam non est necessaria fides actualis necessitate medij in re. Et vrgeo, supponendo, quod moriatur, cum primo peruenit ad vsum rationis

in

in illo primo instanti completo. Respondeo: quod in tali casu Deus illum illuminaret sufficiēter de mysterijs necessario credēdis per auxilium supernaturale; & si crederet, saluaretur, & si nō crederet, peccaret, & condemnaretur.

14 Sed obijcies: voluntas credendi, quæ præcedit actum fidei est meritoria: ergo iam datur meritū, quod non à fide procedat, sed potius præcedens fidē, & ab illo procedit fides. Respondeo: quod auxilium supernaturale ad velle credere pertinet ad fidem: nam assensus fidei completus sicut opportet imbibit actum intellectus, & voluntatis imperium. Idemque dicendum est de oratione, qua quis orat Deum petendo donum, & lumē fidei. Sed dices: ergo qui naturaliter sciunt Deum esse, non iustificabuntur: patet: quia euidenter sciunt Deum esse: ergo non possunt credere Deum esse. Respondeo: nego antecedens: ad probationē iam dixi, quod cum cognitione euidenti abstractiua non repugnat fides. Qui dicunt cognitionē euidentem destruere fidem, ipsi videant, quid responderint.

15 Pater *Franciscus del Castillo disp.* 11 *quæst.* 1. *num.* 14. ait: ad iustificationem non esse necessarium actum fidei infusæ, sed sufficere actum fidei acquisitæ ex auxilio ordinis naturalis per Christum; quod antea dixerant *Vazquez* 1. 2. *disp.* 189. *num.* 136. *& disp.* 190. *num.* 132. *& Ludouicus Turrianus, opuscul.* 2. *de grat. disp.* 4. *dub.* 26. *&* 27. *& Coninch. tract. de Fide, Spe, & Charitate, disput.* 14. *dub.* 6. impugnant illum *Pater Felix cap.* 12. *diff.* 1. *in fin. & Lugo disp.* 12. *sect.* 2. *à num.* 14.

16 Et nos hic impugnamus. Primo. Quia Patres, & Concilia eodem modo loquūtur de actibus, qui antecedunt ipsam iustificationis gratiam, vt dispositiones ad illam, ac de illis, qui subsequuntur, sed subsequentes sunt supernaturales: ergo similiter antecedentes, & necessarij ad salutem. Dicit enim *Concil. Arausica. canone vlt. Hoc etiam salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, sed ipse prius Fidem, & amorem sui inspirat.* Et *Mileuitanum Concilium, epistol. ad Innocentium*, quæ refertur 95. *in August.* docet: *Omnem gratiam præuenientem ad omnem effectum supernaturalem necessarium pertinere ad Fidem.* Et *Trident. sess.* 6. *cap.* 13. ait: *Deus enim sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Claudat argumentum *Aug. lib. de perfectione iustitiæ, cap.* 20. dicens: *Deo dicitur adiutor meus esto, non vtique ad naturalia bona capessenda, sed ad quærendā, perfitiendamque iustitiam.* Omitto alios Sanctos Patres, satis clarè id docentes, quos refert Suarez, & alia plura loca *August. lib.* 1. *de grat.*

grat. cap. 20. à num. 11. ergo ad salutē actus fidei necessarius est supernaturalis ex habitu per se infuso, vel ex auxilio ordinis supernaturalis; aliàs sine actu fidei sicut oportet disponeremur ad fidem, & iustitiam.

17 Secundo; si talis actus procedit ex auxilio gratiæ per Christum (vt inquit *Castillo* sequutus *Vazquetium*) quomodo tale auxilium non est supernaturale? ergo etiam actus est supernaturalis, licet quoad substantiā naturalis sit: quod si hoc fateatur Castillo, cum eo conuenio, & tunc nullius roboris erunt argumenta Felicis: quia Concilia, & Pātres licet requirant dispositionem supernaturalem ad salutem, nō tamen secundùm entitatem, & quoad substātiam physicā, sed solum secundùm quid, & quo ad modum: & si aliud intendat Castillo, eius argumenta nullius roboris sunt, & sic reijcio.

Sectio 2. *Quale obiectum materiale sit necessitate medij, necessario credendum?*

18 TRia præcipuè sunt obiecta materialia, de quibus hęc difficultas potest controuerti. Primum, Deus vt sic, & Deus, vt Remunerator. Secundū, Christus D. Tertium, Mysterium Trinitatis. Et omnia ista possunt intelligi, vel in omni lege, vel in Lege Euangelij, vel secundùm fidem implicitam, vel explicitam: & ita sub hac sectione plures sunt difficultates, quas sequētibus Subsectionibus examinabimus.

Prima Subsectio: *Vtrùm in omni statu cuiusvis legis, sit necessariō necessitate medij credere Deum?*

19 COnclusio communissima, certissima, & vera affirmat: quia ad *Hebræos 11.* dicitur: *Credere autem oportet accedentem ad Deum, quia est.* Quę verba non possunt congruè intelligi de fide implicita. Et confirmatur ratione. Quia adultus tenetur diligere Deū: ergo necessario debet proponi Deus actu proportionato dilectioni, sed talis actus est fidei, & assensus circa ipsum Deum, quo creditur Deus: ergo, &c. Secundo confirmatur; quia in Baptismo adultus explicitè profitetur Deum; & per pœnitentiā explicitè confitetur Deo sua peccata, & dolet de peccatis propter ipsum Deū, quia offendit Deum: ergo semper supponitur Deus, vt obiectū fidei explicitæ, sine qua impossibile est placere ipsi: igitur in omni statu necessaria est fides explicita de Deo.

20 Sed *Caietanus*, & *Catherinus* oppositum tenent, & obijciunt. Qui habent scientiam de Deo, & existentiæ eius possunt

iustificari, sed cum scientia non stat fides: ergo cum Angeli, Adã, & plures ex antiquis Patribus habuerunt scientiam de Deo per proprias species, in eis non fuit necessaria fides. Respondeo negando minorem, vt latè dixi *disp. 2. cap. 3 sect. 6. subsect. 2.* Castillo, & Felix difficulter se expediunt ab hac difficultate. Aliæ obiectiones non sunt ita difficiles, quas breuitatis causa omitto; videatur *Suarez disput. 12. à num. 4. & Hurtado disp. 41.*

Secunda Subsectio. *Vtrùm pro omni statu fuerit necessarium explicitè credere Deum, vt remunerazione supernaturali Remuneratorem?*

21 REspõdeo affirmatiuè cũ communi sententia *Scoti dist. 25. §. Sed hic occurrunt, vers. Ad tertium.* Sequitur *Suarez disput. 12. sect. 3. Torres disput. 26. dub. 4. Ægidius disput. 14. dub. 8. Lorca disp. 31. de gratia, dub. 4. & disp. 19. Coninch disp. 14. Hurtado disp. 8. diff. 4. & Hurtado Salmant. disput. 41.* qui alios referunt, & *Cardinal. de Lugo disp. 12. sect. 5.*

22 Probaturque ex citato loco ad *Hebræos 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirẽtibus se, Remunerator sit.* Præmiserat enim fidem esse *sperandarum rerum*, sed res sperandæ (hæc enim sunt, quibus Deus remunerabit) non naturales sunt, sed supernaturales: ergo, & confirmatur: quia ibi Paul. docet, Sanctos illos Patres contempsisse temporalia, & naturalia, aspirantes solum ad supernaturalium remunerationẽ. Ratione probatur. Quia amor Dei supernaturalis est necessarius ad salutem: ergo Deus, vt supernaturalis debet voluntati proponi, sed non proponitur nisi per actum fidei: ergo necessariò debet credi Deus, vt Remunerator supernaturalis: quia Deus in se non est supernaturalis, nisi per ordinem ad nos dando nobis, & in nobis causando dona supernaturalia.

23 Sed obijciunt *Vega lib. 6. in Trident. cap. 21. & 22. & Corduba lib. 2. q. 5.* illa verba Paul. sufficienter intelligi de naturali prouidentia: ergo. Respondeo negando antecedens; vt satis clarè videri est in ipso textu. Secundo obijcit etiam Puente Hurtado. In fide Dei authoris naturalis sufficienter continetur fides Dei authoris supernaturalis; nam qui credit Deo, propter eius authoritatem, paratus est semper credere, etiam si supernaturalia loquatur: ergo sufficit ad salutem fides Dei implicita Authoris, seu Remuneratoris supernaturalis contenta in fide explicita Dei Authoris naturæ. Ab hac instantia difficulter se expediet *noster Castillo, qui disp. 7. q. 2. p. 1.* asseruit, supernaturalia, quæ

nunc

nunc secundùm entitatem sunt talia, in alio ordine vniuersi forent naturalia. Sed nos negamus antecedens: quia supernaturale non continetur in naturale. Licet fatear sententiam N. Vegæ, & Cordubæ satis probabilem: nam, qui crederet Deum Omnipotentẽ, & omnium rerum Authorem, ac Remuneratorem, etiam si explicitè sub conceptu supernaturalitatis, sed confuso quoddam, & communi conceptu abstracto, à naturali, & supernaturali remuneratione, sufficienter mihi videtur credere, vt opportet ad salutem.

Tertia Subsectio. *Vtrùm pro omni statu fuerit necessaria fides explicita Christi Domini.*

24 DIco primo: in nostra sententia, quæ affirmat Christum venturũ, Adamo non peccante, non foret improbabile dicere; quòd in statu innocentiæ erat necessaria fides Christi saltim necessitate præcepti. Et existimo illam habuisse Angelos in via, & fuisse in eis necessariam explicitam necessitate medij ad salutem. Et fortè, quia mali Angeli contra euidẽtiam in attestante huius mysterij ei assentiri noluerunt, peccato hæresis, & infidelitatis peccauerunt, vt notauimus *Opusc. de Angelis, cap. 9. sect. 5.*

25 Dico secundo. In statu naturæ lapsæ, & ante aduentum Christi fuit necessaria fides explicita secundùm magis, & minus ipsius Christi, vt quidam Mediator est, tam in lege naturæ, quàm in lege scripta. Ita *Scot.* expressè *dist. 25. §. Sed hic occurrunt.* Vnde *P. Castillus disp. 9. q. 2. part. 3.* non benè intelligit Scotum, cum sit clarissimus textus. Tenent *Magister sententiarum* ibi: *Sanctus Bonauentura, Gabriel, Almainus, Cordubalib. 2. quæst. 2. Suarez disput. 12. sect. 3.* qui non benè intelligitur à *Castillo*, nam illum citat pro sua opinione opposita. Tenet *Lorca disp. 21. Becan. cap. 12. quæst. 2. Ægidius disput. 14. dub. 9. & Felix difficult. 3.*

26 Et probatur ex illo ad *Roman. 3. Iustitia autem Dei per Fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Respondet Castillo debere intelligi de fide implicita Christi, si loquatur pro omni statu; eodem modo respondere videtur *Cardinal. de Lugo disput. 12. sect. 4. num. 95.* Sed contra: ergo in alio erat fides explicita, scilicet in actu explicito, quo necessariò credebant omnes, fore vnũ Redemptorẽ, & Messiam Mediatorem Dei, & hominum: igitur nostra conclusio est magis vera.

27 Quare respondet secundo cum *Valencia, Lorca disp. 22.*

& Thom. Sanch. lib. 2. in Decalogũ cap. 2. à num. 7. dicendo, quòd Paulus loquitur solum pro statu Legis gratiæ; quod mihi satis placet; & sic ex præiacto loco non efficaciter probatur nostra conclusio, sed ex illo ad Galat. 3. *Cognoscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ? Prouidens autem Scriptura, quia fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes*: igitur fideles iustificabantur per fidem innixam illi promissioni, reuelationi, aut prænuntiationi factæ Abrahæ, sed talis prænuntiatio, & reuelatio, aut promissio fuit de Christo, vt Mediatore, & Redemptore, qui est semen Abrahę, in quo semine omnes gentes erant benedicendæ: ergo, &c. Et cõfirmatur: quia eodem loco ait Apostol. *Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.*

28 Ad quod faciunt *Aug. lib. 2. de peccato original. c. 24. contra Pelag.* dicens: *Sine fide Incarnationis Christi, neque antiquos iustos, vt iusti essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari veritas Christiana non dubitat.* Et *lib. contra Faustum 19. cap. 14.* se explicat de Mediatore explicitè, & de Deo Homine implicitè: legatur *lib. de natura, & gratia, cap. 2. & lib. de correctione, & gratia cap. 7. & lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. & lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. & Epistol. 89.* ait: *Vt sciamus etiam antiquos iustos, quicumque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam fidem liberamur, & nos scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur*: & *lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 47.* satis expressè loquitur *August.* docens nostram sententiam, vt fatetur *Suarez* relatus in suo *num. 13.* quidquid Lugo cõnetur respondere: ergo vel deferendus est Aug. quod non est pium, vel nostra sententia est tenenda: nam solutio Castilli ex alijs non placet.

29 Ratione Scoti probatur: quia sicut Deus est principium creationis, ita Christus est reparationis principiũ: ergo sicut requiritur fides primi, ita, & Reparatoris: at fides explicita Dei vt Creatoris est necessaria necessitate medij: ergo fides Reparatoris, & Mediatoris similiter est necessitate medij necessaria.

30 Sed obijcit *Castillo disput. 11. quæst. 2. num. 24. Scotum* relatum. Respondeo, quòd Scotus expresè est pro nobis. Obijci secundo: quia in Scriptura dicitur hoc mysterium: *Absconditũ in sæculis in Deo, & ignotum generationibus hominum.* Respondeo: hoc confirmare sequentem cõclusionem. Sed obijcies: post lap-

apsum nō fuit reuelatus Mediator, & Redemptor: ergo necessitas huius fidei non incepit vsque ad tempus Abrahæ. Respondeo; quòd *Genes.* 3. statim post peccatum fuit reuelatus Christus, vt Redemptor, & Mediator, illis verbis: *Ipsa conteret caput tuum*, id est, *ipsum mulieris semen*, vt habetur in originali Hebræo; & hoc Adam tradidit posteris, & posteà Enoch, & posteà Noe, & Sybilæ, Abraham, Isaac, & Iacob, quod posteà per Scripturam tradidit Moyses.

31 Sed obijcit *Cardin. de Lugo à num.* 92. Quia ex *Paul. ad Hebræos* 11. solum videtur necessitate medij necessaria fides vnius Dei Remuneratoris. Respondetur, quòd *Paul.* in locis præcitatis habet tantam authoritatem, quantam in loco ad *Hebræos* 11. vbi præter fidem Remuneratoris, Mediatoris, & Redemptoris fidem exigit. Obijcit secūdo: ad iustificationem cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ sufficit attritio, sed ad attritionem, non requiritur fides Christi: ergo in nullo statu est necessaria necessitate medij fides explicita Christi, vel Mediatoris, aut Redemptoris. Quis enim obliget pœnitentē ignarum ad fidem explicitā Christi? Sed respondetur, quòd etiam ad attritionem nō requiritur cognitio explicita Dei, vt Remuneratoris; & ita si hoc argumentū Eminētissimi Cardinalis habet vim contra se probabit non esse necessariam fidem Dei Remuneratoris, quia attritio potest concipi ex metu gehennæ, vel ex turpitudine peccati. Tertio obijcit: quia si ad primam iustificationem esset necessaria fides Mediatoris, etiam esset necessaria, quoties aliquis relabitur in peccatum, vt de nouo iustificetur per Sacramentum, vel extra Sacramentum, hoc autem videtur durissimum, quia redderet dubium valorem multarum confessionum, ad quas pœnitens sine memoria Christi accedit. Sed respondeo: sufficere ad secundam iustificationem fidem implicitam Christi. Ita *Lorca*. Respondeo secundo: quòd hæc necessitas non requiritur in quacumque iustificatione: sed pro aliquo tempore in decursu vitæ. Quodnam autē hoc tempus sit non potest esse certum.

32 Dico tertio: Fides explicita de Christo D. vt erat talis persona, scilicet Deus, & Homo nō fuit necessaria necessitate medij ad salutē in lege veteri post lapsum ante Euangelium. Ita Doctores supra relati, & si hoc vult intelligere *Lugo* citatus in suo *n.* 85. conuenio cū illo. Probatur ergo nostra conclusio: quia Lex antiqua fuit in vmbra, & figuris: ergo nō cognoscebatur Christus, vt verus Deus, & Homo in vnitate Personæ Verbi diuini: ergo

non erat necessaria fides explicita de eo, vt talis persona erat. Et confirmatur. Quia ante aduentũ Christi non fuit clarè prædicatũ Incarnationis mysteriũ, nec propositum, vt necessario credendum: imò Paul. inquit: *Esse absconditum in sæculis à Deo, & generationibus hominum ignotũ.*

33 Sed obijcies, quòd Iudæi tenebantur credere Messiam: ergo illis erat necessarium credere Deum, & Hominem in vnitate Personę diuinę. Et confirmatur. Quia in confirmationem huius prædicabat Christus, miracula faciebat, atque ex veteri Testamento cõprobabat *Matth.* 22. ex illo *Psalm.* 109. *Dixit Dominus Domino meo*: ergo. Respõdeo, verum esse quòd Iudæi tenebantur credere Messiam; sed nõ explicitè quòd esset Deus, & Homo, necessitate medij: quia vsq; ad aduentum Christi non fuit sufficienter propositus, vt Deus, & Homo, sed solũ, vt Redemptor, & Mediator Dei, & hominum: & sic fuit propositus in *Psalmo*, scilicet vt vir de semine Abrahæ ex progenie Dauid.

34 Dico quarto. In lege Euãgelij sufficienter promulgata est necessaria necessitate medij fides explicita Christi Redemptoris, & vt est verus Deus, & verus Homo in vnitate Personæ Verbi. Ita *Valencia quæst. 2. punct. 4. propositione 1. Molina 1. part. q. 1. art. 1. disp. 2. Lorca 2. 2. disput. 22. Granados, Thom. Sanchez lib. 2. Summæ cap. 2. Lorinus super caput 10. Actor. vers. 2.* & alij cum *Magistro distinct. 25. & D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7.*

35 Probaturque primo ex illo *Ioannis 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam; sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Vbi satis clarè proponitur Nicodemo Christus necessario credendus necessitate medij per exemplum serpentis exaltatæ, non solum, vt Redemptor, & Mediator, sed vt Deus, & Homo, illis verbis: *Oportet filium hominis exaltari, & sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret; non enim* (prosequitur Ioannes) *misit Deus Filium suum in mundum* (id est Deum, & Hominem) *vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: & si quæras, quomodo per ipsum saluandus est mundus? Respondet Ioannes: *Qui credit in eum non iudicatur, qui autem non crediderit iam iudicatus est, quia non credit in nomine Filij Dei Vnigeniti.*

36 Accedit illud *Marci vltim. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*: in Euan-

Euangelio autem quod præcipuè prædicatur est Christus: ergo eius explicita fides est in Euāgelio necessaria, vt medium ad salutem. Respondent communiter Authores oppositi non debere intelligi de fide explicita, sed de fide implicita, & de necessitate præcepti: aliàs ex isto loco probaretur, necessitate medij esse necessariam explicitam fidem totius doctrinæ Euangelicæ: sed contra est; quia *Act.16.* interroganti: *Quid me oportet facere vt salvus fiam?* Responderunt Paulus, & Silas: *Crede in Dominum Iesum, & salvus eris*: ergo fides de Christo explicita est necessarium medium ad salutem, nā ad *Galat.2.* dicit Apostolus: *Scientes autem quòd non iustificatur homo nisi per Fidem Iesu Christi, & nos in Christum credimus, vt iustificemur.* In quo sensu *Trident. sess. 6.* ait: *Fides nostra Catholica*, scilicet explicita Christi, *sine qua impossibile est placere Deo.* Ad quod faciunt multi Sancti Patres in Recentioribus. Sufficiat *August. lib. de Correctione, & Gratia cap.7.* dicens: *Si enim sicut veritas loquitur nemo liberatur à damnatione, facta per Adam, nisi per Fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberant, qui poterunt dicere non audisse Euangeliū Christi, & Irenæus lib.3. cap.21* ait: *Ignorantes eum, qui ex Virgine est, Emmanuelem, priuantur munere eius, quod est vita æterna.*

37 Ratio est, quia nullus saluatur nisi sit Christianus, sed Christianus est qui habet explicitā fidem Christi: ergo. Et confirmatur, quia baptismus est necessarius necessitate medij, sed baptismus est professio explicita fidei Christi: ergo. Respondet Suarez, quòd sufficit baptismus implicitus, & in voto; & sic sufficit fides Christi implicita, & in voto; ita etiam respondet *Lugo num.104.* cum alijs. Sed contra: quia baptismus in voto est explicita fides Euangelij, & Christi. Præterea: quia parvuli, nisi per baptismū in re, vel per martyrium in odium Christi nō possunt saluari, sed omnia hæc sunt professio expressa fidei Christi: ergo neque adulti possunt saluari sine professione explicita fidei Christi, etiam si possint saluari per baptismum in voto. Et confirmatur, quia in principio Ecclesiæ valuit baptismus collatus in nomine Christi, non alia ratione, nisi ob necessitatem fidei expressè de eo: ergo.

38 Sed contra nos objciunt *N. Vega 6. in Trident. cap.22. Corduba lib.2. cap.4. N. Medin. lib.4. de recta in Deum fide cap.10. Suar. disput.12. sect.4.* citatur *Vazq. in manuscriptis q.2. art.7. dub.3. & Torres disp.27. dub.4. Coninhc disput.14. num.173. Hurt. disp.44. sect.1. Zumel. 1.2. q.89. art.6. disput.4. & Lugo disput.12. sect.4. à num.91.* tenentes sufficere fidē

implicitam Christi. Primo sic. Quia *Cornelius Actor. 10. Erat vir iustus Religiosus, actimens Deum*, ante quam instrueretur à D. Petro de fide Christi explicitè: ergo sine explicita fide erat iustus: ergo non erat necessaria necessitate medij. Huius loci ita magnificiunt prefati Authores, quod existiment, penitùs suâ opinionem confirmare. Sed meo iudicio ex sententia Sanctorum Patrum relato textu nostra penitus solidatur sententia. Nam Cornelius missus est ad Petrum, vt instrueretur in eo quod sibi opportebat facere, tanquam necessarium ad salutē, & sine quo illam consequi non poterat; hoc autem fuit fides explicita Christi, vt patet in ipsa Petri instructione loco Actor. citato in fine.

39 Quod autem Cornelius appelletur ibi iustus, intelligitur de iustitia naturali à *Chrisostomo Homil. 4. de fide, & lege naturæ, à Gregor. Homil. 9. in Ezechiel. à Basil. Regula 224.* & ab alijs apud eruditissimum Lorcam. Sed demus cū alijs Patribus *Beda, Hieronym. &c.* fuisse iustū supernaturali iustitia Cornelium tunc, quod credo; negamus tamē cōsequentiam. Quia tunc non erat promulgata lex Euangelij, & sic tunc nō obligabat; sed instructo iam Cornelio à D. Petro, incepit illi esse necessaria, vt mediū, fides Christi explicita, vel saltim à die Pentecostes in Ierusalem, vt dixi *Opuscul. de Baptismo cum Scoto in 4. dist. 3. q. 4. & Opusc. de legibus*, legatur *Lorca disput. 37. tract. de legibus*; atque ex exemplo Cornelij patet, quòd si quis obseruet legem naturæ, & quātum in se est faciat quod debet, Deus illuminabit per se, vel per Angelum, vt consequatur media necessaria ad salutem.

40 Dices; sunt homines ita rudes, quòd non possunt apprehendere mysterium Incarnationis Verbi, maximè mutus: ergo explicita fides Christi non est medium necessarium. Respondet *Felix ex Scoto in 3. distinct. 25.* quòd isti non tenentur explicitè credere: quia nemo tenetur ad impossibile. Sed contra: quia ex hoc sequitur, quòd nō sit necessaria fides explicita Christi necessitate medij, sed tantum præcepti. Secundo quia nō minorē impossibilitatē habet, nutritus in syluis, & tamen secundum Felix sine fide explicita non potest saluari. Quare Thom. Sāchez respondet, quòd vt rudes explicitè credant Christum, sufficit assentiri quòd Christus est Deus, & Homo, eo modo quo cōcipitur ab eis ex propositione, vel instructione Parochi, aut Cōfessoris: & ita etiam est facile percipi à mutis; maximè si nō sint à natiuitate. Sed si quis omnia fundamenta nostræ sententiæ intelligeret, & explicaret de necessitate præcepti, vel de necessitate me-

medij in re, vel in voto probabiliſsimè procederet, & melius ad praxim loqueretur, & ad ruſticorum conſcientias pacandas.

41 Hic notandum eſt contra *Canū, Bañez*, & alios in omnium ſententia, quòd fides ſufficiens ad iuſtificationem, eſt ſufficiens ad glorificationem: quia dicit *Trident. ſeſs. 6. cap. 16. Nihil ipſis iuſtificatis amplius de eſſe credendum eſt, quia minus vitam æternam ſuo etiam tempore verè promeruiſſe cenſeantur.* Et ratio eſt euidens, quia talis eſt verè Filius Dei adoptivus: ergo hæres: ergo ſi moriatur, conſequetur hæreditatē ſuppoſita apertione ianuæ Regni per mortē Chriſti: nā Sācti Patres eo detinebātur in lymbo, nō quia illis deficiebat explicita Chriſti fides; quia Adā, Abrahā, Iſaac, Iacob, Moyſes, Dauid, & alij ſaltim hanc fidē habuerunt.

42 Placuit in præſenti morali materia breuiter referre opiniones Authorum; in primis aliqui opinantur fidem Chriſti explicitam eſſe neceſſariā neceſsitate medij toto tempore antecedēti ad aduentum Chriſti, ſed hęc ſententia videtur probabilis nō de fide explicita, qua Chriſtus eſt, & intelligitur talis Perſona, ſed quatenus Mediator, & Redemptor eſt. Imò aliqui volunt hoc non eſſe verū de his qui fuerunt in ſtatu legis naturæ, ſed de his qui legem ſcriptam acceperunt. Videatur *Granados controuerſ. 1. tract. 10. diſp. 2. ſect. 2. & Suar. relat. in ſua ſect. 3. n. 17.* Alia opinio negat neceſſariā eſſe fidē explicitā neceſsitate medij, quā tuetur *Thom. Sāchez lib. 2. in Decalogum cap. 2. n. 7.* vbi plures refert. Tertia opinio eſt, quòd in Lege Euangelij non eſt neceſſaria neceſsitate medij fides explicita Chriſti; ita *Valēcia, & Thom. Sanchez relatus*: & citatur pro ea *N. Scot.* modificant tamen hanc ſententiam aliqui, intelligendo illam eſſe verā quando nō adeſt Prædicatoris copia, ſecus quādo adeſt. Vltima tamen ſententia dicit eſſe neceſſariam fidem explicitā Chriſti neceſsitate medij; quā tenent Authores ſup. citati.

Quarta Subſectio. *Vtrùm in omni ſtatu fuerit neceſſaria fides explicita Myſterij Sanctiſsimæ Trinitatis.*

43 DIco primo, quòd in ſtatu innocētiæ fortè fuit neceſſaria neceſsitate medij ex ordinatione diuina. Sed quidquid ſit de hoc ſtatu. Poſt Adami peccatū ante promulgationē Euangelij, ſufficiebat fides implicita huius myſterij. Ita omnes Doctores, & colligitur ex Scoto relato, & probatur. Quia in tota Scriptura nō inuenitur ſufficiens authoritas ad probandū neceſsitatē fidei explicitę talis Myſterij: nā nullibi inuenitur ſufficienter prædicatū, & propoſitum ad ſic explicitè credēdū ante aduentū Chri-

Christi, qui tanto mysterio perhibuit clarum testimonium.

44 Dico secundo. Post aduentum Christi, & sufficienter promulgato Euangelio necessitate medij est necessaria fides explicita Trinitatis. Ita cõmunis sententia *Lorca disput.* 20. & Authores supra relati ex illo *Matth. vlt. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo sicut ipse baptismus est necessarius, ita fides explicita Trinitatis.

45 Et dico explicita, non quia debeat esse cognitio distincta, & clara, ac quidditatiua mysterij eo modo quo illam habent docti, & litterati, sed sufficit, quod sit cognitio assentiens Deũ esse Vnum in essentia, & tres Personas: vt appareat minus benè Caramuel tractasse præsentẽ controuersiã in Theologia fundamentali sua, nam Theologi illud tantũ volunt contra quod parui momenti sunt subtilitates suæ argumentationis, non verò intẽdunt id quod ipse Caramuel ipsis imponit. Vnde etiam minus benè scrutatus fuit *N. Castillo, Scotum in dist. 25. §. Sed posito, vers. Sed habere solum*; nam ibi Scotus solum negat, esse necessariam cognitionẽ fidei distinctam, & quidditatiuam de constitutiuo naturæ, & personarũ: imò hoc Scotus dicit non esse necessarium adhuc necessitate præcepti in litteratis: non tamen negat esse necessariã fidem formalem, & expressam huius veritatis: *Deus est Trinus in Personis, & Vnus in Essentia.*

46 Ad nostrum argumentũ respondet Castillo, quòd sufficit fides implicita Trinitatis sicut sufficit baptismus in voto, sed cõtra: ergo iam sufficit fides implicita Christi: imò fides explicita Christi non potest haberi sine explicita diuinarum Personarũ; quia fides explicita Christi est assentiri, eum esse Deum, & Hominem in vnitate Personæ Verbi, quæ est secunda Persona diuina: ergo minus consequenter philosophatur Castillus.

47 Respondet Castillo; ex hoc solum sequi, quòd sit necessarium, credere, Christum habere Patrem Deum, non verò esse tres Personas realiter distinctas, & vnitate essentiæ identificatas. Sed cõtra: ergo per te iam est necessarium necessitate medij fides explicita Patris, & Filij, qui sunt vnus Deus: cur ego; quæso, dicat Castillo, excipiat fidẽ explicitam Spiritus Sancti, cuius notitia ita commendatur, & prædicatur, sicut commendatur Christus in vtroque Testamento; quo argumento ipse Castillo confirmauit necessitatem fidei explicitæ circa Christum: ergo cum vtriusque sit eadem ratio, consequenter N. Castillo de fide Trinitatis asserat, ac asseruit de Chri-

Christo. Et licet Cardin. de Lugo dicat nō esse consequentiam necessariam non illi acquiesco; tenet ergo Lugo cū alijs nō esse necessarium necessitate medij credere explicitè mysteriū Trinitatis; sed nullo fundamento efficaci id asserit, & non respondet ad nostra argumenta.

Sectio 3. *Vtrùm aliquo iure sit præceptum interioris fidei, & quorum obiectorum?*

48 SVpponitur vt certū apud Catholicos, dari præceptū actus interni fidei; ex illo *Ioan. 3. Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius.* Ita *Scotus distinct. 25.* & omnes Doctores. Item quia proponitur sub cōminatione damnationis æternæ; *qui verò non crediderit condemnabitur. Marc. vltim.* ergo actus internus fidei est necessarius necessitate præcepti diuini, & supernaturalis; quia præcipitur à Deo circa actum supernaturalem.

49 Difficultas est: an sit præceptum diuinum naturale, an verò tantum positivum? *Pater Lugo disput. 23. à num. 25.* dicit; partim esse naturale, quatenus propoponit res necessitate medij credendas: partim verò positivum, quatenus proponit alias res credendas.

50 Sed pro resolutione nota: quòd dupliciter obligat hoc præceptum; primo, negatiuè; secūdo, positiuè. Et vtraque obligatio dupliciter intelligitur. Nam hoc præceptum obligat primo negatiuè ad non repugnandum fidei sufficienter propositæ, nec retrocedendū ab ea semel recepta. Secundo obligat negatiuè, vt nō admittatur dubium, nec voluntaria formido volūtariè circa res fidei. Positiuè autem obligat. Primo ad assentiendum rebus fidei sufficienter propositis. Secūdo obligat ad audiendū, inquirēdum, & addiscendū res fidei. Secundo suppono, quòd hoc præceptū, secundùm vtramque obligationem, potest cōsiderari secundùm respectum ad obiectū formale fidei, vel secundùm respectum ab obiecta materialia.

51 Hoc posito dico, quòd istud præceptum est naturale diuinum actus interni per ordinē ad obiectum formale fidei: per ordinem verò ad obiecta materialia precisè est positivum: licet, pro quanto actus internus circa obiecta materialia innitatur obiecto formali, semper habet admixtā rationem præcepti naturalis: quia lumē rationis dictat, non solum, quòd Deus est summæ authoritatis, & quod eius testimonium est verum, sed consequēter dictat, propter eius testimonium, quod res testificata sit vera: & ita tam secundùm obligationem positiuam, quàm negatiuam, præceptum credēdi

est

est naturale diuinum, nisi quæstio de voce tantum videtur, vt notauit *Lugo disput. 13. sect. 1. num. 7.*

52 Sed obijcies naturale nō potest præcipere supernaturalia; ergo de fide non est præceptum naturale: quia sunt alterius ordinis. Respōdeo; quòd cum homo sit ordinatus ad fidem supernaturalem, supposita tali ordinatione illud dictamen rationis ex quo oritur præceptum naturale, quasi supernaturalizatur, & sic præceptum naturale fit quasi supernaturale, & vt sic potest præcipere supernaturalia. Vnde si homo discredat, vel non credat nō efficiet duo peccata, sed vnū tantum contra vnicum præceptum naturale diuinū, quod dicto modo est supernaturale. Præterea, quia etiam si sint duo præcepta, quod nego, tamen cum sint circa eandem rem nō multiplicantur malitiæ; quia forent præcepta subordinata; de quo latè dixi *Opusc. de Pœnitentia Sacramento.*

53 Dices: ergo hoc præceptum non est Ecclesiasticum. Respondeo cum omnibus ita esse: videatur *Sanchez 2. lib. Summæ, cap. 3. n. 13. contra Aragon.* Ecclesia enim solum potest determinare, vel insinuare, aut declarare, esse obligationem credendi: ipsa tamen non præcipit credere; quia præcepto diuino supponitur, & naturali præceptum, vt latè diximus *Opuscul. de Baptismo, & de Sacramento Pœnitentiæ.*

54 Sed quæres in præsenti. Hoc præceptum est propriū virtutis fidei? vel pertinet ad aliam virtutem? Respondeo, quòd est proprium virtutis fidei, ratione propriæ honestatis eius. Ita *Pater Suar. disp. 13. sect. 2. Azor cum Valencia*, & alijs, tenet *Felix cap. 12. diff. 5.* Nā infidelitas est speciale peccatum cōtra fidem: ergo est speciale præceptum prohibens infidelitatem, & præcipiens actum fidei per se ex propria virtutis fidei honestate, quæ est captiuare intellectum in obsequium veritatis, & testimonij diuini.

55 Dices: præceptum est de opere naturaliter bono moraliter; sed actus fidei præcisè, vt talis est, non est opus bonum morale: quia est actus intellectus: ergo nō præcipitur ratione sui, sed ratione virtutis moralis. Respōdeo, quòd propter eius honestatem præcipitur, vt actus liber est; licet ex fine operantis propter aliam virtutem præcipiatur, tamen ex fine operis propter honestatem ipsius virtutis fidei.

56 Secunda difficultas nostræ sectionis est: quorum obiectorum sit præceptū fidei actus? Et dico; quòd in lege naturæ, præter ea, quæ necessitate medij erant necessario credēda, ex necessitate præcepti erat necessariū cre-

credere alia obiecta materialia; videlicet præcepta moralia, & ea quæ ad vitam rectè instituendam pertinebant; vt erant præcepta Decalogi, & quæ ex illis necessario oriuntur: item immortalitatē animæ, item quod contrahitur originale in instanti conceptionis (excepto illo, & illa de quibus constat in Scriptura nō contraxisse) item quod protestatio fidei, & circuncisio erant Sacramenta in remedium originalis peccati pro illo statu: item resurrectio mortuorum; & quod Mediator Dei, & hominum erat futurus: & alia, quæ affert *Suarez disp. 13. sect. 3.*

57 In lege autem Scripta, necessitate præcepti erat necesse credere, illam legem Moysi datam esse diuinam; circuncisionem esse remedium originalis peccati: Messiam venturum in reparationem peccati: carnis resurrectionem; & opportebat credere festiuitates, & sacrificia, quæ ex præcepto legis veteris seruabantur, & legalia, & alia quæ sunt in Leuitico, & Exodo.

58 Loquendo autem in Lege Euangelij. Vna sententia dicit; fideles satisfacere præcepto fidei, credendo explicitè ea obiecta, quæ sunt de necessitate medij, & credendo reliqua implicitè; scilicet credēdo in confuso quidquid credit Ecclesia. Alia verò sententia tenet, requiri ex necessitate præcepti credere explicitè illos articulos, quos Ecclesia solemniter celebrat, nō verò alios. Ita *D. BB. in 3. dist. 25. quæst. 3. art. 1. & Durand. quæst. 1.* Quia credere omnes, & singulos articulos fidei, impossibile moraliter est explicitè. Lorca verò dicit, requiri necessitate præcepti, credere explicitè quatuordecim articulos, qui in puerorum tabela, & in Symbolo Apostolorum continentur, & etiam mysteria, quæ solemniter celebrantur in Ecclesia, vt Circuncisio, Præsentatio, Transfiguratio, Aduentus Spiritus Sancti: quia declarat Ecclesia.

59 Alia verò sententia dicit solum esse necessitate præcepti necessariū credere explicitè, & seorsim omnes articulos contentos in Symbolo Apostolorū. Quam sententiā amplector cōsequenter ad dicta *disp. 1. cap. 1. sect. 3.* Et est *Scoti in 3. distinct. 25. §. Sed posito in fide*; sequuntur *Pater Sanchez 2. lib. Summæ, cap. 3. Azor lib 8. cap. 6. Suarez disp. 13 sect. 4. Vazquez 12. disput. 121. Torres disp. 28. dub. 1. Becan.* Docuitque *Alensis 3. part. quæst. 69. memb. 2. & D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 8. ad 6. Hurt. disp. 44. sect. 2. §. 10. Coninch disp. 14. dub. 10.* circa *num* 190. *Lugo disput. 13. sect. 4. à num. 63.*

60 Probaturque hæc nostra cōmunis, & vera sentētia. Quia in Symbolo posuerunt Apostoli quid-

quidquid ad substantiã fidei pertinet, & omnia obiecta, quæ explicitè credita cõtinent alia implicitè: videantur dicta *disput. 1. cap. 1. sect. 3.* Deinde quia in tota Hispania solum hoc est in vsu, & Ecclesia Romana iussu Concilij Tridẽt. in Catechismo ad Parochos, edito etiam ex iussu Pij V. solum proponit Apostolorum Symbolum duodecim articulos continens, & idem habet catechismum à Bellarmino compositũ iussu, & approbatione Clementis VIII. qui vsus est totius vniuersalis Ecclesiæ ab ipsius principio, vt constat ex Concilijs *Agatensi, Bracarensi 2. & Cabilonensi, relatis in cap. 20. & sequentibus de consecratione, distinct. 4.*

61 Confirmaturque ex *Augustin. serm. 181. de Tempore*, dicente: *Symbolum breue est verbis, sed magnum in Sacramentis; quidquid enim de Deo, & Christo in Scripturis traditum est, in Symbolo continetur.* Et *serm. 135.* ait: *Symbolum est regula fidei vestræ breuis, & grandis.* Legatur *August. lib. 8. confessionum, cap. 2.* Secundo confirmatur; quia *Matthæi, & Marci vltim.* dixit Iesus Discipulis, vt irent per vniuersum mundum, & prædicarent, & docerent omnes gentes omnia, quæ eis mandauit seruare, & si crediderint saluabuntur, qui verò non crediderit condemnabitur, sed Apostoli omnia, quæ eis mandauit seruare, & omnem suam doctrinam, & prædicationem reduxerunt ad Symbolum; ergo.

62 Sed dices primo: in Symbolo non continentur Sacramenta Ecclesiæ; sed necessarium est credere saltim Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam: ergo. Item præcepta Decalogi est necessarium credere, & non continentur in articulis Symboli. Item est necessarium credere orationem Dominicam, & omnia hæc explicitè. Item quòd B. Virgo fuit semper talis, & non continetur in Symbolo. Item quòd creatio mundi non fuit ab æterno, sed in tempore, & non continetur in Symbolo.

63 Respondeo quòd necessitas credendi Sacramenta, non oritur ex præcepto fidei, sed ex alijs præceptis propter operationes, & ex præcepto aliarum virtutum, scilicet charitatis, pœnitentiæ, &c. vt inquit acutissimè *N. Michael de Medina de recta in Deum fide, lib. 4. cap. 6.* Vnde ex præcepto honestatis fidei solũ est necessarium credere implicitè Sacramenta. Præcepta autem Decalogi, credere est necessarium, non ex præcepto fidei, sed ex honestate aliarum virtutum, scilicet obedientiæ erga Deum, vel charitatis erga Deum, & proximum. Ad illud de oratione Dominica respon-

pondeo: quòd ea, quæ ibi ponuntur, continentur in Symbolo. Secundo: quia non satis constat de præcepto scientiæ orationis Dominicæ: ignorantia enim eius ad summum erit veniale. Sed demus esse præceptum, non est ex honestate fidei, sed honestate alterius virtutis, scilicet orationis, & studiositatis in orando ad Deum.

64 Ad illud de virginitate perpetua B. Mariæ, *Suarez sect. 4. num. 7. Bañez quæst. 2. art. 8. dub. 2. Coninch num. 189. Granados tract. 10. disput. 3. sect. 2. num. 8. & Castro Palao*, affirmant singulos teneri credere explicitè virginitatem perpetuam Deiparæ, adduntque explicitè contineri in Symbolo illis verbis: *Natus ex Maria Virg.* Alij verò negant explicitè requiri eam fidem in singulis de perpetua virginitate Mariæ. Ita *Azor*, quem sequitur *Sanchez in suo num. 17.* & inclinat Suarez citatus: quia perpetua virginitas non continetur expressè in Symbolo. Alij dicunt esse necessariò credendam explicitè virginitatem Mariæ, à conceptione Filij, vsque ad partum. Ita videtur intelligere *Cardinal. de Lugo*, quamuis *num. 72.* dicat; quòd in Symbolo explicitè profitemur virginitatem Mariæ, etiam toto tempore post partum, & tandem cum prima sententia tenet. Vnde respondetur; quòd solum est explicitè credendum ex vi præcepti fidei, Deiparam post partum mansisse virginem, vel quod Christus fuit natus ex Virgine; quod autem posteà fuerit semper virgo, vel quod à principio ipsius conceptionis pro toto vitæ decursu fuerit virgo, implicitè creditur: licet aliàs sit de fide Beatam Mariam semper, & pro toto tempore fuisse virginem, & constat ex Concilijs, & Patribus, quæ latè affert *Suarez disput. 5. sect. 3.* Ad illud de creatione mundi in tempore respondetur contineri in Symbolo.

65 Dices. Ea quæ in lege naturæ, & scripta veteri erant necessario credēda, etiam nunc sunt credenda necessario: quia fides nunquam potest minui, sed tamen ea non sunt in Symbolo: ergo. Respondo sufficere, vt credantur implicitè; & continentur in fide Symboli, vt explicui *disput. 1. cap. 1. sect. 3.* omnes enim veritates fidei explicitè credere, est impossibile, sufficit enim credere principaliores, & sunt in Symbolo.

66 Sed notandum est, esse differentiam inter homines; nā quidam sunt Parochi, Magistri, Prædicatores, Prælati, & Episcopi; & isti ex speciali officio tenentur amplius scire de veritatibus fidei, & sic ex præcepto orto ex obligatione suorum offi-

officiorum, nō verò ex ipsa honestate fidei tenentur credere ex alijs propositionibus fidei, & obiectis, vt cęteros fideles in fide necessaria instruant, & doceant, possintque eos, qui contra dicunt arguere, ex *ad Timoth. 1. & Trident. sess. 7. cap. 1. & sess. 22. cap. 2.* Videatur *Suarez disp. 13. sect. 6.* & isto modo potest esse vera, & non improbabilis illa prima sententia *num. 58.* relata, pro qua refert *D. Thom. & Sanchez cap. 3. num. 3.* aliquos Canonistas, vt *Innocentium Hostiensem, Andream, Abbatem, Annaniā, Baldū, Zanchinum*, & alios: quā sententiam, si vt sonat acceptetur, vt erroneam damnant *Valencia, Ledesma, & Sanchez*: imò *Bañez* dicit esse hæreticam, & damnatam in *Directorio Inquisit. 2. part. quæst. 10. hær. 8.* Sed *Suarez sect. 4.* ab hac censura excusat.

67 Altera difficultas est; quādo obligat fidei præceptum? Et prima sententia (loquendo de positiua obligatione præcepti circa actum credēdi) dicit, obligare per se diebus festis. Secunda sentētia dicit; quòd in diebus in quibus celebratur aliquod fidei mysterium. Tertia sententia dicit, obligare semel in anno. Quarta defendit obligare solum in articulo mortis. Quinta dicit, obligare in hac vita ad arbitrium boni viri. Sed aliquas ex istis sententijs clarè reijcimus *tractatu de Pœnitentia virtute*, vbi retulimus earum Authores.

68 Consequenter igitur ad dicta in illo *Opuscul. de Pœnitentia virtute*, dicēdum à nobis primo est. Præceptum fidei per se obligat statim moraliter, ac sufficienter proponitur obiectum Fidei. Ita *Suarez disp. 13. sect. 5. Sanchez lib. 2. cap. 1. n. 2. in Sūma. Azor, & Valencia*: sequuntur *Castillo disp. 11. q. 3. n. 13. Felix c. 12. diff. 8.* Sed iste loquitur inconsequenter ad dicta in *tract. de Pœnitentia virtute.* Et non possum non mirari, ipsum parui facere cum alijs nostram illam sententiam de necessitate pœnitentię, scilicet obligare statim, ac occurrunt memoriæ peccata practicè, vt detestabilia, cum manifestè hæc ab ista sua præsenti conclusione non differant, sed omnino sunt eadem.

69 Sed quidquid sit de hoc; nostra sentētia hic breuiter probatur. Quia cum fides sit medium ad salutem sine fundamento necessario amplius differtur cum tempus commodius non posit assignari. Quod confirmatur; nam immediatè statim, ac Deus dixit Apostolis: *Docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ*, statim ait: *Qui crediderit saluabitur, qui verò non crediderit condemnabitur*: ergo statim moraliter, ac homo habet sufficientem notitiā præcepti fidei, ac prudentem cre-

credibilitatem obiecti obligat præceptum. Confirmatur secūdo: quia oppositum facere, est paruipendere diuinum præceptum, & habere irreuerentiam diuinæ authoritati.

70 Dices: ergo quotiescunque non proponuntur mysteria fidei sufficienter hominibus, vt à Deo reuelata, excusantur homines ab adimpletione præcepti, & non imputabitur illis non adimplēdo positiuè illud. Respondeo cōcedendo; sed vè Magistris, Parochis, Pastoribus, Patribus, & Episcopis.

71 Dices: quando vrget grauis tentatio contra fidē, est obligatio credendi? Respondeo, esse obligationem per se, si tentatio alias vinci non potest. Ita *Suarez sect. 5. n. 6. Coninch.* & alij multi inter quos *Sanchez, & Lugo disp. 13 sect. 2. n. 46.* & sic intelligunt aliqui illud *Petri epistol. 2. cap. 5. cui resistite fortes in fide.* Sed placet etiam, quod dicit *Sanchez in suo n. 3.* non esse scrupulosis consulendum hoc remedium, quod positiuè eliciant actum fidei, nam Christ. D. dixit: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*; & sic alijs actibus potest diuertere tentationem contra fidem.

72 Idem iudico dicendum, quando quis confessurus est fidem coram Tyrano: quia sine actu interiori illa confessio non potest fieri. Præterea, quia tunc grauis tentatio vrget contra fidem directè. Ita *Suarez sect. 5. n. 6. Sanchez cap. 1. n. 3. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 12. num. 6. & Lugo num. 48.* Sed scrupulosi non repetant actus fidei, sed negligant tentationē, & Tyranum: ne grauius anxiētur, & tentationi succumbant.

73 Etiam, sed per accidens obligat, quando quis tenetur, elicere aliquid, quod non potest fieri, sine actu fidei: v. g. quando tenemur elicere actum spei, vel charitatis, vel tenemur recipere aliquod Sacramentum. Ita *Lugo. n. 50. cum Castro Palao*, & alijs, & *Suar.* citatus. Sed qui tale præceptum spei, vel charitatis frāgeret, non committeret duo peccata, sed vnum: quia actus fidei, non præcipitur, nec obligat tunc propter se, sed propter finem; & sic omissio actus fidei solum habebit malitiam finis, scilicet contra virtutem spei, aut charitatis, non verò malitiam medij, vt docet accuratissimè Sanchez relatus cum alijs.

Sectio 4. *Vtrùm rerum fidei, detur ignorantia inuincibilis?*

74 IGnorantia inuincibilis est, quæ ab ignorante nō potest vinci, vel industria, & studio, vel quia non venit in eius mētem cognitio eius, cuius habet ignorantiam. Vnde ista ignorantia excusat à culpa. *D. Bo-*

nauentura dist. 25. art. 1. q. 3. Loquendo regulariter de fidelibus, negat talem ignorantiam in eis. Sequuntur *Durand. Gabriel, Angelus, & Siluester, atque Manuel Rodriguez tom. 1. cap. 88.*

76 Dico primo. In infidelibus datur ignorātia inuincibilis rerum fidei. Ita *N. Medina de recta in Deum fide, lib. 4. cap. 8. Lorca disp. 30. Sanchez in summa lib. 2. cap. 13. Vazquez 1. 2. disp. 121. Ægid. disp. 14. dub. 11. & vterque Hurtad.* & tenet *Suarez disp. 17. sect. 1. & 2. Coninch. disp. 18. dub. 2. Lugo disp. 13. sect. 1. n. 24.*

77 Probaturque experientia; nam inter infideles sunt multi, qui non audierunt penitùs de rebus fidei, nec verbum, vel si audierunt non intellexerūt, vel si intellexerunt, inuincibiliter sunt obliti: ergo toto illo tēpore habent inuincibilem ignorātiam fidei: vt existimo haberi apud Indos remotos, tā in Oriēte, quàm in Occidente.

78 Dico secundo: in fidelibus datur inuincibilis ignorātia rerum fidei. Ita Authores relati. Probatur generaliter de omnibus hominibus ex illo *Ioann. 15. Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent*: Intellige infidelitatis: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Sed certè ex isto loco solū probatur, ante aduentum Christi fuisse ignorantiam de rebus fidei in infidelibus, & fidelibus: nunc autem post eius aduētum, non excusat ignorātia à fide, vt clarè innuunt verba Christi D. relata: & Augustinus solum loquitur de fidelibus, aut infidelibus ante aduentum Christi, non verò post aduentum eius. Vnde totum fundamentum nostræ conclusionis ruit.

79 Aliunde ergo huius cōclusionis veritas fundanda est. Videlicet: quia Parentū, Parochorum, Prælatorum, Episcoporū, ac Confessorum negligentia tāta est, vt propterea multi inter infideles baptizati inuincibiliter ignorent multa ex mysterijs fidei: imò aliqui, & nō pauci penitus omnia, nō minus, ac barbari, ignorant, sicut multoties expertus sum in cōfessionibus, quibus postquam, vt potui tunc, instruxi in necessarijs fidei, iniūxique pœnitentiam, quod suos Parochos adirent, vt instruerēt commodius in rebus fidei.

80 Sed obijcies: quod ad *Rom. 10. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: ergo omnes habent notitiam fidei. Respondent aliqui, quod ly *in omnem terram, & in fines orbis terræ*, intelligitur solū de Prouincijs Romano Imperio subiectis: qualiter *Luc. 1* dicitur: *Exijt edictū, vt describeretur vniuersus orbis.* Alij verò ex *Aug. epistol. 80.* referunt illa verba non pro nunc, sed vsque ad finē mūdi: & sic stat nunc aliqua ignoran-

rantia inuincibilis fidei. Alij verò fatentur sensum literalē corticis; sed dicunt, quod in multis Prouincijs non fuit receptum Euangelium: & sic extincta est memoria illius in posteros: ac sic habēt ignorantiam inuincibilē. Quarto addo, quod negligentia Pastorum Ecclesiæ est causa, vt multi fideles habeant istam ignorantiam.

81 Obijcies secundo. Ergo multi possunt saluari de facto, sine fide: quia possunt viuere benè adimplendo præcepta naturalia habentes ignorantiam inuincibilem fidei. Respondebis; quod Deus illuminabit. Sed tūc contra est: ergo iā non datur ignorantia inuincibilis fidei. Respondebis secundo cum Ægidio: quod iste talis, si moriatur, non saluabitur, sed ibit ad Lymbum paruulorum. Sed cōtra: quia iste nullum habet peccatū, nec originale; quia suppono in pueritia baptizatum. Vnde solutiones P. Felicis nullius momēti sunt. Respōdebis tertio: quod ad veritatem conclusionis, sufficit, quod per multum temporis habuerit ignorātiam, antequam specialiter illuminetur à Deo; & sic compatitur, quod nemo sine fide saluetur, & quod per multū tēporis detur ignorantia inuincibilis fidei: alij autem, qui condemnantur habentes ignorantiam inuincibilem non damnātur, quia carēt fide, nam hoc eis non est imputabile, sed propter alia peccata, vel contra præcepta Decalogi, vel contra præcepta naturalia.

82 Dices: Quod *Ps. 78.* dicitur: *Effunde iram in gentes, quæ te non nouerunt*: quia relictā fide veri Dei colebant Idola ignorātes verum Deum. Respondeo, quod illa ignorantia non fuit inuincibilis, sed valdè faciliter vincibilis. Sed cōtra: quia vnusquisque tenetur scire, ea quæ ad suum statum pertinent, sed ad statum Christianorum spectat fidei notitia: ergo ignorātia rerū fidei in Christianis est vincibilis. Respōdeo: si eis proponātur res fidei sufficiēter, cōcedo; si verò nō proponātur, & si proponantur non sufficiēter, nego.

83 Ex dictis colligo cum *Sanchez lib. 2. summ. cap. 3.* & alijs. Confessores teneri interrogare pœnitentem doctrinam Christianam: quoties probabiliter timent illam ignorare; & absoluendus est pœnitens, si confiteatur, & pœniteat de sua ignorantia cum proposito emmendæ; nisi sæpè admonitus pœnitens in ignorantia perseueret. Si autem pœnitens sit in articulo mortis, Confessor faciat, vt credat ea, quæ sunt de necessitate medij. Alij casus sunt faciles, & ideò abstineo ab eis; & quia etiā de illis satis dixi tract. de Baptismo, & de Pœnitentia Sacramento.

CAPVT II.

De actu exteriori cõfessionis Fidei.

Sectio. 1. *Vtrùm externa Fidei confessio sit actus virtutis Fidei diuinæ?*

84 REspondetur: Quod confessio fidei exterior non est actus ita proprius fidei infusæ, sicut exterior actus temperantiæ est actus virtutis temperantiæ. Probatur, quia virtus tẽperantiæ non consummatur interius, sed exterius; virtus autẽ infusa fidei, interius cõsummatur: quia actus internus fidei, in esse virtutis fidei, sine actu externo est perfectus; non verò sic actus temperãtiæ interior: quia talis solum est temperantia in affectu, non verò in effectu. Nihilominus tamen exterior fidei confessio est actus elicitus secundarius, virtutis fidei infusæ. Ita *D. Thom. in præsenti, quæst. 3. art. 1. & Suarez disp. 14. sect. 1. Gaspar Hurt. disp. 9. diff. 1. Felix, & Castill. Lug. disp. 14. n. 9. sect. 1.*

85 Probaturque hęc cõclusio sic. Quia talis actus habet eãdem honestatẽ, obiectũ, & finem, ac habet actus internus, cuius est manifestatio, & signũ ex imperio volũtatis: ergo ab eadẽ virtute oriũtur. Et confirmatur: quia exterior infidelitas cõtrariatur fidei: ergo actus exterior fidei oritur ab habitu fidei ex imperio volũtatis propter honestatẽ ipsius fidei. Quod autẽ nõ primario, & per se, sed secũdario oriatur, probatur. Quia finis per se intentus à fide non est honestas actus externi, sed solũ actus interni: aliàs, qui exteriusnõ fuisset fidem confessus, non fuisset verè fidelis, etiã si interius confessus fuerit, quod minimè potest dici: ergo confessio exterior solũ erit actus secundus, non verò primarius, & per se intentus à virtute fidei infusæ. Sicut oratio mẽtalis, & votũ interius factũ ad virtutem Religionis spectant per se, non tamen oratio vocalis, & votũ exterius, sed solũ, vt actus secundarij, & quasi ex abundãtia, & veluti actus superabundantes ad rationẽ virtutis: & ita intelligitur illud *Psal. 135. Credidi propter quod loquutus sum, & illud 1. ad Corinth. 4. Credimus propter quod, & loquimur.*

86 Sed obijcies: exterior confessio fidei potest esse sine cõfessione interna: ergo nõ oritur ab habitu fidei: & à cõtrario; potest quis exterius negare fidẽ, & interius eã non negare; sed cõfiteri: ergo exterior cõfessio nõ est actus virtutis fidei. Mirũ est quãta, vt soluant hoc argumentũ, loquuti sint Authores. Respondeo ergo: hoc argumentum solũ probare non esse actũ primariũ, & per se; nõ verò probat, nõ esse actũ secundariũ. Secũdo respondent alij; quod non est ad propositũ argumentũ: quia dubiũ, solũ procedit de cõfessione ve-

vera, & honesta non verò de ficta. Dices: quod confessio exterior pertinet ad virtutem Religionis. Respondeo: quod Religio est virtus transcendens; & sic directè poterit esse actus Religionis, & secundario actus fidei: quia virtute fidei etiam colimus Deum actu externo fidei.

87 Dices. Habitus fidei est in intellectu; sed exterior fides est libera, & in labijs: ergo non prouenit ab habitu fidei, sed à virtute infusa in voluntate, vel in labijs. Respondet *Felix cap. 13. diff. 1.* in fine: quod sicut actus interior elicitur liberè ab intellectu, & habitu in ipso existente, ita actus exterior. Ferè eodem modo respondet *Castillo disp. 2. q. 1. num. 9.* scilicet: quod confessio exterior elicitur moraliter à virtute fidei, & à pia affectione, vel ab alio actu voluntatis secũdario. Eodem modo respondet *Lugo* citatus. Videtur fortè posse dici; quod cum anima rationalis identificetur realiter, cum potentijs, habitus fidei realiter est in anima, & in quacumque potentia animæ; & sic etiam est in voluntate, vt assensus internus, & externus sit voluntarius. Sed non est recedendum à prima solutione, quæ genuina est.

88 Sed obicijt *P. Lorca 2. 2. q. 3. ad art. 1. Torres*, Ægid. & alij tenentes, esse propriè, & per se actum virtutis fidei. Confessio exterior ordinatur ad finẽ virtutis fidei, sicut interior, scilicet ad exhibendum obsequium authoritati Dei dicentis, & reuelantis: ergo. Et confirmant: quia habitus fidei inclinat per se in externam fidei confessionem, sicut in internã: ad quod facit illud: *Credidi propter quod loquutus sum, & credimus propter quod loquuti sumus Psalm. & Paul.* Respõdeo hoc solum probare, quod confessio exterior est actus virtutis fidei, non verò primarius, & per se requisitus ad honestatẽ, & perfectionem virtutis fidei, sed secũdarius, vt diximus. Quãquam hæc sententia Lorcæ probabilissima mihi est, vt infrà confirmabitur.

Sect. 2. *Vtrùm exterior confessio Fidei, & pro quo tempore, obliget?*

89 CIrca primum respondetur affirmatiuè cũ *Magistro in 3. dist. 25.* vbi eius Expositores *Suar. disp. 14. sect. 2. Lorc. disp. 24. memb. 2. Thom. Sanch. lib. 2. sum. cap. 4.* ex illo: *Qui me erubescit coram hominibus, erubescã, & ego eum coram Patre meo. Luc. 9. & ad Rom. 10.* dicitur: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem cõfessio fit ad salutem*, vt communis Sanct. Patrum expositio fert, & satis clarè ex cõtextura capitis patet: quia quod subdiderit Paul. *Quicunque inuocauerit nomẽ Domini, hic saluus erit*; nõ tollit, hoc præceptũ colligi ex pręcitatis verbis, etiam si inuocare nomen

men Domini, sit orare: quia potest inuocari nomen Domini, & orari per externam fidei confessionem, vt vult *Augustin. lib. de grat. & libero arbitrio*, dicens: *Credendo impetrat, quod lex iubet.*

90 Circa secundum dico primo: Quod per accidens obligat istud præceptum, quando actus exterior fidei est necessarius ad exercendum actum Religionis, aut administrandum aliqua Sacramenta, vel ad audiendum sacrum; & quando occurrit necessitas docendi, & instruendi proximum in rebus fidei; vel cõfortandi, aut exhortandi proximum, ne à fide decidat: hæc enim necessitas magis ex virtute charitatis, aut Religionis oritur, quam ex virtute ipsius fidei; ita omnes.

91 Dico secundo: hoc præceptum obligare per se, quando adultus suscipit Baptismũ. Quia tunc obligat exterior fidei confessio, vt visibiliter vniatur Ecclesiæ, & constet Ecclesiæ de sua voluntaria susceptione. Si verò in infantia susceptus est Baptismus, sufficit, quod cum ad pubertatem peruenit, confiteatur articulos fidei. Videatur *Suarez* supra relatus.

92 Dico tertio. Quod istud præceptum obligat per se, quoties ex non confessione formali, exteriori oritur iniuria fidei, v. g. si ex omissione confessionis fidei sequatur, vel timeatur sequi credendum nostram fidẽ non esse veram; vel quando ex omissione confessionis, proximus constituendus sit in proximo periculo negandi veram fidem, vel contemnendi illam: tunc obligat hoc præceptum per se: quia in omnibus istis casibus agitur contra specialem honestatem virtutis fidei diuinæ: nam ad eamdem honestatem virtutis spectat, elicere actum conformẽ ipsi, & impedire peccata cõtra ipsam. Videatur *Suar. disput. 14.* & alij ab ipso relati.

93 Dices. Siquis videat imagines sanctas contumelijs affici licebit tunc omittere actum fidei? Respondeo negatiuè *cum Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 5. ex Manuele Rodriguez, & Aragon.* Quod idem dico, si qui coram nobis irrideant nostram fidem, aut blasphement: tunc enim tenemur magnificare fidem, & obiurgare, & reprehendere illos, si grauiùs malum prudenter non timeatur.

94 Circa eos autem, qui promouentur in Parochos, Canonicos, & Dignitates Cathedraliũ, in Episcopos, Primates, & Patriarchas est præceptum Ecclesiasticum, vt fidem profiteãtur actu externo intra certũ tempus oportunum, scilicet ad duos menses à collatione Dignitatis. Quod præceptum Pius IV. extendit ad Prælatos Religionum, & Pius V. ad omnes Doc-

to-

ctores, Magistros, & ad promotos ad Cathedram, & lecturam adhuc Grammaticæ, sed per nō vsum derogatum hoc est. Quantum ad Prælatos, & Lectores, legatur *Sanchez cap. 5. & Suarez disp. 14.*

Sectio. 3. *Vtrùm exterior negatio Fidei sit prohibita?*

95 LIcitum esse tempore persequutionis, & tormentorum ad tuendam vitam, negare exterius fidem, dum tamē corde teneatur, affirmarunt aliqui hæretici, vt testatur *Euseb. & Epiphanius* apud *Suarez disp. 14. sect. 1.* & citantur pro isto errore Priscilianistæ.

96 Sed veritas Catholica affirmat de fide, semper esse malum, & prohibitum negare exterius fidem Christi, nec posse honestari pro tuenda vita. Ita expressit Christus Dominus, *Matth. 10. Qui negauerit me corā hominibus, negabo, & ego eum.* Vnde *Luc. 9.* ait: *Qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam, & qui erubuerit me coram hominibus, erubescam, & ego eum.* Vnde *2. ad Timoth. 2. Si negauerimus eum, & ipse negabit nos, nam si corde creditur ad iustitiam ore cōfessio fit ad salutem, ad Rom. 10.* Videatur Suarez relatus, ex facto Machabæorum, & antiqua totius Ecclesiæ traditione, & prohibitione, ex Sanctis Patribus. Ratio autem est efficacissima. Quia negare fidem exterius est mentiri, & facere Deum mendacem, sed hoc est intrinsecè malum, & nulla via potest honestari: ergo. Nec ibi valet amphibologia, quia reuera teneor respondere veritatem: aliàs grauitèr læditur diuinum ius, quod proprię vitę debet anteponi.

97 Vnde qui negat se esse Christianum mortaliter peccat; & similiter si neget se esse Catholicum, aut Papistam. Vt patet in peccato Petri. Similiter peccat negans, nostram fidem esse veram, aut saluti necessariam: similiter qui dicit se esse Iudæum, aut Mahometanum, aut Caluinistam, &c. quia quilibet ex his implicitè negat fidē. Dices: ergo si bello Indorum (vbi Indi per nomen *Christianus* intelligunt hostem, & inimicum, auarum, & crudelem) Indus interroget Petro; est Christianus? non poterit licitè negare Petrus. Respondetur non peccare negando: quia in isto casu, nec indirectè negatur fides, sed negatur conceptus mentis Indorum de Christianis, non in odium fidei Christi, sed cōditionis Christianorum materialiter.

98 Dices: ergo qui negaret se esse Sacerdotem, cum sit, non peccabit contra fidem: & similiter negans se esse Religiosum. Respondeo affirmatiuè cum *Ægidio disp. 15. dub. 2. & Sanchez lib. 2. cap. 5. num. 10.* etiam si ista

interrogatio fieret ab hæretico. Dices: qui blasphemat peccat formaliter contra fidem? Respondeo, quod non, sed solũ cõtra Religionẽ. Ita *Sanch.* & *Suar. in suo n.* 22. & sequitur *Felix*. Sed inquires: quale peccatũ erit, negare, se esse Religiosum, Sacerdotẽ, vel Christianũ in casibus relatis? Respondeo: esse tantum veniale: & si adest causa vtendi amphibologia, nullũ est peccatũ, sed fortè potest esse meritoriũ, vt notat *Suar. n.* 10. in fin. & *n.* 11. *cũ Nauarr.* Vnde ex his casibus de multis alijs, facilè potest iudicare.

Sectio. 4. *Vtrùm factis, aut verbis ambiguis falsam sectam, simulare licet?*

99 LOquimur de simulatione, qua videns, vel audiẽs decipitur, existimans nõ repræsentatoriè, sed verè simulantem esse illius sectæ. Ex rationabili autem causa licere, sensit *Adrian. in* 4. *q.* 1. *de Baptismo, art.* 1. dummodo non simuletur animo illam profitendi. Citatur etiã pro hac sententia *Lorc.* 1. 2. *disp.* 35. *memb.* 12. & 2. 2. *disp.* 24. *membr.* 1. Sed Castillus, qui eũ sic citat deceptus est meo videri, quidquid dicat *Lugo disp.* 14. §. 4. *n.* 113. citantur etiam *Medina*, & *Caiet.* & non iudicat improbabile Valencia, si ex graui causa, sine scandalo, fide interna retẽta, & sine animo exercẽdi cultũ, sed solũ ex simulatione, & quãdo nõ vrgeat præceptũ fidei externæ; in quo sensu intelligo aliquos Theologos sentire cũ Valencia, quos refert Hurtad. *disp.* 49. §. 61.

100 Verũ nõ licere est omniũ sententia cõmunissima absolutè vera, & sequenda; quã tenet *Suar. disp.* 14. *sect.* 4. dicens oppositã esse singularẽ, & posse esse pernitiosam. Tenet etiã *Sanch. lib.* 2. *Summæ c.* 4. *cum D. Tho. ex N. Alens.* 3. *part. q.* 183. *mẽb.* 2. & *Suar.* citat *Valenc. Caiet. Siluestrũ, S. Antonin. Toletum, Angelũ, Nauarrũ, & seipsum, lib.* 9. *de legib. c.* 17. & *lib.* 6. *contra Regẽ Angliæ, c.* 9. *Vazq. q.* 1. 2. *disp.* 182. *c.* 5. *Coninch. disp.* 15. *dub.* 5. *n.* 39. *Turrian. disp.* 35. *dub.* 5. *Castro Palao tract.* 4. *disp.* 1. *pun.* 6. *n.* 3. dicens: oppositũ esse improbabile: & alij minus piè, oppositã opinionẽ, errorem damnatũ censent; sequitur etiã *Lug. disp.* 14. *sect.* 5. §. 4. *n.* 114.

101 Tenet etiam expressè S. Aug. hanc sententiam *epist.* 19. *ad Hieronym.* dicẽs: *Satius esse mori, quam Idolotitis vesci.* Quia ex 1. *ad Corinth.* 10. *Non licèt fieri socios Dæmoniorũ; nõ potestis calicem Domini bibere, & calicẽ Dæmoniorũ.* Et *S. Chrisost. homil.* 25. *in Matth. in præfactione*, inquit: *Si tibi tantũ Deus cor creasset sufficeret tibi fides cordis: nunc autem, os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis.* Videantur omnia Chrisost. verba in *Suario contra Regem Angliæ, lib.* 6. *c.* 9. *n.* 24. vbi Origenem, Cyprian. & alios Sãctos Pa-

Patres pro hac sentētia cōgesit.

102 Probaturque primo ab inconuenientibus. Aliàs Gētilis conuersus ad fidē in Iaponia sub Rege infideli, vt fidē occultet, posset incēsum offerre Idolis; & alias superstitiosas cærimonias facere, quod est plusquā falsum. Et idē filius infidelis conuersus ad fidē, ex timore reuerentiali Patris, vel ne hæreditate priuetur, poterit licitè, simulare sectā Patris, quod sustineri nō potest. Præterea, quia Ecclesia, & Patres damnarūt libellaticos, sic dictos, quia retēta interius fide, ne pecunias, & alia amiterent Præsidi dabāt pecuniā, vt daret illis Chyrographum, & schedulā, seu libellum, vbi Præses affirmabat, & testificabatur, eos immolasse Idolis: ergo eo est, quia est illicitum, simulare verbis, aut factis sectam falsam.

103 Ratio autē à priori ea est. Quia tale verbū, au factum, quo simulatur falsa secta, non solum est occultatio veritatis diuinæ, sed formale mendacium contra testimonium expressum diuinæ veritatis; ex quo maxima irrogatur iniuria authoritati, & iurisdictioni diuinę; sed hoc est intrinsecè malū: ergo illud nō potest aliqua via honestari. Itē iuri Ecclesię, & Gentiū, ac iuri naturali irrogatur iniuria: ergo. Displicet hæc ratio *Eminentissimo de Lugo, n.* 116. sed certè displicere non debuit: quia *n.* 118. dum rationē à priori huius sentētiæ cōmunis, & veræ, tradere studuerit, nō aliā, nisi relatam tradidit.

104 Sed obijcies pro Adriano. *Hieron. super* 2. *ad Galat. epist.* 89. *ad Aug.* dicit: Apostolos propter prudentē simulationē seruasse cærimonialia veteris legis sine peccato, quę tamē erant mortifera: ergo i Respondeo, quod illæ cærimoniæ veteris legis nō erāt in se malæ, sicut cærimoniæ falsæ sectæ, nec erant absolutè prohibitæ; & sic licitè potuerunt Apostoli tūc illis vti: imò posteà nō ex animo obseruandi legem Moysis, seu iudaizādi; quia in se nō sunt malę. Videātur, quę circa hoc dixi *opuscul. de legibus disp.* 3. *c.* 2. *sect.* 6. vbi dixi: aliquos exponere Hieronymū de simulatione dispensatoria, nō verò de simulatione reali. Alij verò dicūt; quod Hieronymus nihil determinādo dixerit, sed solū referēdo aliorū placita: Alij verò dicunt; quod si Hieronymus fauet sententiæ Adriani, non est sequendus; sed desserendus, & sequendus Augustinus.

105 Quod si obijcias: *Paulū Act.* 16. circuncidisse Timotheū, & *cap.* 21. *in cenchris* totondit caput sibi, & *cap.* 24. venit Hierosolimis facturus eleemosynas, & purificari in Templo: quæ omnia simulatè facta fuisse ab ipso, ne Iudæos à se auerteret cōstat *ex* 1. *ad Cor.* 9. vbi inquit Apostolus: *Factus sum Iudæis tan-*

tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer illis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege. Respondeo: quod licet post Pentecostem opera antiquæ legis cessauerint, non tamen erāt mortifera, & prohibita: & sic potuerunt nō illicitè, omnia illa fieri tunc à Paulo, vt dixi loco citato de legibus.

106 Quod si obijcias: Paulum restitisse Petro, quia reprehensibilis erat *ex 2. ad Galatas.* Respondent aliqui: hanc reprehensionem fuisse simulatè factam ex conuentione inter ipsos Apostolos, vt docent aliqui Sancti Patres relati apud Suarez. Alij verò dicunt: Petrum verè fuisse reprehensibilem, quia veniali culpa non caruit. Alij verò omnino immunem à culpa Petrum defendunt: quia quod sicut non erat prohibitum, nec illicitum, tamen non expediebat fieri tunc ex opinione Pauli: videantur dicta *opuscul. de legibus citato, à num. 92.* quia in præsenti amplius calamum protrahere non licet.

107 Obijcies. Quia 4. *Reg.* 5. Naaman petijt licentiam ab Elisæo, vt posset genuflectere animo ficto, quando committeretur Regem in templo Idolorum; cui annuit Elisæus dicens: *Vade in pace.* Atque Iehu. 4. *Regū* 10. finxit, se velle sacrificare Baal, vt haberet occasionem occidendi omnes Sacerdotes illius Idoli: cui Deus dixit: *Studiosè egisti quod rectum erat in oculis meis.* Respondetur cum *Lyra, & Abulens. quæst.* 25. quod Naaman non petijt licentiam adorandi simulatè Idolum, sed seruiendi genuflexus Regi suo, & Domino naturali, & ad hoc tātum dedit illi permissionem Elisæus; quod non est, simulare idolatriam, sed facere cærimoniam indifferentem, quæ etiam cum Principibus Christianis, & alijs dominis exercent serui: & ita respōdent *Castro Palao punct. 16. num. 4. Coninch. disp. 15. num. 46. & Lugo num. 119. ex Suario sectione illa 4. in suo num. 8.* Vnde noster *Castill.* corrigendus est tribuens Suario aliam solutionem. Alij verò vt Lorca, & Valencia dicunt: Elisæum non approbasse, sed solū permisisse illud malum ad vitandum maius malum, scilicet, ne Naaman retraheretur omnino à fide: & colligunt ex illis verbis: *Deprecaberis Dominum pro seruo tuo, vt ignoscat Deus seruo tuo pro hac re.* Sed contra: quia Elisæus dixit ei: *vade in pace*, id est noli de hac re turbari; quia hoc non imputabitur ad culpam.

108 Ad exemplum de Iehu respondet omnis Schola cum *S. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 1. ad 2.* quod Iehu laudatur de zelo cōtra Baal, & contra Sacerdotes eius, illos occidendo: non verò laudatur eius simulatio graui ma-

macula infecta. Alij cum Abulensi dicũt: Iehu peccasse veniale, & cum finis eius erat bonus ideò laudatur. Sed alij censent illam simulationem inculpabilem ex ignorantia inuincibili, & sic potuit laudari. Sed certè difficilis mihi est iste locus contra communem opinionẽ in fauorem opinionis Adriani.

109 Dices: simulatio falsæ sectæ non est contra præceptum affirmatiuum: quia hoc nõ obligat pro omni tempore; neque contra præceptum negatiuum: quia simulare non est negare: maximè stante fide in corde. Et confirmatur: quia simulatio licèt in alijs materijs: ergo in fide. Respondent Authores communis sententiæ: quod simulatio est contra præceptum fidei affirmatiuum secundario, pro quanto omittitur actus fidei exterior, & similiter est contra tale præceptum, vt est negatiuum, pro quanto elicitur actus oppositus præcepto, & prohibitus per præceptum. Ad confirmationem est discrimen; quod in alijs materijs non irrogatur grauis iniuria Religioni, & authoritati diuinæ, sicut simulando falsam sectam.

110 Dices: Ecclesia Abissina obseruat circunciſionem, & nõ sunt schismatici, nec hæretici, sed tolerantur ab Ecclesia: ergo. Respondeo, quod circunciſio Æthiopum, & Abissinorum non est simulatio Iudaismi, sed sine simulatione fit præcisè in memoriam Christi, & quia Christus circunciſus est: existimando circunciſionem illis, non prodesse. Verũtamen iudico actionem istam superstitiosam, & suspectam vehementèr de hæresi.

111 Sed objcies: non est illicitum simulare voluntatem peccandi: ergo neque falsam sectam simulare. Antecedens probo multis exemplis. Primum: Sanctæ Apolloniæ; quæ apprehensa, vt cõbureretur pro fide, *paulispèr quasi deliberans stetit*, vt libera de manibus Gentilium ipsa se in rogum injceret. Secũdum; nam sanctæ septem Martyres apud Surium ex Methaphraste tertia die Februarij dixerunt: *Vt dijs sacrificemus eamus prope lacum*; quod fecerunt, vt eijcerent in lacum Idola, sicut fecerunt. Tertium; illa sancta Machabæorum septem Fratrũ: Mater *promisit se suasuram filio suo*; quod non fecit nisi oppositũ, vt habetur *lib. 2. Machabæorum*. Quartum Sanctus Iulianus Martyr apud Surium nono Ianuarij refertur, quod dixit: *Hortaris vt dijs tuis immolemus, id facere non piget: nam idcò dissulimus, vt in hoc templo magnum sacrificium cunctis cernentibus immolaremus*; quod simulauit, vt omnes Gentiles cum eorum Sacerdotibus ibi corruente templo eius

eius oratione perirēt. Quintum Sanctus Ambros. vt Episcopatū fugeret finxit voluntatem, & animum peccandi cum meretrice domi Ambrosij aducta eius iussu. Sextum multi Sancti, apud Surium in vita Sancti Abrahæ Eremitæ 16. Martij, finxerunt animum, & voluntatem peccādi cum fœminis, vt commodius eas ad pœnitentiam reducerent: ergo non est illicitum simulare voluntatem peccandi: ergo neque falsam sectam simulare.

112 Vt huic argumēto occurrat Eminentissimus de Lugo aliqua dicit difficilia, sed scitu digna *à num.* 124. In summa ergo concedit antecedens, scilicet ex graui causa licere simulare, & fingere voluntatem peccandi: & consequenter oppressus præiactis exemplis. Cōcedit consequentiam: scilicet, quod ex causa grauissima concernente ipsam fidem, & augmentum Religionis, non est illicitum, fingere animum peccandi contra Religionis, aut fidei obligationem: & sic non esse illicitum, falsam sectam simulare verbis, aut factis ambiguis. Equidem solationi acquiesco; sed tunc contra ipsum sequitur incidere in Adriani sententiam, quam cum communi tententia impugnat: etenim Adrianus nihil amplius dixit, quam quod fatetur Cardinalis de Lugo: non ergo Adriani sententia est deserenda, imò videtur ab omnibus amplexanda: & ita in hac controuersia existimo Doctorum sententias non esse oppositas, si rectè perpendātur.

113 Progreditur Eminentissimus de Lugo, & docet *à n.* 124. *relato*; absolutè verba, vel facta ambigua, quibus falsa secta simulatur, in rigore non continere fidei negationem, nec cultum Idoli. Quia qui promittit se negaturum fidem, vel cultum exhibiturum Idolis, in rigore nondum negat fidem, aut colit Idolum, sed solum significat, se habere animum, id posteà faciēdi: sicut, qui promittit se ingressurum Religionem, & facturum professionem, non ideò rigorosè obligatur ad castitatem, & obedientiam, sed solum significat animum posteà faciendi, & promittendi: & sicut, qui promitteret conuersionem ad fidē, vel reductionem futuram ad Ecclesiam, adhuc nō est fidelis, nec Ecclesiæ obediens, sed donec promissum impleat, adhuc manet hæreticus, vel schismaticus.

114 Quare inquit; sicut potest stare propositum credendi posteà fidem cum hæresi actuali præsenti; & pœnitentiæ propositum, ac diligendi Deum posteà super omnia cum peccato actuali mortali, ita poterit stare propositum, & promissio discedendi posteà à fide cum fi-

fide actuali interna, & externa confessione eius.

115 Hæc doctrina videtur posse impugnari primo sic. Quia ex illa sequi videtur; non esse mortale peccatum contra castitatem propositum, & promissio fornicandi cras. Patet: quia per ipsum promissio, & propositum deserendi cras, vel posteà fidem non est contra fidem: ergo similiter non erit contra castitatem propositum, & animus fornicandi cras, vel posteà.

116 Secundo: propositum discedendi posteà à fide, ostendit manifestè infirmitatem fidei in habente tale propositum; imò tale propositum imbibit carentiam firmæ adhæsionis ad obiectum formale fidei, & dubium circa veracitatem, & obiecti formalis fidei veritatem, & consequenter videtur carere fide vera, quia qui proponit se posteà deserturum fidem, proponit se negaturum, Deum nō posse fallere, nec falli, & similiter summam Dei veracitatem: ergo nō videtur posse amplecti Eminentissimi Cardinalis doctrinam.

117 Prætereà: ille qui nunc diligit Deum super omnia, non potest simul habere propositum diligendi posteà creaturam supra Deum, seu peccandi mortaliter: quia tale propositū actuale repugnat cū actuali dilectione Dei super omnia, & cum habitu gratiæ iustificantis de facto, vt constat in omnium sententia indubitata: ergo licet posset stare hæresis actualis cum proposito conuersionis futuræ ad fidē, & posteà amplectendi fidem veram, sicut potest stare cum peccato mortali actuali, & actuali dilectione creaturæ supra Deum cum proposito diligendi Deum super omnia, & verè pœnitendi posteà; non tamen poterit stare vera fides actualis cum proposito posteà illam deserendi: ergo qui tale propositum habet, vel significat, eo ipso dicit, se iam carere vera fide.

118 Respondet Cardinalis de Lugo negando consequentiam, & reddit discrimen inter actum dilectionis Dei super omnia, & actum fidei: quod ille nō possit esse cum actuali proposito peccandi posteà mortaliter; eo quod omne peccatum mortale actuale excludat, & propositum illud peccādi posteà mortaliter, iam est nunc peccatum mortale præsens; quia est præsens, & actualis affectus ad peccatum futurum, qui quidem affectus repugnat ex obiecto cum affectu erga Deum super omnia, qui affectus includitur in ipso actu charitatis. At verò actus fidei præsens non videtur habere hanc repugnantiam ex obiecto cum proposito hæresis futuræ, posteà: quia actus fidei nō est amor fidei super omnia, sed est assensus intellectus, quod credit

hoc

hoc obiectum magis, quam omnia alia contraria.

119 Sed contra: quia fides excludit omne peccatum mortale actuale contra ipsam fidē; sed tale propositum deserendi fidem posteà est peccatum contra fidem: ergo non potest tale propositum stare cum fide. Præterea; quia sicut actus dilectionis Dei super omnia imbibit affectum erga Deum super omnia, ita actus fidei imbibit affectum erga summam veracitatem Dei super omnia; maximè in sententia Eminentissimi de Lugo, ponentis non solum in intellectu, sed in voluntate habitum super naturalem fidei, & in omnium sententia ponente assensum fidei liberum: ergo sicut cum actu dilectionis Dei super omnia non potest stare propositum diligendi creaturam supra Deum, ita neque cum actu fidei supernaturali Theologico, poterit stare propositum, credendi posteà creaturam, seu authoritatem creatam supra Deum, & supra authoritatem diuinam.

120 Præterea: Quia eadem videtur ratio in actu fidei, & in actu charitatis: ergo sicut hic non potest esse cum proposito peccandi mortaliter posteà, ita nec ille potest esse cum proposito deserēdi fidem tempore futuro. Quia Fides Catholica credit firmissimè, & firmissima adhæsione, sed hæc firmitas implicat, quod stet cum proposito recedēdi posteà: ergo. Respondet Cardinalis de Lugo, quod firmitas necessaria in fide est multiplex. Primo inquit omnino est necesse ad salutem firmiter credere, ideſt perseuerantes; huic autem firmitati, fatetur Lugo, opponi propositum fidem posteà deserendi. Secūdo, inquit, requiritur firmiter credere, ideſt animo positiuo eam fidem nunquam deserendi; & huic firmitati, inquit, etiam opponitur manifestè propositum recedendi posteà à fide. Hoc posito dicit; quod ad verum actū fidei requiritur volūtas efficax, & absoluta, & firma imperans assensum firmum, hoc est super omnia. Non tamen est intrinseca necessitas, quod voluntas proponat nunquam ab ea fide discedere: quia sine hoc potest dari aliquando actus fidei, licet non sufficiens ad salutem cōsequendam: nam ad hoc necessarium est etiam firmum propositum nunquam recedendi à fide.

121 Sed contra hoc est: quia firmitas, quæ requiritur essentialiter ad fidem, siuè formalis, siuè virtualis, est ita adhærere obiecto materiali reuelato propter summam veracitatem Dei, vt sicut summa veracitas Dei includit infallibilitatem, & necessitudinem intrinsecam ad non falli pro sem-

per,

per, ita, actus fidei per correspondentiam ad suum obiectū formale includit infallibilitatem perpetuam, & necessitudinem ad non posse falli: ergo sicut dissensus actualis opponitur assensui actuali fidei, ita propositum dissentiēdi à fide, quia vterque actus destruit essentiam obiecti fidei, & quātum est de se faciunt, quod fidei diuinæ possit subesse falsum, quod repugnat non solum actui fidei, sed habitui: ergo cum tali proposito deserendi posteà fidem repugnat assensus fidei.

122 Præterquamquod velem scire contra quam virtutem, sit tale propositum posteà deserendi fidem, & non potest esse nisi contra habitum, & virtutem Theologicam supernaturalem fidei: ergo tale propositum destruit talem virtutem, & habitum supernaturalem fidei; sed sine habitu supernaturali fidei non stat assensus fidei: ergo assensus fidei non potest stare cum tali proposito posteà deserendi fidem. Nec valet, si dicas propositum hoc verè esse peccatum contra fidem; non tamen esse in rigore infidelitatem, sed solum volūtatem infidelitatis futuræ: quare inquit *Cardinalis de Lugo in suo nu.* 131. quod tunc nondum ille homo dicitur simpliciter, & absolutè infidelis; sicut hæreticus promittēs reductionem cras ad fidem, tunc non est fidelis, nec Catholicus. Sed reuera non est Catholicus, & fidelis iste talis hæreticus, quia dum est hæreticus opponitur obiecto formali fidei; ille autem, qui posteà promittit fidē negare, & deserere, similiter opponitur obiecto formali fidei, quia nō solū negādo actu fidem, sed proponendo, & promittendo negare fidem, destruitur ratio formalis obiecti fidei motivi, & consequenter, sicut hæreticus manet infidelis, & oppositus fidei, quamuis promittat conuersionem ad fidem, ita, qui promittit fidem deserere, erit infidelis, quamuis Cardinalis de Lugo dicat, illum habere fidem.

123 Sed instare poteris pro Cardinali de Lugo. Potest dari verus actus obedientię, quo subditus obediat superiori, vel Deo propter motivum obedientiæ, cum proposito non obediendi posteà in alijs præceptis, vel mandatis: & similiter potest dari actus misericordiæ cuius motivo subuenias indigenti, absque proposito subueniendi in posterum, imò cum proposito non subueniendi, etiam quando vrgeat misericordiæ præceptum: & similiter dari potest actus iustitiæ verus, cū proposito posteà illā lædendi; & similiter actus tēperantiæ cū proposito posteà nunquā illā seruādi, & similiter potest dari actus ca-

castitatis cum proposito posteà in ea materia peccandi: ergo poterit dari actus fidei verus cum proposito posteà contra fidem peccandi.

124 Respondetur: quod licet possint dari actus veri harum virtutũ sine formali, & expresso proposito nunquam peccandi in materijs istarum virtutum; tamen sine virtuali proposito, & habituali nunquam peccandi in materijs istarum virtutum, nec dantur, nec possunt intelligi dari posse veros actus istarum virtutum; cum actuali verò proposito peccandi cõtra materias harum virtutum minus potest intelligi quomodo possint subsistere actus veri harum virtutũ; & consequenter meliori titulo, & potiori ratione dicendum est de actu supernaturali fidei diuinæ, qui licet non exigat propositum formale, non peccandi contra fidem, intrinsecè tamen, & ineuitabiliter imbibit propositum virtuale, non deserendi fidem: & consequenter necessario excludit actuale propositum formale, deserẽdi fidem. In nostra autem, & Scotistarum sentẽtia, quæ solum oppositionem moralem admittit inter habitum fidei, & infidelitatem aliquãtulum melius posset defensari doctrina Eminentissimi de Lugo; sed quidquid sit de alijs virtutibus est maxima differentia de actu fidei supernaturali Theologico, nam reliquæ virtutes habent pro obiecto bonũ, verum, vel apparẽs; at fides habet pro obiecto verum, quod tale debeat esse non solum practicè, sed etiã speculatiuè, virtualiter, & formaliter, & qui habet propositum deserendi posteà fidem expressè, & actu cognoscit obiectum fidei non esse verum practicè, nec speculatiuè, & sic destruere videtur in se ipso totam fidem.

125 Sed obijcit Cardinalis de Lugo: Potest Sacerdos iniquus ex animo offerre Deo sacrificium, & cultum latriæ suppremæ sine animo dehonorandi grauiter Deum, & fortè cum animo peccandi posteà grauiter contra Religionem, & cultum Deo debitum, sed fides est cultus supremus intellectualis, Deo debitus, quem colimus credendo ei super omnia: ergo poterit exerceri similiter, & deferri hic cultus per fidem actualem sine proposito non peccandi posteà contra fidem. Respondeo similiter, sicut suprà: quod sine proposito saltim virtuali non peccandi posteà contra fidem, non poterit stare verus fidei cultus, nec verus actus fidei supernaturalis; quanto minus cum proposito formali negandi fidem, quia tale propositum, non solum aufert conditiones essentiales ad verum assensum fidei, verum etiam destruit, &

to-

tollit rationem obiecti formalis fidei.

126 Sed est difficultas in præsenti; quid dicendum sit si quis interrogatus non neget fidem, sed taceat? Aliqui dicunt id non licere. Quos refert *Suar. disp.14. sect.3. num.6.* Alij communiter distingunt de interrogato à persona publica, vel à persona priuata: de illo dicunt, non posse tacere; de secundo dicunt, posse licitè tacere; imò alij extendunt quando persona publica non interrogat in publico, sed in priuato; cuius Authores referunt *Sanchez cap.4. n.6.* & *Suarez in suo n.5.* Alij dicunt ex circunstantijs occurrentibus, hoc dubium esse determinãdum, ex quibus debet iudicari, an silentium, vel tergiuersatio sit signum negationis; in quo casu non licebit tacere; secus verò si solum taciturnitas, vel tergiuersatio significet cõtemptum interrogantis, & non defectũ fidei, & in tali casu erit licitum; ita *Suarez in suo num.6.* & *Sanchez* citatus, *Granados in suo num.9. Hurtad. disp.48. §.20. Coninch disp.15. dub.5. à n.109.* & sequitur *Lugo à num.37.*

127 Alia difficultas est: quid faciendũ est persequutione grassante, & imminẽte, & fideles inquiruntur; an licita sit fuga? Cardinalis de Lugo dicit tunc temporis non esse contra præceptum fidei fugam: sed de hoc in *sect.6.* dicemus, sicut, & de præcedenti difficultate. Altera difficultas est: vtrùm pro mera negatione fidei externa sint extatutæ pœnæ Ecclesiasticæ. Aliqui dicunt, vt *Caiet.q.12.art.1.* & *q.94.ar.2.* incurri excõmunicationem ipsofacto, & alias pœnas Apostatæ. Sed communis sententia tenet, quòd de facto nullæ incurruntur pœnæ. Ita *Syluester, Angelus, Tabiena, Nauarrus*, & plures alij, quos sequitur *Suarez disp.14 sect.6.*

128 Altera difficultas est: vtrùm circa negationem externam fidei possit esse veniale tãtum peccatum? *Diana* contra riã sententiam, scilicet negatiuam, sustinendam esse putat; pro qua citat *Castrum Palaum, Alphonsum de Leon, Sanchez tom.1. Summæ, lib.1. tract.8. cap.8. n.66 Valdelum,* & *Morellã*: citantur etiã *Nauarrus, Caietanus, Ledesma, Emmanuel Sa, Cardinal. de Lugo disp.14. sect.3.* Sed pro parte affirmatiua stant *Sayrus in Claui Regia, lib.12. cap.2. num.19.* dissplicet tamen iste Author in eo quod dicit, quòd detur Hæresis tantum venialis. Etiamque pro hac sententia affirmatiua referri possunt multi Authores, qui agentes de mendacio cõmuniter requirunt ad lethalẽ malitiã mendacij, quod sit grauiter pernicioſum; quare videtur supponere, quod vbinõ est grauis pernicies, mendacium solũ erit veniale, sed potest aliquis concio-

nator, v.g. in cõcione, vel in sermone priuato dicere Adamum vixisse tot annos, cum tamẽ cõstet ex Scriptura vixisse vno minus: vel dicat Dauidem habuisse tot filios, cum habuerit pauciores, in quibus dictis nulla pernicies esse videtur: ergo dum non fit circa aliquid pertinens ad dogmata fidei, vel honorẽ Dei, vel morum integritatem, aut de quo esset cum hæreticis controuersia, non videtur esse peccatũ mortale; dum tamen non detur assensus internus contra obiectũ reuelatũ; nam tunc certissimum est fore peccatũ lethale, quãuis materia esset leuis, ex eo quod esset destructivum motiui formalis fidei. In hanc sententiã videtur vehemẽter inclinari Cardinalem de Lugo: imò videtur sententia omnium Doctorum, vt accuratè notat idem *Cardinalis à num.* 47. vbi citat pro hac sententia Doctores Salmanticẽses, & *Patrem Salas tom.* 1. 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 15. vbi asserit non esse mortale aliquam falsam circunstantiam asserere in materia leui contra Scripturam ex negligentia etiam volũtaria: imò nec scienter asserere dixit non esse mortale in manu scriptis, vt refert Cardinalis de Lugo. Sed contra hanc sententiam obijcies.

129 Primo; in tali casu contingit oppositio cõtra diuinam authoritatem, vel negando aliquam veritatem reuelatam, vel affirmando, vt reuelatum, quod reuelatum non est; sed hoc est graue damnum, quia fit grauis offensa Deo: ergo. Respondet Lugo; quòd in tali casu non fit formaliter oppositio veracitati diuinę; quia non asseritur Deum reuelasse falsum cõiungendo reuelatiõnem cum falsitate; sed asseritur aliquid esse falsum, asserendo simul id non esse reuelatum, & tale dicens ostendit separatum ad mutandam sententiam, quando constiterit de cõtraria reuelatione. Sed quidquid dicat Lugo argumentum in sua vi persistit; nisi velit, dicere, quòd ille qui dicit quod est reuelatum, vt non reuelatum, vel quòd non est reuelatum, vt reuelatum sine aduertentia, & per modum motus primo primi.

130 Altera difficultas est: vtrũ omissio actus fidei, solo Ecclesiæ præcepto instante, sit etiam peccatum contra fidem? Affirmat *Eminentissimus Lugo sect.* 4. *num.* 64. eo nixus fundamento. Quia præcepta Ecclesiæ de actibus alicuius virtutis eo ipso faciunt, vt actus præceptus sit intra eandem virtutem, & eius violatio sit etiam contra illam specialem virtutem; sicut ieiunium præceptum ita pertinet ad virtutem temperantiæ, quod violatio ieiunij sit etiam contra virtutem temperantiæ; &

si-

simonia prohibita solum iure humano est etiam contra Religionem, & sic de alijs virtutibus. De quo videri possunt *Thomas Sanchez lib. 2. Decalogi cap. 5. & Castro Palao tom. 1. tract. 4. punct. 19. & Diana 3. part. tract. 2. de dub. Regul. resol. 78.* & est cōmunis sententia omnium.

131 Sed tunc contra est obiectio: ergo Prælati Regulares peccant mortaliter contra fidem, quia omittunt professionem fidei, dum prælaturas accipiunt, quia Pius IV. præcepit vt professionem emitterent; sed respondetur hoc præceptum Pij IV. esse abrrogatum per non vsum; & ita responderunt Cardinales in Sacra Congregatione, vt notat *Sorbo in annotationibus ad compendium priuileg. titul. professio fidei.* Et docent *Tambu inus, & Portel in dub. Regul. verbo Professio Fid. num. 3.* Idem existimo dicendum circa Lectores regulares Philosophiæ & Sacræ Theologiæ, quidquid dicant *Portel* citatus, & *Hieronymus Rodriguez in compend. qq. Regul. resolut. 67. & Emmanuel. tom. 2. quæst. 72. art. 1. & Barbosa de potestat. Episcopi, part. 2. allegat. 61. num. 7.* Monerem tamen Prælatos Regulares, vt istam professionem non omitterent, neque omitterent, quòd Lectores promoti facerent talem professionem fidei; quia non sunt paruipendendi grauissimi Doctores asserentes id esse sub obligatione.

Sectio 5. *Vtrùm vestibus, vel rebus infidelium liceat occultare fidem.*

132 QVatuor sunt genera vestium. Primum: quibus materialiter tātum infideles distinguntur à fidelibus, non formaliter, v. g. vestis Turcarum, quæ magis pertinet ad nacionem, vel Prouincię vsum, quam ad Religionis sectam. Secundum est; quòd seruit ad distinguendos infideles, vt tales sunt à fidelibus; v. g. galerus, havus, & vellum flavum Iudæorum Romæ. Tertium est: quo vtuntur infideles, non solum vt ignoscantur, sed eo fine, vt profiteantur suam falsam sectam, aut Religionem, v. g. vestis Religiosorum, vel quæ habet figuram, vel signum Mahometi. Quartum est, genus vestium seruientium ad locum, & tempus rituum sacrorum, vel sacrificiorum.

133 Hoc posito dico primo: Non est licitum occultare fidem vestibus infidelium specialiter deputatis ad cultum falsæ Religionis, vt sunt quibus vtuntur sacrifiguli in suis detestabilibus sacrificijs, quales sunt quarti generis: ita omnes Doctores: & probatur, sicut præcedens conclusio sectionis præcedentis,

nam vtriusque est eadem ratio. Aliæ verò vestes cõmunes sunt, & non deputatæ ad cultum falsę sectæ, sed vel ad distinguendum vnã nationem ab alia, ita quod eisdem vestibus vterẽtur, etiam si conuerterentur ad fidem: & istis vestibus primi generis occultare fidem, nõ esse prohibitum, nec illicitum: quia non tam est, occultare fidem, quam occultare nationem. Quare fidelis existens apud Turcas, rationabili causa poterit vti tobagia alba in capite, vel flaua apud Persas: ita *Suarez disp. 14. sect. 5. Vazquez in manu scriptis, quæst. 3. art. 2. dub. 3. Sanchez lib. 2 cap. 4. vterque Hurtado, Azor, Torres*, & alij, vt *Coninch, Castro Palao, Becanus*, quos sequitur *Diana 5. part. tract. 7. de scandalo, resol. 33. & Lugo sect. 5. §. 1. à n. 71.* contra *Nauarrum, Toletum, Antoninum, & Lorcam disp. 24.*

134 Idem videtur dicendũ si afferantur capilli in vertice capitis longi, alijs rasis, & tonsis, & luna media in tobagia. Quia ista signa sunt introducta per voluntates Turcarum, non specialiter in signum protestationis suæ sectę, sed in decorem, ornatum, & policiam, & in signum distinctionis nobilis, ab ignobili, vt testantur fratres fide digni, qui ex nostris illic interfuere; & tenet *Azor lib. 4. cap. 17. quæst. 4 Sanchez, Ægidius, Adrianus*, & alij contra *Aragon, Becanũ, & vtrumque Hurtad. & Castillum disp. 12. quæst. 6.* vide etiam *Dianam 3. part. tract. 5. resolut. 49.* Atque ex dictis facilis est resolutio aliorum casuum apud *Suarez sect. 5. à num. 7.* ex quo transcripserunt *Castillo, & Felix.*

135 Circa secundum genus; *Caietan. Toletus, Tabiena, Nauarrus*, & alij apud *Suarez disput. 14. sect. 5. num. 18.* absolutè dicunt, non posse fieri, absque peccato contra fidẽ. Quia vtens tali signo implicitè protestatur se cultorem talis falsæ sectæ, scilicet Iudaismi. Sed ex graui causa id licere asserunt *Emmanuel Rodriguez, Ludouicus Lopez, Bañez, Aragon, Azor, Sanchez, lib. 2. Decalogi, cap. 4. num. 19. Coninch disput. 15. dub. 3. num. 66. Suarez disput. 14. sect. 5. numer. 7. Hurtado disput. 48. sect. 3. §. 27. Castro Palao 1. tom. tract. 4. disput. 1. punct. 17. num. 1. Becan. cap. 9. quæst. 5. à num. 28. & Diana 5. part. tract. 7. resolut. 33. Lugo disput. 14. sect. 5.* Quia est signum ambiguum ad hoc, vel illud signum vsurpabile: ergo graui vrgente necessitate licitè vtitur, sicut licitè verbo ambiguo vtitur ex causa occultare rem secretam interroganti licet. Secundo; quia Iudæi non peccant portantes illas vestes: ergo.

136 Circa tertium genus absolutè dicitur nullo modo licere;

re; ita *Lugo citatus in suo num.7.* citatque plures, vt *Aragon, Tabienam, Toletum, Lopez, Nauarrum, & Suarium.* Sed *Coninch disput.15.dub.3.num.66.* dicit hoc esse licitum ad vitandum graue periculum: fauent *Suarez, & Sanchez* relati, licet satis confusè, prout notat Cardinalis de Lugo, legatur *Hurtad. de Mendoza disput.48.§.54.& 57.* pro hac opinione. Sed *Lugo disput.14.à num.82.* vtramque opinionem vult conciliare non parum prolixè. Sed tu poteris, quam malueris tenere opinionem.

137 Dico secundo; non est illicitum fidelibus vesci carnibus diebus ab Ecclesia prohibitis in locis, vel hospicijs hæreticorum, aut infidelium, quando non vescendo timetur aliquod graue damnũ. Ita *Sanchez cap.4. num.25. Azor lib.7.cap.29.q.7. Becanus, Adrianus, Ægidius,* & communis sententia: & probatur; quia præceptum positivum Ecclesiasticum, quale est in præsenti, non obligat cum tanto dispendio; neque esus carnis est signum protestativum falsæ sectæ: ergo non est illicitum vesci, cessante scandalo, & contemptu precepti. Excipe tamen, si talis comestio foret expressè signum protestativum hæresis, vel infidelitatis, aut falsæ sectæ, vel, si ex vsu ciborum, timeatur oriri contemptum nostræ Religionis.

138 Sed est difficultas. Si licebit aliquãdo, ob grauem necessitatem, vesci Idolotitis? Aliqui in quocumque euentu negant licere, quos refert *Lorca disput.24. num.6.* Sed respondeo cum communi sententia, licere, quando non foret signum cultus ipsis Idolis exhibiti. Ita *Lorca citatus, Suarez, Vazquez, & Lugo disput.14. sect.5.§.3.* Ad cuius, & præcedentis conclusionis probationem est insignis locus expressus *Paul.1.ad Corinth.10.* vbi dicit: *Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire omne, quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes; si quis autem dixerit: Hoc est immolatitium Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam, non tuam, sed alterius.* Vnde Eleazarus voluntariè ibat ad supplicium, & nolebat comedere carnes porcinas: quia erat præceptum diuinum, non comedendi illas: & quia, si comederet, alijs iunioribus foret scandalum; & quia Tyrannus volebat vt illas comederet in contemptum veræ Religionis, & fidei: atverò si hæc omnia cessassent, & prohibitio talium carnium foret humana, qualis est præceptum Ecclesiæ, non est vnde foret illicitum vesci carnes porcinas ad tuendam propriam vitam, nisi aliàs foret in contemptum Ecclesiæ. Imò si solum

foret præceptum diuinum, non videtur fore illicitum comedere carnes in extrema necessitate vrgenti naturali præcepto, quo tenemur ad conseruandam propriam vitam, vt videtur sentire *Cardinal. de Lugo in §. 2. n. 101.*

139 Sed inquires: si Tyrānus ægroto, qui alias licitè posset carnibus vesci, præcipiat, vt in signū infidelitatis carnibus vescatur, potest ægrotus in ijs circunstantijs eas comedere? *Hurtado relatus §. 101.* dicit, egregiè facere ægrotū, si à carnibus tunc abstineat, cum vitæ euidenti discrimine. Posse tamen licitè carnibus vesci, præmissa protestatione, quod id facit ob ægritudinem, & non propter illud imperiū Principis. Sed Cardin. de Lugo licet approbet secundū, de prima parte dubitat; quia inquit quòd obligatio conseruandi propriam vitam oritur ex præcepto naturali, & sic non potest non adimplere illam. Et si quæratur: quid si Tyrannus in odium fidei auferat homini robusto, & benè valenti comedere carnes, ad hunc finem auferat ei omnē alium cibum præter carnes; erit licitum illas comedere? Respōdetur, quòd præmissa protestatione supradicta licitè posset illas comedere, quando in edia, & abstinentia illum reduceret ad periculum graue vitæ, vel sanitatis. Ita etiam *Lugo numer. 102.*

140 Dico tertio non licere adire infidelium, aut hæreticorum templa, quando adest percusionis periculum, vt si quis se in fide infirmum cognoscat, vel quando hoc non potest fieri sine communicatione in aliqua hæretica, vel infideli cærimonia, & quando exinde oriri possit scandalum alijs Catholicis: si tamen nullum horum sit, aut timeatur, affirmant Authores non esse illicitum adire, ad notandos errores, & falsas cærimonias infidelium, vt à Catholicis in suis scriptis impugnentur. Ita docent *Sānchez cap. 4. num. 26. Azor lib. 8. cap. 27. Ægidius disp. 15. num. 55. & Suarez in defensione fidei, lib. 6. cap. 9. Lugo sect. 5. §. 6. à n. 171. & alij.*

141 Sed difficultas est si hæreticorū Princeps hæreticus, sub grauibus pœnis præcipiat, vt omnes ei subditi adeant Templa sua, & officijs assistant; licebit fidelibus ei subditis adire? Affirmant aliqui, & probabiliter tenet Azor. Et potest confirmari exemplo Naamā, & solutione ibi data, quæ efficaciter videtur cōfirmare hanc opinionem. Et confirmatur, casu quòd fidelis protestetur se adire solū, vt obediat Principi, non verò causa directè, nec indirectè profitendi hæreses.

142 Sed communis opinio negat cum *Sanchez cap. 4. n. 27. lib. 2. in Decalogum, Ægidius n. 57.*

To-

Torres disp.35.dub.7. Cardinal.de Lugo sect.5. §.6. n.174. & alijs, quos ipse ibi citat. Et probatur ex *Bulla Paul. V. ad Catholicos Angliæ*. Sed respondetur; quòd Rex Angliæ volebat, vt Catholici adirent Templa eo fine, vt confirmarent suam hæresim, & renuntiarent Ecclesiæ Catholicæ; & vt sic prohibitū est à Paulo V. per suam Bullam, quam integram refert *Suarez contra Regem Angliæ, lib.6. in proœmio.*

143 Alia est difficultas. Si licebit Catholicis matrimonia cōtrahere coram ministro hæretico? Respondent *Sanchez relatus*, quòd non, adhuc ex iussu Principis, quamuis anteà, vel posteà contrahant coram ministro Catholico. Quia foret honorare hæresim, & eius ministros, & ritu hæretico vti; & quia minister ille hæreticus non est Parochus contrahentium. *Malderus 2.2. q.3. ar.2. memb.3.* ait, licere amicitiæ causa ad esse cōuiuijs nuptialibus; interesse contractui, & eorum funeri cōmittari, dummodo eorum cærimonijs non communicent, sed aspiciant, vt actionem prophanam.

144 Sed dubitabis. Catholicus poterit fungi officio Paranymphi in nuptijs hæreticorū? Respondetur, quòd si ad Paranymphū solū pertineat tradere spōsam sponso, vel ècōtra, postquam legitimè iam sunt coniuncti, nō videtur illicitum, quia est actio solum merè ciuilis. Si verò munus Paranymphi sit offerre Ministro sponsos, vt eos cōiungat, iam videtur actio illicita; quia videtur participare in tribus, & conuenire, quibus minister hæreticus eos coniungit, scilicet in precibus hæreticalibus, & in alijs illicitis. Ita *Lugo §.5. n.157.*

145 Dubitabis etiam. Si matrimonium, iam sit clandestinè cōtractum, & validè, quia in eo loco Tridentinum non obligat, coniux autem nō vult consummare ante benedictiones nuptiales, licebit Sacerdoti Catholico habenti potestatem benedicendi nuptias, illas nuptias benedicere in fauorē coniugis Catholici? Negat Thom. Sanchez, quia non licet conferre nuptialem benedictionem excommunicato excommunicatione maiori: nam ad talem benedictionē debet infidelis coniux, Missæ Sacrificio interesse, & sic participare in Sacris cum alijs. Sed *Cardinalis de Lugo* oppositum tenet *num.158.* quia licet ratio Sancij probet ipsum excōmunicatum peccare, non tamen probat Sacerdotem Catholicum peccare, neque cōiugem Catholicū, maximè si ille ligatus maiori excōmunicatione sit tantum tolleratus, & nō denuntiatus; vt etiā sentit *Sanchez lib.2. in Decalogū, cap.9.* & idem *Lugo disp.8. de Sacram. in genere, sect.14.* & *disp.19.*

de Eucharistia sect. 10. num. 183. asserit, quòd pro excommunicato tollerato possumus offerre Ecclesiasticas, & publicas preces, ex *Hurtad. disp. 76. §. 16.*

146 Dubitabis etiam. Si defunctus est hæreticus: Catholici possunt commitari quando sepeliẽdus est in loco sacro? *Thom. Sãchez citatus in Summa, num. 7.* negat. Quia talis hæreticus non potest sepeliri in loco sacro, ex *cap. 2. de hæreticis. Suarez 3. tom. in tertiam partem, disp. 81. sect. 4. §. His positis*, dicit, Sacerdotes celebrantes in regionibus Septentrionalibus in Ecclesijs, vbi sepulti sunt hæretici, excusari, vel quia necessitate coguntur, quia nõ habent vnde celebrent, vel quia Episcopi videntes, & cõsentientes facultatem præbere censentur. Sed *Lugo* cum alijs, *disp. 20. de Eucharist. sect. 2. n. 56.* dicit, sententiam Sancij intelligendam esse, si hæreticus defunctus sit damnatus, & denuntiatus. Quia Ecclesia non polluitur per sepulturam excommunicati, nisi sit excommunicatus denuntiatus, vel publicus Clerici percusor, vt iam tenet communis sententia cum *Suario tom. 5. de censurijs, disput. 12. sect. 4. numer. 13.*

147 Dubitabis sexto. Catholici possunt permittere, quod eorum filij baptizentur, v. g. à domino, vel auo hæretici, à quibus dependent? Ne offendãtur, & reddantur ei infensi. Lugo affirmat si merè permissiuè se habeant parentes Catholici, quando sine graui incommodo impedire non possunt parentes; quia non tenetur pater vi, & armis impedire, ne eius filius circuncidetur à domino: ergo multo minus tenebitur impedire, ne validè baptizetur ab hæretico; dum tamen permissiuè, & merè passiuè, vel non præstando cõsensum, se habeat. Nam cooperando explicitè, vel implicitè nõ licet extra necessitatem: quã dicunt aliqui, debere esse extremam. Addit Lugo, non esse illicitum, petere baptismum ab hęreticis, vel excõmunicatis tolleratis, & non denuntiatis, & videtur esse communis sententia, quia vt dicit *Sãchez 7. de Matrimonio, disput. 9.* licitum est excõmunicato tollerato ministrare Sacramenta, quãdo ab ipsis petuntur: & licitum esse petere affirmat *lib. 2. in Decalogũ, cap. 9. num. 10.* & sequitur *Hurtad. disput. 73. §. 13. & 14.* Sed Lugo specialem dicit esse difficultatẽ in Baptismo; quia citra necessitatem non potest peti à laico, quales communiter sunt ministri hæretici. Vnde videtur melius dicendum cũ *Suario tom. 3 in 3. p. disp. 23. sect. 1.* quòd solum in necessitate poterit excusari cooperatio ad petendum Baptismum ab hæretico; quæ necessitas, ad minus, debet esse tanta, quan-

quanta sufficit, vt possit licitè peti à laico.

148 Duditabis septimo. Quid dicendum est de Catholicis, qui adhibentur patrini, quando filij hæreticorum baptizantur à ministro hæretico? *Laiman cap. 9. de Baptismo*, affirmat id licitè facere. Sed *Thom. Sanchez, Azor, Nauarr. Ledesma, Hurt. disp. 76. §. 15.* negant si ritu hæretico, aut schismatico talis baptismus ministretur; secus si ritu, & modo Catholico. Si verò Legatus Principis Catholici leuet filium Regis hæretici, erit licitũ, dum solo honoris, & beneuolentiæ titulo constet, hoc fieri. Sed quia hodie isti hæretici ritu hęretico, vel schismatico baptizantur, & communiter à ministro laico, existimo nõ posse ad praxim deduci, si talis Legatus petat à ministro baptismũ offerendo puerum baptizandum. Vnde illicitum erit Catholico adhibere hæreticum in patrinum filij sui; quia munus patrinij est docere baptizatũ rudimẽta fidei; quòd munus non possunt præstare hęretici.

149 Dubitabis octauo. Parentes possunt licitè infantem Catholicè baptizatum permittere deferri ad hæreticum ministrum, vt rebaptizetur? Respondet Lugo; quòd si parentes merè permissiuè se habeant, quando sine grauissimo damno hoc impediri non potest, non est illicitum; secus in alio euentu. Dubitabis hic. Parentes Catholici possunt licitè suos infantes baptizatos nutricibus hæreticis cõmittere, eos ad hęreticorũ Tẽpla secum delaturis? Respondet Lugo hoc nõ esse illicitũ, dummodo Catholici ante vsum rationis infantium ad domos paternos filios reducant. Dubitabis etiam. Parentes Catholici possunt liberos suos collocare cum dominis hæreticis, à quibus timeri possit eos ad hæresim pertrahendos. Respõdet Lugo, durissimum hoc esse constituere filios in tanto periculo. Posse tamen aliquando permitti, non solum in extrema necessitate, verum etiam in necessitate grauissima, dummodo filius esset pubes, de quo probabiliter suspicatur perseuerantia in fide; si tamen sit impubes, non est animus ad excusandum committere lupis agnum, vel transmittere filios nutriendos apud Turcas.

150 Tandem dubitabis (alijs minoris momenti omissis dubiolis, de quibus, & de iam dictis, diximus, tum *Opusc. de Sacramento Eucharistiæ*, tum *Opuscul. de Sacram. Baptism.* tũ *tract. de Matrimon.*) licet ne Catholico precibus, vel fauore, aut aliter promouere ministrum hæreticum, vt eligatur ad beneficium, vt isto modo excludatur alius nequior minister, & magis per-

pernicioſus Catholicis? Attendendo ad nudas preces, & interceſsionem, videtur non illicitū, quia, vt fert probabilior ſententia, ei qui paratus eſt facere vnū, è duobus malis, quē ab vtroque auertere non poſſumus, poteſt conſuli minus malū: quia tunc non conſulitur malum ſimpliciter, ſed ſub conditione. Difficultas eſſe poteſt de Catholico habenti ius patronatus? Reſpōdeo, non licere, niſi petatur diſpenſatio Pontificia ex cuius licentia poſsint reditus illi Eccleſiaſtici applicari huic potius hæretico, quam alij nequiori; non tamen poterit Papa diſpenſare in eo quod ille hæreticus ſit verus miniſter Eccleſiæ. Videatur de hoc *Cardinalis de Lugo*, citatus *in ſuo num.* 170.

Sectio 6. *Vtrùm occultare fidem tacendo ſit prohibitum Fidelibus?*

151 LOquimur de occultatione, quaſi poſitiuè, phyſicè, aut moraliter loquendo: quæ dici poteſt occultatio formalis, qua nimirum occurrenti occaſione morali confitendi fidem, homo nō vtitur tali occaſione, vel fugit talem occaſionem: nā de occultatione merè negatiua non eſt quæſtio: quia non ſolum eſt permiſſa, ſed humano modo vitari non poteſt; quia impoſsibile eſt, moraliter loquēdo, quòd homo ſit ſemper in actuali fidei confeſsione.

152 Et primo certum eſt, aliquando eſſe prohibitū occultare fidem; tunc videlicet, quando inſtat obligatio confitendi. Secundo etiam eſt certum, aliquando eſſe licitum: quia præceptum affirmativum confitēdi fidem, non obligat pro ſemper; & ſic occultatio fidei erit nō illicita aliquando. Tertio etiam certum eſt, aliquando poſſe, melius eſſe, imò neceſſarium, & obligatorium, occultare fidem, quam illam oſtendere; ſcilicet quando id fieri poteſt ſine ſcandalo, iniuria Dei, & ipſius fidei, & aliàs non ſequitur proximorū vtilitas, ſed potius perturbatio infidelium ex fidei manifeſtatione. Nam *Concilium Eliberitan. can.* 6. decernit; numerum Martyrum non eſſe adſcribendū, qui vltro, & ſine rationabili occaſione irritat infideles, frāgendo Idola, vel aliud ſimile: *Quia neque Apoſtoli id fecerunt, nec Euāgelium hoc docet.* Et *Paul.* 1. *ad Corinth.* 10. dicit: *Sine offenſione ſtote Iudæis, & gentibus.* Ita *Ferdinandus Mendoza lib.* 3. *cap.* 45. *ſuper Concilium Eliberit.* vt refert *Suarez diſp.* 14 *ſect.* 3.

153 Hoc poſito: aliqui ſuperſunt caſus, ſub hac Sectione reſoluendi. Primus eſt. Quando infideles irrident noſtram fidem coram aliquo fideli, tenetur defendere fidem? vel licebit ei tacere, & ſic ſuam fidem occultare? Reſpondeo non eſſe licitum occul-

occultare fidem, sed tenetur illā defendere, & pro ea, illam confitendo, si opus fuerit, mori: imò si opus fuerit occidere infideles; vt fecit *Mathatias* 1. *Machabæorum cap.* 2. & sunt plura exempla Sanctorum Martyrum ad hoc probandum in Martyrologijs.

154 Secundus est: Quando aliquis interrogatur de fide; videlicet an sit Christianus? vtrùm eo ipso in omni euentu semper teneatur palàm fidem confiteri? vel liceat ei tacēdo occultare fidem? Circa quod sunt plures modi dicendi. Primus; quòd quotiescumque, & à quocumque fiat interrogatio, tenetur respondere, & non licet occultare fidem tacendo. Ita *Angel. Sylvest. Vazquez, Aragon*, & videtur sententia *S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. Sanchez* verò *lib. 2. cap. 4. num. 6. in Summa, Bañez, Azor, & Valencia* conueniunt in hoc, quando interrogatur à persona graui, vel publica; secus si à persona priuata. Alij dicunt, illud esse verum, quando à persona publica interrogatur publicè, non verò quando priuatim.

155 Cæterum istas limitationes impugnat *Suarez in suo n. 6.* Quia obligatio non occultandi fidem, vel occultationē fidei posse honestari, non nascitur ex qualitate personæ interrogātis, sed ex occasione in qua non potest occultare fidem sine graui iniuria diuini honoris, eiusque authoritatis detrimento, & honestatis ipsius virtutis fidei, aut proximorum, attentis circunstantijs. Vnde dicendum à nobis est; quòd quotiescumque, & à quocumque interrogatus, non licet tacendo occultare fidem, si pensatis circunstantijs, ex taciturnitate, & occultatione sequatur graue detrimentum fidei, & authoritatis diuinæ, aut salutis spiritualis proximi. Ita *Suarez*, & *Lorca disput. 24 n. 22.* Si verò nullum ex illis sequatur, occultare fidem tacendo, non est illicitum: imò aliquoties erit licitum, sic occultare fidem.

156 Sed obijcies. Ante interrogationem nō tenetur quis se manifestare: ergo neque post interrogationem: quia interrogatio Tyranni, vel cuiusvis alterius non inducit obligationem; cum interrogans nō habeat authoritatem præcipiendi fidem. Et cōfirmatur primo: quia Christus D. & alij Sancti interrogati sæpè tacuerunt: ergo. Secundo. Quia vtendo verbis ambiguis, neque negat fidem, neque mentitur, sed solū permittit deceptionem interrogantis, quod illicitum non est, sed sæpè est licitum: ergo.

157 Respondeo; quòd facta interrogatione, ponitur occasio, ex qua instat obligatio, ex præcepto naturali diuino, defendendi fidem, confitendo illā:

& sic tunc non licet erubescere fidem. Ad confirmationem respondeo; quòd Christus D. & Sancti tacendo manifestarunt veritatē, magis, quam occultarunt: nam tacebant cōtemnendo Tyrannos, quod apertè est consentire interrogationibus. Ad vltimam respondetur; quòd quando ex ambiguitate resultat scandalum, vel detrimentum diuinæ authoritatis, & honestatis fidei, non est licita, nec potest tunc esse solum permissiua, sed per se est intenta, & sufficienter voluntaria deceptio, & sic erit mendacium, quod non potest honestari.

158 Tertius casus est. An tempore persequutionis, liceat fugere, ne cogatur interrogari, & fidē confiteri, vel illam negare? Tertulianus affirmat absolutè non esse licitam fugam tempore persecutionis. Alij verò absolutè dicunt esse licitam: affirmantque hoc esse de fide. Sed dico primo. Tempore persequutionis, ferè semper, est illicitū Pastoribus fugere. Ita *Suarez disput. 14. sect. 3. n. 12. Coninch*, & alij, vt *Lugo disp. 14. n. 42.* & probat S. *Thom.* optimè ex illo *Ioann. 10. Quia bonus Pastor, animam suam dat pro ouibus suis; mercenarius autem videt lupum, & dimittit oues, & fugit.* Quod intelligendum est, quando absolutè fugit, & dimittit oues, sine sui substituto, qui ouibus sufficiēter prouideat: nō verò quādo relinquit alios, qui ouibus prouideant sufficienter, vt ipse incommodius tempus se reseruet, vel quando persequutio nō est contra oues, sed contra Pastorem.

159 Dico secundo: Multoties potest esse licitum nō fugere, sed cum periculo vitę constāter spectare persequutorē. Probatur; quia fugere, est solum cōsilium, non verò præceptum, sed solum est licentia: at potest esse iusta causa non adimplendi talem licentiam: ergo si sit persona talis, quod ex ea non oriatur morale periculum negandi fidē, poterit esse licitum, non fugere; quod non est, se occidere, sed est, non custodire vitam, quod sæpè licet ob iustam causam, scilicet propter vtilitatē proximi, propter Dei honorem, & pro tuenda veritate, atque seruanda honestate virtutis fidei.

160 Dico tertio. Aliquoties potest obligare ex præcepto fugere, scilicet, cū persona est publica, & necessaria ad vtilitatem proximorū. Probatur exemplo Pauli, qui fugiendo seruabat se fidelium vtilitati, vt tractat *Aug. tract. 46. in Ioannem.* Et D. Petrus è carcere fugit, & alij plures Sancti Martyres, & Confessores, vt in eorum vitis narratur. Legatur *2. ad Corinth. 11. & Actor. 12. & 3. Reg. 19. cap. 18. & Matth. 4. & Ioān. 8. 10. & 11.* vbi de Christo le-

legitur fugisse; & idem dicitur de *Athanasio, Sylvestro, Blasio, Cypriano, Polycarpo.* Quæ obligatio fugiendi aliquando oritur ex ipsa fidei ratione, nequis exponatur periculo faciendi cõtra eam. Legatur *Greg.* 31. *Moral. cap.* 23. & 24. & 2. *Dialogo cap.* 3. & alios refert *Suarez dicta sect.* 3. *n.* 10.

161 Dico quarto. Per se loquendo, tempore persequutionis fugere, licitum est. Hęc assertio ita proposita, exceptis illis casibus relatis, est de fide contra Tertulianum. Ita *Suarez n.* 9. Et probatur expresse ex illo *Matthei* 10. *Si vos persequẽtur in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quod Apostoli confirmarunt exemplo, & facto: & *Paul.* de se testatur 2. *ad Corinth.* 11. *A fratribus per murum dimissus sum in sporta, & sic euasi manus eius in nomine Domini.* Et Athanasius, qui in fauorem suæ fugæ Apologiam scripsit, & cõsentiunt *Cyprianus lib. de lapsis in fra initium: & Epistol.* 56. & 86. & *Aug. Epistol* 180. & *tract.* 46. *in Ioann.* qui contra Tertulianum scripsere; alios Patres citat Suarez, sed præcipuè videndus est *Nicephorus lib.* 10. *Historiæ cap.* 8. & 16. Vnde minus benè putant aliqui esse obligationem nõ fugiendi, quando confessio fidei cepta est postulari à detento in carcere.

162 Ratione probatur nostra quarta conclusio. Quia de ista fuga nullũ est speciale præceptũ illam prohibens; neque est fidei contraria; imò est virtualis eius cõfessio, & inceptio martyrij, si quidem exilium, & fuga, & pœna est pro fide portata: ergo, &c. Dices: Apostoli peccauerunt, quando Christus fuit comprehensus, & fugerunt. Respondeo, quòd non peccauerunt, & si peccauerunt, fuit per accidens, quia scandalizarunt, vel quia dubitarunt in fide. Dices cum Tertuliano; persequutio fit ex diuina permissione, & ordinatione. Respondeo, quòd etiam pestis, incendium, &c. fiunt ex diuina ordinatione, & tamen tenemur fugere, vel fugere ea, licet.

163 Si inter Turcas existant duo Christiani, & vnus negaret fidem coram Turcis, & comite suo socio, vel fratre alius teneretur corripere Apostatam profitendo fidem? Respondeo; quòd, si pensatis omnibus circunstantijs, videat profuturam correctionem, tenebitur; si verò moraliter iudicet impossibile prouentum, potest tacere, nisi exinde præuideat graue damnum fidei, diuinę authoritati honestati fidei, aut proximis sequuturum. Alij particulares casus videantur in *Ægidio disp.* 15. *dub.* 5. *à n.* 109.

164 Quæres. Propter peccatum contra externam fidei confessionem incurritur ipso facto aliqua pœna lata in iure? Respondeo; quòd illi qui solum exterius faciunt contra præceptum fi-

fidei nō incurrunt Hæreticorum pœnas, nec censuras in iure latas contra Hereticos, vel Apostatas. Ita *Sylvester*, *Tabiena*, *Angelus*, *Nauarrus*, *Antoninus*, *Toletus*, & *Azor*. Quia tales non sunt hæretici strictè. Videatur *Suarez* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 6. & *de fide disput.* 14 *sect.* 6. *num.* 4. & *Alensis* 2. *part. memb.* 2. *quæst.* 163.

165 Vnde sequitur primo: Quòd nulla censura incurritur ipso facto per tale crimen contra præceptum solum exterius confitendi fidem. Sequitur secundo; quòd tale crimen non est Papæ reseruatum. Patet ex primo. Sed cōtra hoc obijcit *Caiet.* 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. & *q.* 94. *art.* 2. Quia sunt multa iura, vt *caput cōtra Christianos de hæreticis in* 6. & *in Decret.* 26. *q.* 7. Ecclesia enim non punit actus internos: nam Magiam, & ariolādi peccatum punit Ecclesia, etiam si fiant absque interna infidelitate. Deinde illi de facto absoluuntur: ergo eo est, quia incurrunt.

166 Respondet Suarez citatus, quòd leges pœnales sunt stricti iuris, & sic non sunt extendēdæ, sed restringendæ, quādo ipsę nō sunt expressę, & iura illa allata à Caiet. solū loquuntur de strictè Apostatis hæreticis. Vnde Ecclesia solum intendit, punire actū externū ortū ex actu interno infidelitatis; & sic punit Magiæ, & ariolandi peccatū, & ad cautelam absoluuntur propter præsumptionē. Dices: furtū, siuè ex metu, siuè ex quocūque motiuo factum incurrit pœnas latas cōtra fures: ergo similiter in nostro casu. Respōdetur, quòd furtum ex quouis motiuo factum, est perfectum in sua malitia, non verò simulata infidelitas.

Sectio 7. *De alijs quorum fides, vel notitia explicita est necessaria Fidelibus.*

167 ALiqua dubia supersunt ad complementum huius capitis examināda, & capitis primi. Primū est circa articulos duodecim in Symbolo Apostolorum cōtentos. Vtrùm scilicet sit obligatio credendi explicitè Christum D. sub Pontio Pilato passum? Et dico: Non esse obligationē grauem sciendi sub Pōtio Pilato passum, scilicet, non esse obligationem credendi explicitè, & sciendi iudicis nomē, & cognomen. Solū enim est necessariū credere explicitè, & scire Christum passum, & mortuū esse propter nostram salutem; & ita explicatur in Cōcil. Niceno.

168 Dubium secundum est. Vtrū genus mortis, scilicet crucifixio, sit de necessitate præcepti explicitè credendum? *Suarez disp.* 13. *sect.* 4. videtur insinuare in *n.* 8. non esse necessarium. Expressè tamen id fatetur *Hurtado disp.* 44. *sect.* 2. §. 11. & idē habet *Castro Palao, pūct.* 10. *n.* 5. & *Granad.*

nad. tract. 10. disput. 3. sect. 2. n. 8. Coninch disput. 14. dub. 10. n. 188. expresè affirmat esse necessarium; & idē videtur tenere *Angel. Sylvester, Tabiena, & Armilla* apud *Sanchez dicto lib. 2. in Decalogū, cap. 3. n. 14.* Quia cōmunis sententia Doctorum tenet esse obligationem grauem credendi explicitè omnia, quę cōtinentur in Symbolo, & non excipiunt crucifixionem, quam Apostoli à passione, & morte explicuerunt in Symbolo seorsim, & adeò accuratè, vt frequenter illā predicabant, maximè *Paul. 1. ad Corinth. 2. Prædicamus Christum, & hunc crucifixum.* In cuius confirmationem voluit Christus D. crucifixus, esse insigne Christianæ Religionis vexillum. Et sic hoc placitū maximè mihi placet. Vnde optimè notat *Cardin. de Lugo, Magistrum Ioannem de S. Thoma*, virum sanè doctū, pium, & suæ Illustrissimæ Religionis illustræ ornamentum omisisse de cruce, & eius mysterio in explicatione Doctrinæ Christianę, quam edidit pro instruendis rudioribus.

169 Tertium dubium est. An sit ex præcepto explicitè credenda *sepultura* Christi? *Hurtad. disp. 44. §. 11.* videtur dicere, quòd non, & similiter *Bañez*, *Castro* verò *Palao n. 3. & n. 5.* videtur problematicus. *Turrian.* verò *disput. 28. dub. 1. & Lorca disp. 23. mēb. 1.* affirmatiuā partē tenent; sed *Cardin. de Lugo n. 82.* fatetur in genere obligationē credendi explicitè omnia, quæ cōtinētur in Symbolo Apostolorū. Tamen cum hoc stat, inquit, quòd in tali Symbolo sint aliqua ita minuta, vt propter materiæ paruitatem ignorantia eorum nō possit refundere malitiam grauem, quādiu non negantur. Et ita videtur asserere de circunstantia sepulturæ Christi Domini.

170 Quartum dubium est de *descensu ad inferos.* Vtrùm necessitate præcepti debeat explicitè credi? & videtur quòd non. Quia in Symbolo Niceno descensus iste omissus est; & sic illam particulā nō fuisse ab Apostolis positā in suo Symbolo, existimant aliqui Theologi; & sic *Suar. tom. 2. in 3. p.* videtur asserere, & *Castro Palao cum illo tract. 4. disp. 1. punct. 10. n. 5. & Coninch* nō debere credi explicitè ex necessitate præcepti. Sed *Lorca disp. 23. mēb. 1. n. 20. Medin. & Bañez* dicunt: probabilius, & securius esse, esse necessariū necessitate præcepti credere explicitè descensum ad inferos. *Hurt.* citatus *in suo §. 11.* dicit: credendū esse hunc descensum ad inferos eraso modo necessitate præcepti, & citat pro se Thomas Sanchez. Sed *Lugo num. 85.* existimat quod iste articulus fuit ab initio ab Apostolis positus in Symbolo; quia Romana Ecclesia, testē *Ambrosio cap. 81.* ad Syricium Papam,

sine

sine vlla prorsus additione, vel variatione purum, & integrum Symbolum Apostolorum, prout ab Apostolis accepit, conseruat, & retinuit. Sed videatur *Baron. tom. 1. anno Christ. 44.* quòd enim in Symbolo Niceno omittatur descensus ad inferos non tollit necessitatem credendi explicitè; quia vt inquit *S. Thom. q. 1. art. 9. ad 4.* ideò omissus est descēsus ad inferos in Niceno, quia circa illū nullus erat error ex ortus apud hęreticos. Quod autem *Augustin. lib. de Fide, & Symbolo*, omiserit descensum ad inferos, & similiter in *lib. de Symbolo ad Cathecum.* parum fauet opinionibus oppositis, cū in alijs locis idem Augustinus memor fuerit eius, vt in *sermone 115.* vbi illam particulam *descensus* Apostolo Thomæ tribuit.

171 Quintum dubium est de illo articulo: *Tertia die resurrexit à mortuis.* De quo sine controuersia certissimum est, quod sit necessaria necessitate præcepti explicita fides ipsius in singulis hominibus; & hoc sub præcepto graui. Quia est quasi fundamentum proprium nostræ fidei, ex *1. ad Corinth. 5. Si Christus non resurrexit, innanis est ergo prædicatio nostra, innanis est, & fides nostra, & si Christus non resurrexit vana est fides nostra.* Et *ad Rom. 10. Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illū suscitauit à mortuis saluus eris.* Vnde *August. in Psal. 120. Fides Christianorum resurrectio Christi est: hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse.* Quare *Actor. 1. & 2.* Apostoli destinati sunt ad hoc principaliter prædicandum, & sic per antonomasiam testes resurrectionis dicebantur.

172 Circa illa verba: *Tertia die* solum potest esse dubium. Nā *Bañez q. 2. art. 8. concluſ. 2. Castro Palao pūct. 10. n. 5. Hurt. disp. 44. §. 11. & Coninch disp. 14 dub. 10. n. 188.* Satis expressè insinuant non esse necessarium necessitate præcepti grauis, explicitè credere hanc circunstantiam; & potest confirmari, ex Apostolo *ad Rom. 10.* dicente: *Si confitearis in ore tuo D. Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris:* vbi de tertia die nihil explicuit. *Cardin.* verò de *Lugo*, dicit *n. 88.* Aliquā obligationem esse credendi, & sciendi talē circunstantiā. Quia in omnibus Symbolis Niceno, Athanasij, & Apostolorū, & in omnibus catechismis est explicata; tum, quia Apostoli frequēter inculcabant, & in sua prædicatione explicabant, vt patet ex *1. ad Corinth. 15. Quoniam resurrexit tertia die*: & *Actor. 10.* Petrus catechizans Cornelium: & alios dicit: *Hunc Deus suscitauit tertia die*, idemque habetur *Actor. 13.* Notat tamē Lugo nō esse damnandā pecc..i mortalis ignorā-

tiam

tiam huius circunstantiæ, & bene dicit, nam *Actor. 2. 3. & 4.* explicatur Resurrectio Christi D. sine tali circunstantia.

173 Sextum dubium est, vtrũ sit necessarium necessitate præcepti credere, quod Christus ascẽdit ad Cœlos, & sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. Et videtur quod sic: quia explicatum est in omnibus Symbolis. Solũ potest esse controuersia de illa circunstantia *sessionis ad dexteram Patris. Suarez disp. 13. sect. 4. n. 9.* dicit. Sufficere credere Christũ esse in Cœlo in summo, & dignissimo gradu Beatitudinis, vt homo est, & æqualis Patri, vt Deus est. Idem videtur dicere Bañez. Sed *Castro Palao in suo n. 5.* dicit, quod *Sanchez, Azor*, & ipsemet non agnoscũt obligationem explicitè credẽdi sessionem *ad dexteram Patris.* Sed Sanchez, & Azor id non dicunt; imò ipsemet Palao tandẽ dicit, quod *Suarez, & Bañez*, & idem videtur dicere *P. Ioann. à S. Tho. in catechismo illo suo Hispano*, & idem *Bellarmin. in rudimentis doctrinæ Christianæ*; tandem *Coninch. dub. 10. num. 108.* Videtur asserere non esse necessarium explicitè credere hãc circunstantiam sessionis. Tandem Lugo satis calamũ protrahendo existimat articulũ hunc, quoad rem significatã, esse necessarium ab omnibus credendum: cæterum in re idem dicit, quod Suarez, Palao, & Hurtado, videlicet, quod sedere *ad dexteram Patris* non debet sumi pro situ, & figura corporis, sed pro firma, & stabili possessione gratiæ potestatis, ac gloriæ, quã à Patre accepit supra omnẽ Potestatem, Principatum, Dominationem, & omne Tronum, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, subijciens omnia sub pedibus eius, prout habetur in Catechismo Romano *cap. 7. de 6. artic. in §. 3.*

174 Septimũ est circa illum articulum. *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.* De quo sine controuersia dicendũ est esse necessariũ explicitè credere necessitate præcepti. Quia etiã reperitur in Symbolo Niceno, & Athanasio. Et *Actor. 10.* expressè dicitur. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Et singulis annis Ecclesia Catholica in prima aduentus Dominica hunc articulum proponit.

175 Difficultas est. Vtrũ iudicaturus sit, vt Deus, an vt homo? Aliqui enim negant potestatem iudiciariã Christo, vt homini; citat *Lugo* pro hac sententia *nostrum Scotum in 4. dist. 48. q. 1.* sed non benè; nã Scotus ibi loquitur de potestate suprema, non verò de participata, & quasi delegata, vt optimè vidit *Suarez 2. tom. in 3. par. disp. 52. sect. 1.* Fundamentũ autem illius opi-

nionis cuiuscũque sit, sumitur ex dicto Christi illo: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.* Quare non pauci Patres, inter quos *Sanct. Thom. 3. part. q. 59. art. 1.* intelligunt de Filio ratione diuinitatis illa, verba *Ioann. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Non per proprietatẽ, sed per appropriationem. Vnde *Chrisostom. hom 38. in Ioannem*, illa verba: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*; explicat de potestate, quàm Christus habuit in natura diuina.

176 Cæterum dicendum est iudiciariam potestatem cõpetere Christo, vt homini; non solum ex locis supradictis, sed *ex Matth. 13.* vbi dicitur: *Tunc mittet filius hominis Angelos suos, &c. & cap. 16. Filius hominis vẽturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* In qua sententia conueniunt omnes Patres Latini, & *Catechismus Pij V.* Alia autem dubia circa prædictam potestatem dissoluuntur *Opusculo de Incarnatione.*

177 Sed inquires. Quid significetur per illa verba articuli; *viuos, & mortuos?* Non pauci dixerunt nomine *viuorum* intelligi eos, qui tunc temporis iudicij in terris viui superfuerint, eosque non morituros, sed immutandos, vel ad gloriam Beatorum, vel ad damnatorũ pœnam. Sed quamuis *Suarez citatus disp. 50. sect. 2.* hanc sententiam excuset, tamen multi hæreticam, alij temerariam censent ex ad *Hebræos 9. Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium*; & ad *Rom. 5. In omnes homines mors pertransijt, & Psal. 88. Quis est homo, qui viuet, & nõ videbit mortem?*

178 Quare omnium Theologorum concors sententia est, quod ante iudicium vniuersale omnes homines sunt morituri. Et ideò per illa verba *viuos, & mortuos* intelligitur, idest bonos, & malos, vt vult *August. in Enchiridio, cap. 51. & de fide, & Symbolo cap. 8. & Chrisostom. homil. 1. de Symbolo.* Alij exponunt *viuos, & mortuos*, idest animas, & corpora. Alij nomine viuorum intelligunt eos, qui vsque ad diem iudicij viuent licèt tunc morituri sint, vt statim resurgant. Alij cum respectu ad tempus intelligunt, quo Symboli fidem profitemur, ac si dicerent Christum venturum ad iudicandum non solum eos qui nunc viuunt, sed etiã eos, qui præcesserunt, & iam sunt mortui. Ita Suarez; sed vnusquisque in suo sensu abundet dũ primũ modum dicendi non sequatur.

179 Octauum dubium est circa illum articulum; *Sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum Communionem.* Et quidem certum est esse obligationem credendi explicitè, quoad rem in ta-

tali articulo. Ita *Suarez. disp. 13. sect. 4. n. 10. Bañ. Vazq. Castr. Pal. tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 10. n. 5. & Sanch. lib. 2. Decalogi cap. 3. nu. 8.* Difficultas est cur dicatur Ecclesia Sãcta? Aliqui dicũt, quia licet non omnes, aliqui tamen ex filijs Ecclesiæ sunt sancti: & etiam, quia in Ecclesia sunt Sacramẽta. Alij solũ recurrunt ad Sacramẽta Ecclesiæ, vt ipsa sancta sit, quia causant gratiam, & sanctitatem. Alij ideò sanctam existimant, quia omnes fideles appellantur sancti; eo quod Ecclesia sit consecrata, & dicata Deo, sicut lapides, vestes, & alia Deo dicata sancta dicũtur. Vnde 2. *Petri* 9. dicitur ad omnes fideles; *Vos autem genus electum, gens sancta.* Et fauet *Aug. in Psal.* 85. Alij verò Sanctam Ecclesiam ideò dicunt, quia Christus D. Ecclesiæ caput sanctus est. Mea quidem sententia est: Ecclesiam dici sanctam propter omnes titulos, & modos dicẽdi relatos.

180 Etiam est difficultas circa illud *Sanctorum Communionẽ.* Nam *Sanch. dicto cap. 3. n. 7. Suarez disp. 13 sect. 4. n. 10. Coninch. dub. 10. n. 189.* & alij negãt grauem obligationem credẽdi explicitè hoc; alij verò à contrario sentiunt, vt *Turrian. disp. 28. dub. 1.* Qui per *Communionem Sanctorum*; intelligit Communionem Sacramentorum, & bonorum operũ inter fideles iustos, quorũ bona opera alijs prosunt; idem tenet *Catechismus Pij V. à n. 24.* Bellarminus in doctrina Christiana intelligit de participatione orationum, & bonorũ operum, quæ in Ecclesia fiunt. Granados intelligit per cõmunionem fideliũ in eisdem Sacramẽtis. Alij intelligunt in cõfuso aliquam communicationem bonorum spiritualium inter fideles; licèt ignoretur qualis ista sit: ita *Palao disp. 10. n. 5.* & placet.

181 De *remissione peccatorum* non est dubium. Circa *carnis resurrectionem*; etiam nullũ mihi dubium est: & propterea existimo *Suarium* reliquisse hũc articulũ *sect. illa 4. n. 6.* Alijs enumeratis: quia in eo conueniũt omnes Doctores, & nulla circunstãtia est in eo difficilis. Circa articulum *vitam æternam*; etiã nulla mihi est difficultas. Sed solũ ad notare, quod per vitam æternã non solũ intelligatur præmium beatitudinis bonis, & iustis omnibus dandũ, sed etiam pœnam æternã malis, & reprobis cõferẽ dãnã licet nomine vitæ æternę aliquando sola cœlestis gloria significetur in præsenti tamen nomẽ istud generale est vtrãque vitam complectens, beatam, & infelicem.

182 Nonum dubium est. Vtrùm omnium Sacramẽtorũ sit necessitas ex præcepto omnibus fidelibus? Et dico primo, quod est necessariũ necessitate præcepti credere Sacramẽtum Baptismi. Ita omnes Theologi, cũ *Sua. disp. 3. sec. 4. n. 12.* Est enim

Sacramētū Baptismi via necessaria per quā ingredimur ad fidem Dico secūdo; idē de Sacramento Pœnitentiæ est enim secunda tabula post naufragiū; & sic notitia huius Sacramenti necessario habēda est etiam antequam mortale post Baptismum cōmittatur. Dices: ergo omnes tenebūtur scire formām Baptismi, vt si infans, vel aliquis sit in extrema necessitate, possint necessariū remediū adhibere. Respondetur; maximè hoc expedire, vt omnes scirent formā Baptismi; tamē non est de hoc præceptū, nisi fortè respectu eorum qui sunt Parentes, vel qui curam habent ipsorū baptizandorum: ex debito tamen charitatis hæc obligatio posset ad omnes extendi. Loquēdo verò de forma Sacramenti pœnitentiæ mihi videtur omnes Sacerdotes esse obligatos ad illam sciendam.

183 Dico tertio. Quod etiam est necessaria necessitate præcepti fides, & scientia explicita Sacramēti Eucharistiæ. Sed circa hoc est prima difficultas. An sufficiat credere explicitè Corpus Christi contineri sub speciebus Panis, & Sanguinem sub speciebus vini, non negādo, nec concipiendo explicitè continentiam totius Christi sub singulis speciebus, & sub quacumque parte specierum, an verò sit obligatio credēdi explicitè, sub qualibet specie integrum Christum contineri? Aliqui solū exigunt fidem Eucharistiæ, vt sic. Ita *Granados, & Hurt. disp. 44. §. 13.* Alij docēt, esse necessariam fidem explicitam de toto Christo sub singulis speciebus contēto. Ita *Bañez q. 2. art. 8. §. De Euchar.* Vnde secundum istū Authorem omnes tenentur credere, quod in quacumque specie continetur totus Christus cum anima, & sanguine, & quod ibi non est panis, neque vinum; & tenet *Suarez sect. 4. num. 12. & Sanch. relatus, & Conink. & Valencia, & Castro Palao, Ludouicus de Torres*, imo addit *Suarez*, quod omnes fideles tenētur explicitè scire, & credere quod hoc Sacramentum offertur in Sacrificio in Missa.

184 Dices: ergo quādo fideles audiūt Missam ex Ecclesiæ præcepto tenentur scire in illa Missa offerri sacrificium. Respōdeo, quod iuxta setētiā *Suarij*, quā sequitur *Lugo disp. 3. sect. 5. n. 122.* consequentia videtur legitima. Nā obligare fideles ad Missam, non est obligare ad actionem illam materialem externam cærimonię, sed ad actionē sacram, & perconsequens, inquit *Lugo ex Suario citato, & tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. 1. §. Hinc autem oritur, & tom. 1. de Religione, tract. 2. lib. 2. de diebus festis, cap. 15. n. 2* ad offerendū Sacrificiū cū Sacerdote. Vnde videtur esse necessariū fidelibus scire, quod in Missa offertur sacrificiū. Et quidē de iure quasi naturali est obligatio sacri-

crificij; ius enim ipsum naturæ omnes homines inclinat ad cultum sacrificij: imò videtur de iure Gentium ab initio Mundi, non solum ad colendum Deum verum; sed inter Gentiles ad cultum falsorum Deorũ.

185 De alijs quatuor Sacramentis: *Lorca disp. 23. memb. 1. num. 19, & Castro Palao* dicunt, obligare sub peccato mortali, scire, & credere ea explicitè, *Coninch. citatus in suo num. 192.* dicit esse obligationem saltem sub veniali. *Hurtad. citat. sect. 2. §. 12.* dicit esse obligationem quoad sex Sacramenta, non verò quoad matrimonium, excipit volentes hoc Sacramentum contrahere. Sed aliorum communis sententia tenet: quod notitia quatuor Sacramentorum non est necessaria necessitate præcepti singulis fidelibus, sed ijs, qui eam volunt suscipere, & potiori iure intelligitur de ijs, qui administraturi sunt illa. Ita *Lug. ex Bañez, Valencia, Turriano, Sanchez, Suarez, Granados, & alijs in suo nu. 124.* Nam omnes isti pro certo supponunt nõ esse præceptum vniuersale suscipiẽdi hæc quatuor Sacramẽta.

186 Sed inquires. Est necessariũ necessitate præcepti credere explicite, & scire præcepta Decalogi? *Medin. lib. 4. de recta in Deũ fide, cap. 6.* tenet sufficere fidelibus scire illa duo principia: *quod tibi non vis, alteri, ne facias. Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Displicet *Suario in suo n. 11.* hoc placitũ: quia nõ potest habere locũ, nisi in ordine ad præcepta secũdæ tabulę respiciẽtia proximũ: imò cũ in præceptis secũdę tabulæ fornicatio prohibeatur, & similia ad quæ illa principia non deseruiũt, ruit illud placitũ. Itẽ, quia in illis principijs nõ prohibẽtur desideria, quę prohibẽtur in præceptis Decalogi. Sũt enim illa principia nimis vniuersalia, quæ difficulter ad materias particulares applicantur. Cõmuniter ergo Doctores affirmãt esse necessariã necessitate præcepti fidẽ, & scientiã explicitã singulis hominibus præceptorũ Decalogi. Ita *Suar. Bañ. Sanch.* & innumeri alij, & nouissimè *Lug. n. 126.* Quia Deus de facto ad fugãdas tenebras, & ignorãtias, quas peccatũ induxit præcipit, & reuelauit talia præcepta, & intimauit per Moysem Iudæis, & omnibus posteà per Christum.

187 Dubitabis etiã, est necessariũ necessitate præcepti scire, & credere explicitè quinq; præcepta Ecclesiæ? *Hurt. disp. 44.* dicit esse necessarium necessitate præcepti omnibus fidelibus credere hæc quinque præcepta. Sed optimè notat Cardinalis de Lugo debere corrigi hanc sententiã. Vnde cõmunis sentẽtia tenet; solũ esse necessariũ scire hæc præcepta Ecclesię. Bellarm.

sextum Ecclesiæ præceptum ponit, scilicet non celebrandi nuptias temporibus ab Ecclesia prohibitis; sed hoc præceptum cõmuniter non ponitur, quia solũ est pro Sacerdotibus, & pro ijs qui contrahunt matrimonium.

188 Inquires: Est ne obligatio sciendi opera misericordiæ quatuordecim? septem corporalia, & septem spiritualia? Videtur affirmare *Lorca citatus in suo nu.* 19. addens esse obligationem sciendi consilia Euangelica. Alij verò dicunt sufficere scire, esse obligationem subueniẽdi in genere proximo in necessitate constituto. Videatur *Sanchez, Palao, Hurtado*, apud *Cardinalem de Lugo num.* 129. qui optimè dicit opinionem Lorcę non habere fundamentum.

189 Dubitant aliqui de oratione Dominica. Et certum est, vt supra notauimus, non pertinere ad obligationem credendi; sed dubium est, si ad obligationem sciendi, vel discẽdi pertineat? Aliqui dicunt esse obligationem sciendi orationẽ Dominicam; non tamẽ explicant, an sub mortali, vel sub veniali. Ita *Paludanus, Palacius*, & alij apud *Sanchez in Decalog. cap. 3. num.* 19. *& Valencia, Castro Palao* dicit esse obligationem grauem sciendi illam quoad substantiã; *ita tract. 4. disp. 1. punct. 10. num.* 8. sed non bene explicat: quia non declarat in quo consistat scire illam in substantia. *Coninch. dub.* 10. *concluſ.* 5. dicit esse obligationem sciendi quoad sensum, ita quod sciamus respondere de singulis interrogati. Hurtado dicit esse obligationẽ sciendi illam, sed gradum obligationis non explanat. *Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 3. n.* 19. dicit esse peccatum veniale, illã orationem memoriter non scire. Sequitur *Nauarrus, Angelus, Syluest. Tabien. Azor* 1. *tom. lib. 8. cap. 7. quæst. 4. & 5. Suarez verò disp.* 13. *sect.* 4. etiam videtur asserere, & idẽ dicit *tom. 2. de Relig. lib. 3. de Orat. cap. 6. à num.* 6. sed ibi *Suarez* nullam obligationem dicit esse, adhuc sub veniali, quamuis *num.* 8. oppositũ videatur dicere.

190 Itaque omnes dicunt, quod fideles scire debẽt, Deum esse orandum, atque adeò substantiam orationis Dominicæ esse, sciendam, non solum pro bonis acquirendis temporalibus, & spiritualibus, sed pro singulis malis vitandis, quæ in tali oratione continẽtur. Memoritèr tamen scire illam orationẽ, vt posita est in Missali, & communiter recitatur, nulla videtur esse obligatio, prout ex sententijs relatis deducitur; sed de hoc in *tract. de Relig.* latius dicetur. Nam quamuis in Concilijs *Toletano* 4. *Remensi. cap.* 2. *Magunt. cap.* 45. *Forojulien. sub Carolo, & Pipino*: obligationem imponãt cir-

circa orationem Dominicam, non tamen inducunt præceptum, pro tota Ecclesia; quia sunt Concilia Prouincialia; non tamen à veniali excusarent, quidquid alij dicant, propter consuetudinem, & fidelium existimationem, qui maximam turpitudinem censent in ignorantia huius orationis; quod idem dicerent de oratione Angelica.

191 De rudimentis, quæ pro pueris instituendis apponi solent in catechismis: vt Octo beatitudines; Duodecim fructus Spiritus Sancti, & Septem dona eius; tres Animæ Inimici, & potentiæ Animæ, confessio generalis, dicēdum est, non esse obligationem ex præcepto illa ad dicēdi; quamuis vtilissimè pueris ad discenda tradantur. Idem dicendū est de tribus virtutibus Theologalibus, & de septem vicijs capitalibus. Inquires: Est necessarium memoriter retinendi ea omnia, quæ sunt ex necessitate præcepti credenda? Nam Paludanus simpliciter, & absolutè dicit, quod sic. Sed *Suarez disp. 13. sect. 5. n. 8. & Sanchez cap. 3. n. 16. & 19. & Coninch. Granad & Castro Pal.* dicunt solū esse peccatum veniale, memoritèr non scire ea, dum tamen ita substantia eorum sciatur, vt interrogatus respondere possit. Dices: ergo si quis solum lingua, quam non intelligit, illa sciat peccabit. Respondent *Sanchez num. 16. Suarez num. 15. Palao num. 9. Coninch. num. 194.* ita esse. Dices: ergo omnis fidelis debet adhibere diligentiam ad sciendum, & intelligendum illa omnia, secundum substantiam. Respōdeo affirmatiuè: ita quod non sufficit semel, & iterum audisse, sed diligentius debet inquirere, & attentius meditare. Tamen si aliquis, ita rudi ingenio sit, vt nequeat articulorum substantiam capere, excusabitur ratione impotentiæ. Ita *Azor, Valencia, Sanchez num. 18. Palao num. 10.*

CAPVT III.

De Infidelitate, & Infidelibus.

Sectio 1. *Vtrùm Infidelitatis peccatum rectè diuidatur in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim?*

192 SVppono primo vnam esse infidelitatem negatiuam, seu priuatiuam, quæ est carentia fidei debitæ, & omissio præcepti instantis affirmatiui; & alteram positiuam contra præceptum fidei negativū, quæ est error positiuus contrarius fidei: & vtraque est inuincibilis, & tunc non est peccatum: & vincibilis, & tunc erit peccatum ex suo obiecto, seu genere. Vnde duplex est infidelitatis peccatū omissionis, scilicet, & com-

missionis. Secundo noto, quod quadrupliciter potest peccare contra fidem. Primo, credendo non esse verum articulum sufficienter propositum. Secundo dubitando de tali articulo: & vtrumque est infidelitas positiua. Tertio omittendo omnem actum, & est infidelitas priuatiua, aut negatiua. Quarto; nolendo credere, sed non dissentiendo positiuè, nec dubitando: & hoc videtur mixtum ex omissione, & commissione.

193 Suppono tertio: infidelitatem subiectari in intellectu, quamuis imputetur voluntati: & ita saluatur, qualiter infidelitas possit esse in voluntate. Supponitur etiam, quod odium Dei est maius peccatum, omnibus peccatis, vt fatetur *Scotus possibile in secundo, dist. 47. quæst.* 1. Difficultas ergo est vtrùm sit maius peccatum desperatione? Affirmat *Lorca* 2. 2. *quæst.* 20. *ad art.* 3. cum *D. Thom. & Aragon.* Negat *Felix cum Scoto citato, Hurtad. disp.* 69. *sect.* 4. Quia spes est virtus perfectior, & in potentia perfectiori, & desperatio immediatè auertit à Deo, non verò sic infidelitas. Sed contra: quia infidelitas aufert, & negat authoritatem diuinam, & eius veracitatem, vbi videtur inclusa tota desperationis malitia, imò odij Dei: ergo. Sed quia resolutio huius pendet ex infra dicendis, ideò ad dicenda postea me remitto.

194 Suppono quarto: quod Paganismus dicitur secta gentium, qui fidei Christianæ contradicunt, & neque sub nomine Christiano, neque Iudaico viuunt; vt Mahometani, & alij Barbari. Iudaismus dicitur secta gentium, qui fidei Christi contradicunt, & sunt sub nomine Christi, secundum suam ignorantiam venturi credentes nondũ venisse, sicut, vel admodum quo credebatur in veteri Testamento. Hæresis dicitur secta gentium, qui sunt sub nomine Christi, & credunt venisse, sed contradicunt fidei nostrę, & Ecclesiæ Catholicæ in parte, vel in totum.

195 His breuissimè relatis: dico rectam, & sufficientem esse diuisionem infidelitatis generalissimè sumptæ in Paganismum, Iudaismum, & Hæresim. Ita communis sententia, ex vsu Ecclesiæ, quæ orans pro omni differentia infidelium, solum pro Iudæis, Hæreticis, & Paganis orat; cui consentiunt Sancti Patres apud *Suarez disp.* 16. *sect.* 4. Turcismus enim reducitur ad Paganismum. Dubitans autem de fide est quasi infidelitas in genere abstrahens ab illis.

196 De qualitate diuisionis videtur esse subiecti in ac-

ci-

cidentia: quia in modo priuandi eamdem honestatem virtutis fidei, tres illæ sectæ non habent specialem, & specificam differentiam, sed valdè materialem, & accidentariam honestati virtutis fidei, & primæ veritatis. Etenim in Paganismo, sicut in Hęresi potest peccari per excessum, & per defectum, per commissionem, & omissionem, & similiter hoc in Iudaismo potest inueniri: ergo idem numero pecatum infidelitatis potest committi à Iudæo, à Pagano, & Hæretico: ergo quod sit Hæreticus, Paganus, vel Iudæus, non distinguit specie peccatum infidelitatis, sed sunt accidentia peccati, valdè materialia, vt tenet *Suarez disp. 16. sect. 4. num. 7.* & alij.

197 Nihilominus hoc grauissimas patitur difficultates communes multis materijs, quas soluere opportet hic breuiter. Prima est, vitium per excessum, & vitium per defectum sunt diuersa peccata in specie; & eidē virtuti oppositæ, sed Paganismus est vitium per excessum, & Hæresis, & Iudaismus sūt vitia per defectū virtutis fidei oppositæ: ergo specie distinguntur. Respondeo. quod omnes tres istæ infidelitates sunt vicia per excessum: quia Hæreticus, sicut discredit vni articulo, etiā discredendo omnibus esset Hæreticus, & similiter Iudæus.

198 Secunda obiectio est. Qui fornicatur post votum castitatis diuersum peccatum in specie facit, ac ante votum: ergo Hæreticus, qui in Baptismo vouit fidem Christi, diuersum peccatum infidelitatis specie committit, ac Paganus, qui fidem Christi non est professus in Baptismo. Respondet *Ægidi. disput. 18. dub. 10. num. 70.* Quod Iudæus, & Christianus in Baptismo non emittunt votum fidei. Secundo respondet Suarez, quod fornicatio post votum, & ante votum non differunt specie in genere luxuriæ: post votum tamen est circunstantia specialis non in genere luxuriæ, sed in genere Religionis; & sic infidelitas post Baptismum, in genere infidelitatis, non est specie diuersa à Paganismo, sed in genere obedientiæ, & Religionis. Quare *Sanchez lib. 2. cap. 7. num. 17.* & *Suarez nu. 14.* optimè docent: infidelitatis circunstantias esse necessario explicandas, nō solum, quia faciūt peccatum diuersum specie in alio genere, sed etiā, quia intra eamdem speciem notabiliter aggrauant: & vt diximus *tract. de Pœnitentia Sacramento*, circunstātiæ notabiliter aggrauātes sunt necessario explicādæ. Videatur *Lug. disp. 16. de Pœnitē. sect. 5.* & *hic disp. 18. sect. 3. n. 88.*

199 Dubitabis. Qui recipit nouum Testamentum, & non ad-

admittit vetus; erit hæreticus? Affirmat *Lug. num. 69.* sed iuxta alias à se dicta non videtur doctrina consequens; nam *n. 83.* dicit, quod tres istæ infidelitates Paganismi, Hæresis, & Iudaismi non possunt esse simul in eodem subiecto; sed posset paganus admittere novum Testamentum, qui adhuc baptizatus non esset, negando Testamentum vetus: ergo vel simul possunt esse istæ tres infidelitates in isto subiecto, vel talis non erit hæreticus. Subscribo igitur ei, quod esset hæreticus iste talis, non admittens nouum Testamentum, & consequenter admittit Religionem Christianã, secundum ea, quæ sunt propriæ talis Religionis; & sic non admittens vetus Testamentum, à vera fide Christi decedit. Quod totum verum est, etiam in casu, quod solum Christum admitteret. Imò idem est dicendum de eo qui vetus Testamentum negaret, sed profiteretur legem Iudaicam, quiquidem pertineret ad Iudaismum.

200 Si ante Euangelium Christi Iudæus in errorem aliquem contra fidem Iudæorum incideret, esset hæreticus? Respondeo affirmatiuè cum *Suario disp. 16. sect. 4. n. 19. & 12.* quem sequitur Lugo dicens, quod si talis à tota lege Iudeorum defeciſſet, & eius fide esset paganus: in quo non videtur consequens *ad num. 83.* Dices: Atheismus in homine baptizato pertinet ad hæresim, vel ad Paganismum? *Lug. num. 78.* dicit non pertinere ad hæresim, sed ad Paganismum, sed non videtur consequenter dictum ad *num. 83.* existimo enim esse simul hæresim, & Paganismum, suppositio baptismo.

201 Dubitabis. Antichristus, & eius asseclæ, ad quã classem infidelitatis pertinebunt? *Suarez sect. 4. in fin.* dicit pertinere ad Iudaismum. *Lugo n. 78.* dicit pertinere ad classem Atheismi, & Paganismi, pro quo citat *Suarium tom. 2. in 3. part. disp. 54. sed. 4.* sed hoc non videtur consequens ad *num. 83.* Existimo enim Antichristum, & eius asseclas infidelitate Paganismi, Iudaismi, & hereseos extituros infectos, & etiam erunt Atheistæ, & supremus idolatra erit Antichristus.

202 Sed difficultas est, vtrum Paganismus, Iudaismus, & Hæresis possint inueniri simul in eodem? nam *Eminentiss. de Lugo negat num. 83. disp. 18. citata.* Ex eo quod Paganismus excludat Christi confessionẽ etiã in figura: ergo non potest esse simul cum hæresi, quæ Christũ explicitè confitetur, nec cum Iudaismo, qui Christum saltim in figura confitetur: similiter Iudaismus negat Christum venisse: ergo non potest esse cum hæ-

hæresi; quia hæretici non sunt, qui Christum venisse non confitentur. Sed non videtur consequens doctrina, vt ex dictis cōstat. Dicendum ergo à nobis est has tres infidelitatis species posse simul in eodem inueniri. Nā ille, qui natione Iudæus Baptismum validum reciperet, & posteà negaret, Christum venisse, & Mahometanam sectam, & cærimonias eius obseruaret, iste talis esset Christianus, Iudæus, Paganus, & Hæreticus: ergo. Ad rationem Cardinalis de Lugo, nego Paganismum cum Hæresi non posse esse, & similiter nego non posse esse cum Iudaismo; vt patet in exemplo pro nostra opinione allato.

203 Dubitabis item. Ex his infidelitatibus qualis est grauius peccatum? Respondeo: quod intensiuè grauius est Hæresis, posteà Iudaismus. Probatur prima pars: qui maiorem iniuriam irrogat, qui tenetur esse amicus, & amicum se simulat, & iniustè, & fraudulenter nos impugnat, quam hostis declaratus, iuxta illud *Psal. 54. Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.* Ex parte autem materiæ, & extensiuè peius peccatum est Paganismus, grauius, & maius, loquendo per se, & posteà Iudaismus. Nam plures articulos negat Paganismus, quàm Iudaismus, & Hæresis. Ita *Suarez relatus sect. 4. num. 14. ex Diuo Thom. quæst. 10. art. 6.* consentit Lugo huic doctrinæ, sed *num. 86.* notat aliqua, quæ parum referunt ad explicationem doctrinæ S. Thomæ; nam *dist.* notata *à Suario* optimè explicatur Sācti Thom. doctrina. Vnde licèt Ecclesia Catholica non puniat infideles non baptizatos conuenio tamen posse inquisitionem sanctam punire Iudeos, qui ex Iudaismo ad Paganismū transeunt ex *Bulla Gregor. XIII.* vt notat *Diana 4. part. tract. 7.* Tamen hoc ad difficultatem præsentem, & explicationem doctrinæ S. Thomæ parum refert.

204 Dubitabis præterea sub genere infidelitatis dantur species diuersæ in ratione infidelitatis? & primo certum est, physicè loquendo, & materialiter, posse esse infidelitates specie diuersas, quotquot sunt veritates materiales, & obiecta materialia diuersa in specie. Difficultas est de differentia specifica morali in præcisa ratione infidelitatis: nam sub alia circunstantia fateor posse esse infidelitates specie diuersas, vt patet ex dictis *num. 198.* stando ergo sub illa formalitate infidelitatis aliqui affirmatiuam partem tuentur, ea ratione ducti, quia est infidelitas, quæ destruit fidem, & est alia infidelitas, qua non amittitur fides, & istæ infidelitates dicunt esse specie diuersas. Verum,

rum, vt optimè notat *Cardin. de Lugo*, infidelitas, qua fides non amittitur, non est infidelitas. *Hurtad. disp. 72. sect. 2. §. 6.* videtur conuenire cum illa sententia, & dicit, quod omissio credendi, quando obligat credere, & commissio dissensus positiuè circa res fidei differunt specie; sed falsum dicit; non vt inquit Lugo, quia omissio illa credēdi non est infidelitas, nā sine ratione hoc dicit, quia omissio credendi, quando est obligatio credendi, peccatum est graue contra fidem, & infidelitatis propriæ. Dicit ergo Hurtado falso, quia omissio, & commissio, si differunt specie, erit tantum physycè, & materialiter, non vero formaliter in ratione infidelitatis.

205 De propria autem infidelitate loquendo intendit *Hurtad. sect. 3.* probare diuersitatem specificam infidelitatis. Primo: quia negans veracitatem Dei diuersam in specie Hæresim committit, ab eo qui fatetur veracitatem Dei, sed negat reuelationem factam de aliquo articulo. Respondet Eminentiss. de Lugo, non esse ad rem doctrinam Hurtadi. Sed ego, præscindendo ab hoc, respondeo ad Hurtado, quod in ratione infidelitatis illæ Hæreses non differunt; nam prima Hæresis vltra rationem infidelitatis includit malitiam blasphemiæ contra Religionem; & sic vtraque Hæresis in ratione infidelitatis eiusdem sunt speciei; licèt in ordine ad Religionem specie differant; ita *Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. cap. 4. nu. 2.* Et eodem modo soluuntur ferè omnia argumenta, quæ fusiùs proponit *Hurtad. à §. 7.* suo.

206 Dubitabis. Apostasia est species infidelitatis? vel tantum circunstantia eius? Pro resolutione nota: quod Apostasia est retrocessio, aut desertio instituti diuini susceptì cum animo, & obligatione perseuerandi in eo. Quæ triplex est. Prima ab ordine, seu Religione: de qua in *tract. de Religion.* disputabitur. Secunda est ab obedientia: & ista committitur quouis peccato mortali, & propriissimè restringitur ad peccatum inobedientiæ contra mandata Summi Pontificis, & Ecclesiæ. Tertia est Apostasia à fide: ad quam requiritur primo: quod fides susceptа deseratur: in quo videtur distingui ab Hæresi: quia nō requirit, quod in habente præcesserit fides, sed sufficit Baptismus: Legatur *Farinacius, tract. de hæresi, quæst. 183. §. 2.* Secundo requiritur, quod tota fides Christi renuntietur, abnegetur, & ab ipsa recedatur, transeūdo, vel ad Iudaismum, vel ad Paganismum. Ita *Castro, Turrecremata, Caietan. Syluester, Bañez, Cano, Aragon, Valencia, Azor, Sanchez,*

chez, Suarez sect. 5. n. 3. disp. 16. qui alios citat Theologos, & luristas, quos sequitur Hurtad. disp. 89 §. 5. Quod intelligo de cõpleta apostasia: nam omnes Hæreticos iudico apostatas speciali apostasia. Quia verè per dissensum à quocumque articulo fidei cum pertinacia dimittunt fidem, & ab instituto fidei recedunt. Ita Lorca disp. 50. n 7. & Suarez citatus in suo n. 5. Coninch. disp. 18. dub. 6. num. 55. Cyprianus lib. 1. epistol. 2. vol. 54. Thom. Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 7. num. 18. vnde apparet Authores non esse oppositos si benè legantur.

207 Dices. Ergo ille qui semel fidem amplexus est, & adhuc cathecumenus illam deseruit ante Baptismum, non erit apostata. Respodet Suarez, Hurtad. disp. 89. §. 3. & Lorca disp. 50. n. 11. talem esse apostatam. In quo etiam conuenio. Sed tamẽ non incurrit pœnas pro apostatis latas, quia istæ pœnæ sunt latæ contra apostatas, qui susceperunt Baptismum.

208 His positis ad difficultatem propositam num. 206. dico. Apostasiam esse circunstantiam infidelitatis transcendentem per omnes differentias illas tres materiales infidelitatis, & per ordinem ad confessionem; quia notabiliter aggranans, & quasi mutans speciem infidelitatis: imò non pauci, cum Caiet. Bañez, Aragon, Azor, Castro, & alijs, dicunt esse propriam infidelitatis speciem, sed nostram sententiam docet D. Thom. Angelus, Turrecremata, Cano, Palud. Suarez num. 8. Lorca nu. 7. Hurtado disp. 89. §. 6. & sequitur Lug. sect. 4. num. 102. Vnde videtur circunstantia hęc necessario cõfitenda, quamuis Diana tenet oppositum, vt vidimus tract. de Pœnitentia Sacramento. Præterquam quod contra Dianam videntur esse omnes illi, qui asserunt apostasiam addere malitiã specie diuersam ab infidelitate, scilicet violationem promissionis specialis præstitæ in Baptismo, vel specialem obedientiam præstitam in Baptismo ad Ecclesiã, & Summum Pontificẽ, de quo videndus est Eminentiss. Lug. disp. 16. de pœnitentia, sect. 5. à num. 294.

Sectio. 2. *De infidelibus non Hæreticis, seu non Apostatis?*

209 PRæsens titulus plures cõtinet sub se difficultates, & ideò secandus est in varias subsectiones, vt claritate procedamus.

Prima subsect. *Vtrùm in istis infidelibus, v.g. Paganis, & alijs nõ baptizatis, carentia Fidei interdum possit à peccato excusari?*

210 ALtisiodorensis lib. 3. Summæ tract. 3. cap. 2. q. 3. Alen-

Alens. D. Bonauentura, Gabriel, Adrian. Syluest. Gerf. Corduba, & Castro apud Suar. disp. 17. sect. 1. affirmant nunquam posse esse sine peccato infidelitatem, & consequenter ad titulum subsectionis respondent negatiue. Citanturque *D. Tho. & Hug. Victorinus*, sed illos excusat *Suar.*

211 Communis verò sententia affirmat, posse esse sine peccato infidelitatem, in dictis infidelibus. Tenet S. *Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. Caiet.* ibi, *Valencia*, & alij *in 1. 2. q. 76. art. 1.* vt *Medina, Vazquez disp. 120. cap. 3. Durād. Conrad. Almai. Armacan. Vega 6. in Trident. cap. 8. Vitoria, Cano*, vterque *Sotus, Azor, Sanch. 1. Decalogi, cap. 16. nu. 32* quos citat *Suarez* & sequitur *Hurtad. disp. 65. sect. 2. Coninch. disp. 18. n. 19. & Castro Palao tractat. 4. disp. 1. punct. 11. n. 4.* quos sequitur *Lugo disp. 19. sect. 1. n. 10.* De quo supra nobis iam dictum est *disp. 3. cap. 3 sect. 4.* Quoniam sunt infideles, qui omnino nullum fidei sensibilem sonitum audierunt: ergo excusabuntur à culpa infidelitatis: quia ad impossibile nemo tenetur: & inquit *Paul. ad Rom. Quomodo credent sine prædicante?* Aliqui autem infideles, & si audierunt, sed sine sufficienti propositione: ergo isti infideles excusari possunt à culpa infidelitatis: quia habent ignorantiā invincibilem fidei.

212 Quod si obijcias pro oppositā sententia. *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*: ergo cum peruenit homo ad vsum rationis, vel facit quod est in se, vel non: si facit, illuminabitur à luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, & sic erit fidelis: si nō manebit infidelis: & sic nullus infidelis est (quæstio est de adultis) in quo fidei carentia possit excusari à culpa infidelitatis: quia talis carentia est voluntaria, vtpotè voluntariè non facit quod est in se.

213 Vrget sanè hoc argumētum. Sed respondeo, quod quā uis infidelis maneat in sua infidelitate: quia non facit quantum est in se, hoc tamen est, vt causa valdè remota, & cui per accidens sequitur negatiua infidelitas, non verò per se, ne sufficienter interpretatiuè ad hoc, vt possit imputari ad culpam; quia non cognoscit, nec præuidit suum peccatum, seu non facere, quod est in se, esse impedimentum diuinæ illustrationis ad fidem: nam ignorat præceptum, & obligationem fidei; sicut, v. g. si quis faciat aliquid illicitum, & dat operam rei illicitæ, ex quo sequatur nocumentum proximo non præuisum, tale nocumentum, non imputatur, eo quod peraccidens coniungitur, & nullo modo est voluntarium.

214 Circa illud autem axioma,

ma, *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam* est controuersia inter Theologos. Nam *Vazquez 1. part. disp. 89. cap. 5. & disp. 91. cap. 10. & 11. & 12. disp. 199. cap. 2.* intelligit de faciēti, quod est in se ex viribus gratiæ, non verò ex viribus naturæ, quia si sic intelligatur est error Masilienſium. Sed non sunt pauci, sed multi; & grauissimi Doctores intelligentes de faciēti quod est in se, vt sonat, scilicet ex viribus naturę. Citantur pro hoc placito *Altisiod. lib. 3. summæ, tract. 2. q. 5. Alens. 3. part. q. 69. Ricard. Albertus, Sotus, Medina, Vega, Gerson, Driedo, Ruardus, Mascareñas, Molina in concor. q. 14. art. 13. disp. 6 memb. 5. & disp. 10. & quæst. 23. disp. 3.* sequiturque *Lessius 1. de auxilijs in Appendice ad cap. 10.* Et videtur fauere *S. Tho. q. 14. de veritate, art. 11. ad 1. & 3. contra Gentes, cap. 159. & in summa, & in 2. dist. 28.* sed non benè citatur Angelicus præceptor, quia sanctissimus Doctor solum vult in illis locis posse esse dispositionem ad gratiam sine habitu, non verò sine auxilio. Potest etiam citari *Scot. in 4. distinct. 14. quæst. 2.* sed iam dixi, & præcipuè *opusculo de pœnit. virtute disp. 1. cap. 4. sect. 2.* quam malè intelligant N. subtilis Doctorem, & Catholicissimū aliqui Authores. In eamdē sententiā relatā videtur incidere *Eminentis. de Lug. disp. 19. sect. 1. n. 20.*

215 Vtrùm autem sint aliqui in hac vita, quibus Deus denegauerit auxilia sufficiētia ad iustificationem, & salutem? pertinet specialiter ad *tract. de auxilijs, & de gratia*; videantur tamē *Bellarmin. 2. de gratia, & lib. arb. à cap. 5. Molin. in concordia, q. 1. ar. 13. disp. 10. & 1. par. q. 23. art. 5. disp. 3. & q. 19. art. 6. disp. 1. Vazquez 1. part. disp. 96. & 97. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 8. sect. 2.* vbi possunt videri variæ sententiæ pro hac quęstione. Ego verò cum saniori, & verissima sentētia semper teneo, & tenui, quod Deus omnibus hominibus, quomodocūque infidelibus dat auxiliū sufficiēs. Obduratio enim non dicit auxilij huius carentiā.

216 Sed obijcies contra nostrā cōclusionem, *n. 215.* positā: Qui ex ad *Rom. 10. Quicūque inuocauerit nomen Dñi, salvus erit:* & proponens dubitationē, seu rationē dubitandi (quæ est fundamentū nostræ sententiæ) scilicet, *& quomodo inuocabunt eū, in quem non crediderunt, quia quomodo credent si non audierunt, aut quomodo audient sine prædicante?* Protinus hanc dubitandi rationem soluit, & excludit idē Apostolus dicens; *Et quidem in omnē terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: ergo ignorantia non est excusatio: quia secundum *Aug. epist. 180. nulli licet Ecclesiam Catholicam ignorare, quia abscondi non potest:*

quia

quia enim omnino non audiuit, non credere, non excusabit, vt sempiterno igne non ardeat, sed solum (inquit *lib. de gratia, & libero arb. cap. 3.*) *vt minùs ardeat excusabit.*

217 Respondent aliqui; quod Paul. loquitur ibi de cœlis, seu de sonitu cursus cœlorum. Ita *Vazquez 1. part. q. 97. art. 5.* vt ex eo solum, ait, probetur, nullo modo posse homines excusari à cognitione naturali Dei; quia sonus cursus, & rotationis cœlorum sufficientissimè illum notificant, non verò loquitur de cognitione per fidē supernaturalem. Cęterum Vazquez contra communem Sanctorum Patrum expositionem loquitur, ex Iansenio super locum ad Romanos. Nam licèt verum sit secundum sensum literalem *Psalm.* 108. non verò secundum sensum dictum ab Apostolo, vbi loquitur de sono Apostolorum verbi Euangelij, & sic sine controuersia loquitur Paul. de vera fide.

218 Quare dico, quod Apostolus propchtico more loquitur prædicens verbo præterito, quod futurum erit in fine Mundi. Ita exponunt *Salmerō disp* 34. *& Pereira disp. 4. super epistol. ad Rom.* Sed verius existimo, verba debere intelligi, vt sonant, cum quo etiam stat, quod respectu multorum sit ignorantia, non ex defectu promulgationis Euāgelij ab Apostolis, sed ex defectu Pastorum, & Prælatorum, qui sua negligentia omiserunt cōtinuationem prædicationis, & legis Euangelij intimationem. Et sic ignorātia infidelium non excusabit illos primos Pastores, vt puniantur sempiterno igne, nec vt minùs ardeant; excusabit tamen infideles; & sic potest exponi Augustinus. Verum in priori loco loquitur de hæreticis. In secundo autem loco fateor, quod ignorantia fidei non excusabit à dānatione æterna, & igne sempiterno, quia moriūtur sine fide, propterea, quia non fecerunt, quod erat in se ex auxilio gratiæ sibi collato, ita quod mori sine fide est pœna peccati, nō verò peccatum formaliter infidelitatis, & propterea dicit Augustinus, *excusabit, vt minus ardeat*; nā talis infidelitas est negatiua, & non peccatū, & sic propter illam non punitur.

219 Dubitabis primo. Potest esse error contra vnam, vel alteram veritatem fidei, absque culpa in Catholicis, non solum rusticis, & imperitis, sed etiam peritis, & doctis? Respondeo, quod sic: tenet expresse *Luz. disput. 19. sect. 1. n. 1.*

220 Dubitabis secundo. Potest dari ignorantia inuincibilis eorum, quæ sunt de iure naturæ? Respondeo, quod de hoc satis dixi *tract. de peccatis*, & ferè omnium opinio est, posse dari talem inculpabilem ignorātiā, sal-

saltem pro aliquo tempore, de prohibitione vsuræ, de malitia mendacij prolati ex causa, de malitia simplicis fornicationis, de pluralitate vxorum prohibita, de vindicta non sumenda propria authoritate, & de alijs ad Deum pertinētibus, quæ notat *Suarez disp.17. sect.2. num.7.* Et *Thom. Sanchez* alios referens *lib.1. Decalogi, cap.16. n.33.* vbi pollutionem voluntariam pro exemplo affert, & sequitur *Lugo* citans *Vazquez*, & *Coninch* in suo *num.2.* relatus.

221 Dubitabis tertio. Inter fideles, & infideles potest dari ignorantia inculpabilis multarum rerum fidei, & quandoque earum, quarum fides explicita est necessaria necessitate præcepti? Respondet *Sanchez lib.2. Decalog. cap.3. num.20.* affirmatiuè, & *Suarez disp.15 sect.1. numer.10. Hurtado disp.65. sect.2. §.10. Vazquez, Azor*, & alij apud *Sanchez*, qui dicit frequenter talem ignorantiam accidere, & sequitur *Lugo num.3.*

222 Dubitabis quarto: vtrū omissio fidei explicitè, seu ignorantia similis inculpabilis accidere possit inter fideles circa obiecta necessario necessitate medij credenda: qualiter sunt Deum esse vnū, & Remuneratorem esse, Mysterium Trinitatis, & Incarnationis? Negant *Gabriel, Durand. Emman. Rodriguez 1.tom. Summæ, cap.88. n.4.* quos sequitur *Lorca disp.34. & 1.2. sect.4. disp.30.* Affirmare videtur *Sanchez* cum *Azor, Coninch disput.14. dub.11. num.231. & 233.* Sed expressè tenet *Palao 1.tom. tract.4. disp.1. punct.11. num.5. Eminentiss. Lugo n.5.* negat, loquendo de fide Dei vni, & Remuneratoris, cum prima sentētia: & affirmat cum secunda opinione loquendo de fide Trinitatis, & Incarnationis.

223 Dubitabis quinto. Poterit esse casus, in quo aliquis sit in sensu composito Mahumetanus, vel Paganus, vel Idolatra, & simul fidelis, ita quod in eo maneat habitus fidei? Pater Suarez affirmat de illo, qui in pueritia baptizatus nutritur apud Turcas, vel Paganos Idolatras, & factus adultus, nihil audiens de fide, collit Idola culpabiliter contra Religionem, & legem naturæ, non verò contra fidem, quā invincibiliter ignorat, & sic in isto Idolatra dicit simul manere fidem. Ita habet *disput.17. sect.2. num.3. & 4.*

224 Sed obijcies: ergo talis puer nullam habens notitiā, sed ignorantiam invincibilem totius fidei, & reuelationis diuinę, si pertinaciter negaret Deum esse summæ veracem, seu veracitatem Dei, adhuc in illo perseueraret habitus fidei infusus in Baptismo; quia negatio illa, seu dissensus circa veracitatē diuinā, licet sit peccatū blasphemiæ

contra legem naturæ, non tamē videtur contra fidem: quia, vt ſupponitur, talis baptizatus ignorat invincibiliter, eſſe reuelatum, Deum eſſe ſummè veracē, & veracitatem diuinam, eſſe infallibilem. Quid reſpōderet Suarez non video: conſequenter ad ſua principia dicendum erat totum argumentum eſſe verum. Ego verò nō audeo fateri, quòd in tali caſu maneret habitus fidei: etenim impoſsibilis mihi videtur ignorātia invincilis circa motivum formale fidei: & ita in tali caſu ille peccaret contra fidem, & ſic deſtrueretur habitus fidei.

225 Obijcies ſecundo: ergo poſſunt eſſe ſimul habitus ſupernaturalis fidei, & habitus vitioſus erroris infidelitatis contra fidem. Reſpondeo contra Bañez, & alios relatos à *Petro Hurtado diſp. 6. §. 42.* affirmatiuè; & ſequitur *Lugo diſput. 17. à num. 50.* quia talis habitus, non ſunt contrarij; & patet in nouitèr conuerſis ad fidem.

Secunda Subſectio. *Vtrùm omnis actio infidelis, ſit peccaminoſa?*

226 DE hoc ſpecialiter agitur *tract. de gratia.* Et affirmat *Gregorius in 2. diſt. 39. q. 1. art. 2. & Catherinus lib. in Geneſ. in cap. 2.* cū *Michael Vaio, aſſert. 26. Quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, ad Rom. 14.* quod Aug. ſæpè exponit de fide Catholica: & ad *Titum 1. Infidelibus nihil eſt mundum; ſed coinquinata eſt eorum mens, & conſcientia*; & ad *Hebr. 11. Sine fide, impoſsibile eſt placere Deo.* Fauere videtur *Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. & in præfatione ad Pſalm. 31.* Et *1. de nuptijs cap. 3.* Et ratio eſt: quia infidelitas eſt circunſtantia praua; ſed bonum opus pendet ex circunſtantijs: ergo omne opus infidelium eſt malū. Præterea: quia ſine gratia opus non eſt bonum, ſed infidelis caret omni gratia: ergo.

227 Sed communis ſententia negatiua, & vera, & certiſsima apud omnes Theologos, ex *Scoto, Diuo Thom.* & alijs. Quia *Danielis 4.* dicitur ad infideles: *Peccata tua eleemoſynis redime*: & obſtetrices Ægypti remuneratæ ſunt temporaliter, atque Raab meretrix propter bonum opus morale, quæ tamē erant infideles. Conſentiunt Sancti Patres, & *Auguſt. lib. de ſpir. & lit. cap. 26. & 27.* exponens iſto ſenſu illud *ad Rom. 2. Gentes, quæ lege non nouerunt, naturaliter, quæ legis ſunt faciunt.* Etenim Hæretici, Pagani, & Iudæi virtutes morales exercent, cotinentiā, pacientiā, miſericordiam, & alia, quæ non ſunt peccata, ſed moraliter bona, licet non vt opportet ad iuſtificationē. Quibus accedit *Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. can. 7.* vbi oppoſitū damnat: & Pius V. & Greg. XIII.

XIII sententiam Vaij condemnarunt. Ratio à priori est: quia homo existens in puris naturalibus potest benè moraliter operari etiam si non habeat fidē: ergo ad bonitatem operis simpliciter fides nō est necessaria: præsertim, quia in infidelibus non est extinctum naturale lumē rationis, nec liberū arbitrium: ergo possunt operari aliquod opus bonum, si Deus præstet naturalē concursum, secundùm communem prouidentiam: ergo si finis intrinsecus, & obiectum formale operis sit honestum, & nō referatur opus in finem turpem, erit bonum moraliter.

228 Ad argumenta Catherini respōdetur: verū esse, quòd, quod non est ex fide, idest, quòd fidei repugnat, est peccatum, & sic videtur intelligi ab *Augustino de Fide Theologica*: tamen Paulus solum vult, quòd illud, quòd non est ex conscientia, & secundùm dictamen rationis, est peccatum. Illud autem: *Infidelibus nihil est mundum*, intelligitur formaliter, prout infidelibus, & ex infidelitate operātibus, vel quia semper peccant, & semper sunt in peccato, nō verò quia omnia opera eorum sunt semper mala; sed quia nullum opus eorum est meritorium vitæ æternæ, & vt sic exponitur illud, *sine fide impossibile est placere Deo.*

229 Augustinus autem loquutus est per exaggerationem; & vno ex dictis sensibus est explicandus: neque infidelitas est circunstantia vitians opus omne infidelium in genere moris, seu boni moralis naturalis, sed solum in genere boni moralis supernaturalis, & meritorij vitæ æternæ. Ad vltimum respondetur; quòd ad singula opera bona moralia ordinis naturalis, non est necessaria gratia supernaturalis.

Tertia Subsectio. *Vtrùm Ecclesia habeat ius prædicandi vbique omnibus infidelibus?*

230 RESpōdetur affirmatiuè: & existimo certum de fide. Nam Christus D. *Matthæi* 4. dicit: *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus*: & *cap. vltim. Euntes docete omnes gentes*: & *Marci vltim. Prædicate Euangelium omni creaturæ*: & *Lucæ* 24. *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam.*

231 Ratio autem est: quia corripere, & corrigere fratres correctione fraterna, & ignorantem docere de rebus, ad bonos mores spectātibus, est de lege naturæ: ergo in Ecclesia est potestas, ius, & obligatio prædicandi vbique Euangelium infidelibus: imò hoc ius virtualiter est in omnibus Fidelibus; sed

demonstratur, quia Christ. D. habuit hoc ius, sed Christ. D. cõmunicauit illud Ecclesiæ: ergo. Antecedens patet, etiam ex *Psalm. 2. Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum eius*, ideſt Ecclesiam, *prædicans præceptum eius*: & statim dicitur: *Postula à me dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ*. Et *Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, euntes docete omnes gẽtes*. Et *Paul. 2. ad Corinth. 5.* ait: *Posuit in nobis verbum reconciliationis*, & statim adiungit: *Pro Christo ergo, legationem fungimur*: vnde *ad Ephes. 4. Quosdam dedit Apostolos, & alios Pastores, &c. in ædificationem corporis Christi*: ideòque *secunda ad Thimot. 2.* ait: *Verbum Dei non alligatum*: & sic *1. ad Corinth. 9.* aiebat Apostol. *Si non euangelizauero vee mihi est, necessitas enim mihi incumbit*. Et tandem *Ioann. 21.* Christus Dominus ad Petrum, ait: *Pasce oues meas*: ergo Ecclesiam vbique habet iurisdictionem prædicandi fidem; quod ius supremũ immediatè residet in Summo Pontifice Romano; & ex ipso in alijs pro suo ordine, & dignitate.

232 Vnde sequitur primo: quòd Ecclesia habet ius expugnandi eos, qui vi, & potentia impediunt prædicationem Euãgelij: quia vim vi repellere licet, & maximè quando ius est supremum. Vnde sequitur secundo: quòd Summus Pontifex potest distribuere Regna, & infidelium Prouincias inter Principes Christianos, vt Prædicatores exerceant ius prædicandi, quod habet Ecclesia.

233 Vtrùm autem defensio Prædicatorum fidei liceat Principibus Christianis ante iniuriã Prædicatoribus irrogatam? Aliqui dixerunt, posse Principes licitè occupare terras infidelium, per anticipatam securitatem, vt cõmodius Prædicatores legem Euangelicam promulgent. Alij verò moderatius loquuntur; scilicet, posse Principes mittere Prædicatores cũ sufficienti exercitu, non vt bellum inferant, sed vt securè incedant; & addunt, posse Principes Christianos ædificare Arcus, & Turres munitas in terminis infidelium, vt ingressus ad infideles facilior sit, & securior Prædicatoribus, & erigere spensas factas in hoc, & si negentur, eas per bellum extorquere, & ita procedere vsque ad occupationẽ Regni. Ita *Maior in 2. distinct. 44. quæst. 2.* & fundatur in iurisdictione, & iure Ecclesiæ.

234 Verum *Pater Suarez disput. 18. sect. 1.* cum *Victoria*, & *Bañez* improbat Maiorem. Nã Christ. D. dedit istud ius, vt illud exercerent, *sicut oues inter lupos*, & *Paul. 2. ad Corinth. 10.* ait: *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt*,

sunt, sed potentia à Deo. Et Matth. 10. *Sine vaculo, & pera.* Videatur Maldonat. in illud 10. *Matthæi*; vbi pro hac sententia citat Sanctos Patres; ad quod adest Ecclesiæ consuetudo, & praxis Apostolorum. Quare Suarez melius sensit, scilicet illas sententias esse veras post irrogatam iniuriã ab infidelibus, & posito iniusto impedimento ad prædicandum fidem; quidquid dicat *Ioannes de Solorzano apud Dianam 6. part. tractat. 4. de bello, resolut. 15.* vbi minus fideliter Suarium citat in re, & in loco. Subscribunt Suario, *Hurtado disput. 75. §. 15. & Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 5. num. 9. & Lugo disp. 19. num. 52.* Qui *num. 53.* dicit quòd, per accidens loquendo, licebit aliquãdo secunda sententia.

235 Vtrùm autem Ecclesiæ, vel Principibus Christianis liceat cogere infideles ad audiendam fidem, & illam suscipere? Dixi *tract. de Baptismo* latè; videantur ibi dicta, quia hic possunt applicari. *Maior* enim citatus absolutè videtur affirmare suppositã Ecclesiæ iurisdictione. *Valencia disp. 1. punct. 6. & Salmeron tom. 12. tract 38.* absolutè videntur negare. Quia Christus Dominus dicit *Matth 10. Si non receperint vos, nec audierint sermones vestros, excutite pulverem.* Respondetur; quia tunc Ecclesia non habebat vires temporales ad resistendum hostibus fidei; & volebat Christus Dominus in principio Ecclesiæ vincere solum efficacia verbi, & miraculorum, vt magis ostenderet suam potentiam, & doctrinæ suæ efficaciam, & veritatem, vt respondet *Suarez sect. 1 in fine. Suarez* ergo *disp. 18. sect. 2. num. 3. & 6.* media via procedit, & illum sequuntur *Hurtado disput. 75. sect. 3. Lugo numer. 54.* & alij: procedunt igitur media via cum prima opinione tenendo respectu infidelium subditorum; & cum secunda opinione tenendo, respectu infidelium non subditorum, quoad difficultatẽ, audiendi fidem. Sed cum illa limitatione *Suarij*, supra *num. 234.* allata, iudico veram sententiam *Maioris*; & videtur sententia *Scoti in 4. distinct. 4. quæst. 6.* & vt sic, medijs pacis tentatis, scilicet in vitando, rogando, semel, & iterum infideles, Principes, & Respublicas infideles, vt audiant promulgationem legis necessariò seruandæ, & illam recipiant si infideles resistant, possunt Principes Christiani, & Ecclesia cogere eos, si aliàs prudenter, probabiliter nõ timeatur, quòd potentior sit infidelium exercitus. Vnde vt sic consequenter potest Ecclesia, & Princeps Christianus cogere infideles nõ Apostatas ad deponendum errores, & falsos ritus fidei, & rationi contrarios.

236 Itaque sequentibus cōclusionibus ab hac difficultate sic claritate me expediam. Sit prima conclusio: Ecclesia, vel Princeps Christianus, potest licitè cogere subditos suos infideles ad audiendam fidem. Hæc conclusio est contra *Coninch disput. 18. dub. 14. num. 240.* & probatur primo; quia Sūmi Romani Pontifices pœnis, & mulctis cogunt Iudæos sibi subditos Romæ ad audiendam concionē de rebus nostræ fidei: & constat ex *Bulla Gregorij XIII. Sancta Mater Ecclesia.* Et quidquid dicat Lugo *ex Bulla Nicolai III.* vbi præcipitur Prædicatoribus Ordin. Prædicat. vt prædicent, & procurent cōuersionem Iudæorum. Ratio autem à priori est, quam afferunt *Suarez disput. 18. sect. 2. n. 4. Sanchez lib. 4. de Matrimonio disp. 23. & Hurtado disput. 75. §. 54.* quia hoc non excedit potestatē principatus laici, & politici intra ordinem naturæ, honestum, vtileque ad finē laici principatus, & rectam eius gubernationem.

237 Obijcies cōtrahoc, quòd hæc potestas non est à Christo concessa, Ecclesiæ, aut principibus. Respōdeo; quòd hæc potestas oritur ex natura ipsius principatus, qua Princeps potest cogere subditos ad actiones politicas decentes Rempublicā benè ordinatam. Quòd si Christus D. dixerit: *Nescitis cuius spiritu sitis. Luc. 9. & Matth. 10. Si non receperint vos, neque audierint sermones vestros excutite puluerem*, est; quia Apostoli non erant Principes temporales respectu illorū, vbi loquutus est Christus. Dices: fides debet esse voluntaria, & nō coacta: ergo etiam auditio fidei. Respondeo negādo suppositum consequentis; quia ex coactione ad audiendum, non sequitur coactio ad credendam, & suscipiendam fidem. Dices: ergo etiā Princeps infidelis nō baptizatus poterit cogere suos subditos, ad audiendam fidem. Respondeo non esse inconueniens.

238 Sit secunda conclusio. Ecclesia, aut Princeps Christianus non potest licitè cogere infideles, sibi non subditos, ad audiendam fidem. Ita ferè omnes docent. Quia similis coactio requirit necessariò potestatem, vel temporalem, vel spiritualem, & nulla datur in isto casu in Principibus Christianis, aut in Ecclesia respectu eorū qui foris sunt: ergo. Nec valet si dicas, quòd Christus dedit Ecclesiæ potestatem, & ius prædicandi omnibus fidem; quia non dedit potestatē, & ius ad cogendum, vt fides audiatur à non subditis.

239 Sit tertia conclusio. Nō est licitum cogere infideles, siuè subditi sint, siuè non subditi ad amplectendam fidem, non solū loquendo de iure humano, sed etiam diuino, & naturali. Hæc con-

conclusio est contra Maiorem, Sepuluedam, & alios: immeritò tamen refertur cõtra nostrã cõclusionem Scotus. Tenent ergo nostram conclusionem *Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 8. & 12. Cajet. Ricard. Abulens. Antoninus, Durand. Palud. Castro, Syluester*, & alij quos sequitur *Suar. disp 18. sect. 3. num. 4.* Tenent etiam *Bañez, Valencia, Hurtado disp. 75. sect. 2. Coninch disput. 18. dub. 14. num. 225. & Castro Palao tom. 1. tract 4. disp. 2. punct. 6. num. 3.* Et probatur: nam *Gregor. Mag. lib. 11. Epistol. 15. relatus in cap. Qui sincera, dist. 45. & Concil. Tolet 4. cap. 56. relatum in cap. de Iudæis, & Sarracenis*, & alibi, præcipitur nostra cõclusio; & opposita prohibetur, *& Innocent. III. in cap. Maiores de Baptismo*, dicit; oppositum nostræ conclusionis esse contra Christianam Religionẽ: *& in iure ciuili in lege Christianis, Codic. de Paganis*; prohibetur coactio talis. Nam Apostolus, 1. *ad Corinth. 1.* dicit: *Quid mihi de ijs, qui foris sunt? Nam eos Deus iudicabit*: ergo Deus nõ dedit Ecclesiæ iudicium facere de infidelibus non baptizatis, quia extra potestatem, & iurisdictionẽ Ecclesiæ sunt. Vnde *Trident. sess. 14. cap. 2.* ait: *Ecclesia in neminem Iudicium exercet, qui prius per Baptismum non fuerit ingressus*: ergo.

240 Obijcies illud *Lucæ 14. Compelle eos intrare.* Respondeo; illam compulsionem debere intelligi, nõn per arma, & pœnas, sed per argumenta, & motiua, signa, & prodigia, sicut Paulus compulsus fuit. Obijcies: quòd Ferdinandus V. Rex Catholicus Hispaniæ, Iudæos nolentes baptizari, Regno expullit, & Sisevutus olim Iudæos coegit ad Baptismum, & ideò laudatur in *Concil. Tolet. 4. cap. 56.* & Philipus III. expullit Sarracenos. Respondetur, quòd Ferdinandus, Sarracenos, quos bello subiugauerat iure victoris, facere poterat, nisi baptizarentur, & similiter licitè fecit Philipus III. quia Sarraceni Mahumetico ritu viuebant, & Regni ruinam machinabantur: Sisevutus laudatur de zelo, nõ de facto. Obijcies, quòd *Gregor. Mag. lib. 3. Epistol. 26.* videtur cõtra nos, & *lib. 4. Epist. 6.* Respondeo ibi Gregorium prudenter, & iustè solum inducit coactionem indirectam.

241 Sit quarta cõclusio. Ecclesia, & Principes Christiani nõ possunt cogere infideles sibi non subditos ad relinquendos errores, aut ritus rationi naturali cõtrarios, quando non peccant in præiudicium Christianorũ, vel aliorum innocentium: Possunt tamen cogere infideles nõ baptizatos, sibi subditos. Hæc conclusio est contra Maiorem, & alios, quos citant *Suar. disp. 18. sect. 4. num. 2. & Coninch disp. 18. num. 184.* Tenentque illam *Suarez à n. 3. Hurtado disp. 75. §. 23.*

Coninch dub. 12. n. 187. & 196. Valencia, Aragon, & alij. Sequitur ex dictis, & probatur ex cap. 20. Numer. vbi Deus volens destruere gētes terræ promissionis, noluit debellari ab Israelitis propter crimina Idolatriæ, sed propter negatum transitum pacificum per illas terras. Verum non multum probat hoc argumentum, vt optimè notat Coninch num. 199. suo.

242 Melius ergo probatur ex Nicolao Papa, qui ad interrogationes vulgarorum ita respodit. De ijs, qui Idolis immolant, nihil aliud dicere possumus, nisi quod ratione, potius quam vi, conuincendi sunt. Ratio autem in præcedentibus conclusionibus est inculcata.

243 Obijcies; quòd cap. 10. Ecclesiastici dicitur: *Regnum à gēte in gentem transfertur propter iniustitias, iniurias, contumelias, & diuersos dolos.* Respondetur ita esse; sed iniustitiæ, iniuriæ, contumeliæ, & doli possunt intelligi de aggressoribus. Præterea; quia id explicatur quid faciat Deus, non verò quid iustè faciant homines. Dices; quòd Alexander VI. transtulit Regna Indiarum in Ferdinandū, & Elisabeth Reges Catholicos. Respondetur; quòd Pontifices donarunt illud secundùm terminos Iuris, & aliunde supposita iusta belli causa; v. g. quia impediebatur prædicatio, & expellebantur fidei ministri; vel quia iniustè machinabantur Barbari aliquid contra aduenas pacificos fideles.

244 Dico quinto. Infidelium ritus nō debent permitti à Principibus Christianis respectu suorum subditorum, nisi grauissima causa vrgeat permittendi tales ritus. Ita docet S. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 11. quem sequuntur Suarez disp. 18. sect. 4. num. 9. Coninch disput. 18. num. 195. Hurtado disput. 79. Lugo disp. 19. numer. 121. qui videri possunt.

Quarta Subsectio. *Vtrùm omnis communicatio Fidelium cum infidelibus, prohibita sit, vel prohiberi possit?*

245 PRimo certū est, esse prohibitam communicationem formalem, scilicet in operibus infidelitatis: *Nam quæ est cōmunicatio lucis ad tenebras Templi Dei cum Idolis, seu quæ pars fidelis cū infideli? Prima ad Corinth. 6. & cap. 10.* ait *Nolo vos fieri socios Dæmoniorū.* Et 2. *Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Videatur Eruditissimus Suarez disp. 18. sect. 6.

246 Secundo etiam est certum, esse prohibitam iure naturali, & diuino communicationem quasi formalem fidelium cum infidelibus in operibus nostræ Religionis: & hoc non sem-

semper, sed aliquando: nam absolutè non est prohibitum contrahere matrimonium cum infideli, & alia, vt ad esse Sacrificio Missæ, concionibus, ad ipsorum vtilitatem, & disputare cum illis de rebus diuinis cum debitis circunstantijs. Quare difficultas est de communicatione ciuili, humana, & politica, quæ materialiter se habet respectu fidei, & infidelitatis.

247 Circa quod dico. Talem communicationem nõ esse per se malam, nec iure diuino prohibitam, ex 1. *ad Corinth.* 7. & 10. Potest verò prohiberi ab Ecclesia, propter incommoda, quæ excõmunicatione possunt sequi: & sic de facto prohibita est familiaritas cum Iudæis; quod non habet locum cum fidelibus, qui sunt in fide firmi, vt inquit *Sanchez lib.* 2. *Decalog. cap.* 31. quia finis legis cessat in particulari. Prohibetur cohabitatio in eadem domo cum Iudæis & alias plures prohibitiones ad hucit *Suarez sect.* 6. sed aliquæ illarum non videtur esse in vsu. Et licet illæ prohibitiones specialiter loquantur de cõmunicatione cum Iudæis, etiam extẽduntur ad communicationem cum Sarracenis, & Mahumetanis, ex *lege vltima*, §. *vltim. Codic. de Episcopis, & Clericis, cap ad hæc, & c.* quoad alios verò infideles non extenditur prohibitio secundùm *Sanchez* citatum in suo *num.* 25. qui circa hæc potest videri.

Sectio 3. *De Infidelibus, Apostatis, seu Hæreticis.*

248 PResens Sectio plures habet difficultates: quas examinabimus sub prædicto titulo illum diuidendo in subsectiones varias.

Prima Subsectio. *In quo formaliter consistat culpa hæreticorum, quæ dicitur hæresis?*

249 SVppono, quòd hæresis iuxta nominis Etymologiam deriuatur à verbo Græco, quod significat eligere. Vnde communis est ista vox, tam doctrinæ Philosophiæ, quàm doctrinæ Sacræ, tam doctrinæ veræ, quam fallæ, & præcipuè opinatiuæ. Vsus tamen Ecclesiæ restrinxit in malam partem, scilicet ad electionem doctrinæ in materia fidei contra ipsam fidem. Quare iam solum significat electionem fallæ, & priuatæ doctrinæ contra Doctrinam Catholicam receptam, & definitam ab Ecclesia. Vnde doctrina Catholica, nec *secta*, nec *hæresis*, potest licitè appellari, sed tantum ille assensus contra veritatem fidei, debet *secta*, & *hæresis* dici.

250 De hoc igitur assensu quærimus, quid sit necessarium, vt sit peccatum hæresis, ita quod

per

per ipsum fides amittatur? Et in primis non est dubium, sed certissimum est, quòd ad rationem hæresis requiritur, quod sit assensus voluntarius. Quia hæresis opponitur assensui fidei, sed de ratione assensus fidei requiritur, quod sit voluntarius: ergo. Est enim hæresis peccatum, quòd sine voluntario esse non potest: nam errans contra fidem invincibiliter non dicitur hæreticus: ergo excusat hæresim, quia ex ignorātia talis assensus redditur involuntarius.

251 Quodnam autem voluntarium sufficiat? Dubium est inter Doctores. Nam aliqui apud *Suarez disp. 19. sect. 3. num. 3.* indirectè voluntariū sufficere iudicarunt, ortum, vel ex ignorātia vincibili, vel ex ignorantia crassa nimis, secundùm alios, sed alij requirunt; vt oriatur ex ignorantia affectata: quia minor ignorantia ad hæresim nō sufficit, vt tenet *Cordub. lib. 1. q. 17. §. 17. Cano, & Nauarra*, & alij quos refert *Suarez* citatus, *Hurtad. disput. 82. sect. 6. §. 48. & Coninch disput. 18. dub. 4. num. 31. & Lugo disp. 17. num. 80.* Huius sententiæ fundamentum est validum, & robustum. Quia eiusdem rationis est peccatum cum ignorantia vincibili commissum, ac directè voluntarium, & ex certa scientia patratum, vt patet in adulterio, homicidio, &c. ergo sicut assensus directè volūtarius contra veritatem certò moraliter de fide est hæresis, ita, & ille assensus procedens ex ignorantia vincibili: quia priuat eodem honestate virtutis fidei: aliàs ferè nunquā, aut rarissimè cōmitteretur hæresis peccatū, & si rarissimi forent hæretici; quia ferè omnes hæretici ex ignorantia vincibili à fidei veritatibus deficiunt. Dissensus enim, vel assensus fidei veritati oppositus, & indirectè volūtarius opponitur fidei, & illam excludit: ergo est hæresis. De ignorantia affectata vrget. Quia illa ignorantia non minuit, sed potius auget malitiam peccati: ergo, &c.

252 Alij verò requirunt ad peccatum formale hæresis voluntarium directum, non solum ortum ex scientia, & aduertentia, sed ortum ex contumacia. Vnde iuxta hanc sententiam non sufficit ad culpam hæresis quilibet dissensus, vel assensus contra veritatem fidei, sed requiritur, vt oriatur scienter, & aduertenter, atque diuturna in eo perseuerantia. Fundamentū est: quia ad hæresim requiritur pertinacia, sed ad pertinaciam requiritur admonitio, & nō resipiscentia, ad quod tempus est necessarium: ergo. Vnde ad *Titum III.* dicitur: *Hominem hæreticum post primam, & secundam admonitionem deuita.*

253 Cōmuniter autem alij ad hæresim requirunt directè volun-

luntarium eligēdi priuatam doctrinam contra doctrinam Ecclesiæ: ideòque assensum excludentē tale voluntarium dicunt, non esse hæresim; sed posita sufficienti scientia per talem assensum directè voluntarium statim cōsummatur hæresis absque tēporis mora, aut alia admonitione. Ita Suarez citatus in suo n. 8. cum *D. Thom. Alens. Caiet. Bañez, Aragon, Gabriel, Panormitano. Palud. Durand. Castro, Cordub. Dried. Couarrub. Simāc. Peña, Sylvest. Angelo, Tolet. Nauarro, Armiñ, & Vazquez, Sanchez cap. 7. num. 7. & Dian. 4. part. tract. 7. resolut. 36 & Lugo disp. 20. sect. 5. num. 157.* Sed Suarez non benè citat illos Authores: nam multi ex illis sunt pro prima sententia, quam sequitur *Lorca disp 41.* licet oppositam sustinuerit in *1.2. disp. 33. memb. 2. & 3 sect. 4.*

254 Sed quidquid sit de hoc, huius sententiæ fundamentum est: quia pertinacia est de constitutiuo essentiali hæresis, sed qui ex ignorantia vincibili assentitur propositioni hęreticę nō habet pertinaciam in assensu: ergo. Similiter, qui ex ignorātia crassa, vel affectata. Probatur minor (maior enim est principium, in quo omnes Theologi, & Canonistæ conueniunt) quia pertinacia necessariò requirit, velle resistere doctrinæ, quam Ecclesia dicit esse de fide, sed qui ex ignorantia vincibili culpabili assentitur propositioni hæ reticæ, non habet tale velle: ergo talis assensus pertinax non est: ergo nec hæresis.

255 Confirmatur, & declaratur amplius. Quia potest aliquis ignorantia culpabili vincibili ignorare, quòd Christus est Deus, & Homo in vnitate Personæ Verbi: tunc, stāte hac ignorantia, determinatur talis homo ad dissensum circa talem propositionem, vel ad assensum circa oppositam, cum proposito subijciendi suum assensum, vel dissensum iudicio Ecclesiæ: tunc autem non habet pertinaciam; quia non habet, velle resistere Ecclesiæ: ergo non committit culpam hæresis formalis.

256 Sed respondetur facilè ad hoc argumentum negando minorem: ad probationem respondetur, quòd ad pertinaciam sufficit, velle directè, vel indirectè resistere: imò assentiri, vel dissentiri contra veritatem fidei ex ignorantia vincibili culpabili, est satis sufficienter, velle resistere ad pertinaciam; quia non quæsiuit tota solicitudine veritatem, qua tenebatur quærere, vt inquit *Aug. ex cap. dixit Apostol. 24. quæst. 3.* Vnde patet ad confirmationem: Nam cum ignorātia vincibili culpabili determinare se, ad assensum, vel dissensum contra talem propositionem, non compatitur cum vero proposito subijciendi suum

in-

iudicium iudicio Ecclesiæ: quia pro tunc illud iudicium est fictū: nam pro tunc actu non subijcit suum iudicium Ecclesiæ culpabiliter, & sufficienter voluntariè, vt talis dicatur pertinax. Et per hoc patet ad fundamentum secundæ sententiæ.

257 Ad fundamenta primæ opinionis satis difficulter respondent Authores aliarum sententiarum; ita, vt Lorca figmentū, & merum effugium appellet solutionem ad illud; & sic prima opinio videtur magis vera. Vnde ad pertinaciā hæreticalē videtur sufficere voluntaria electio erroris, cum virtuali contemptu Ecclesię, qui interpretatur inculpabili ignorantia vincibili. Quare hæresis formaliter nihil aliud erit, quam assensus, vel dissensus voluntarius cum pertinacia oppositus veritati fidei.

258 Videtur tamen posse componi has tres sententias: ita, quòd prima intelligatur secundùm veritatē quoad forum interiorem conscientiæ. Secunda verò, quoad forum exteriorem Ecclesiæ, per ordinem ad pœnas ab ipsa latas incurrendum: & vt sic tertia sententia est magis vera, quam secunda, licet secunda sit magis pia.

259 Sed in præsenti dubitabis primo. Quæ admonitio sufficiat, vt excludat invincibilem ignorantiam, ad hoc, vt quis excusari nequeat ignorantia, & pertinax fiat? *Cano, & Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap. 10.* dicunt, non sufficere admonitionem Episcopi, neque Inquisitorum, aut grauiorū Doctorum Prouinciæ: quia omnes isti non habent infallibilem docendi authoritatē: & sic, qui ab eis dissentit non videtur ab Ecclesia dissentiri, & ita adhuc non est pertinax. Citanturque pro hac sententia *Vazquez, Valencia, Turres, Salas*, & alij apud *Dianam 4. part. tract. 7. resolut. 8. & tract. 8. resolut. 87. & resol. 36. §. Prima opinio negat.* Alij autem admonitionem, & protestationem talem sufficere affirmant, vt *Simancas titul. 48. à num. 18. Lorca* verò, & *Suarez* media via procedunt: intelligentes primā sententiam esse veram si secundùm præsumptionem intelligatur, & in ordine ad forū Ecclesiæ, & illius pœnas. Secundā autem dicunt esse veram si secundùm veritatem, & in ordine ad forum conscientiæ intelligatur. Cardinalis de Lugo nō vult cōuenire cum Suario, & Lorca, sed Lorca, & Suarez grauissimi sunt Doctores, & potest Cardinalis de Lugo consentiri cum illis; quia eius rationes non sunt efficaces.

260 Dubitabis secundo. Est hæreticus, qui de articulo sufficienter proposito dubitat? Respondetur affirmatiuè; quia peccat

cat contra fidem, ita *Suarez disput.19.sect.4.n.10. Hurtad. disp. 80.sect.4. §.21. Coninch disp.18. dub 7.n.102. Lorca disp.42. Castro Palao disp. 3. punct. 2. n.9. & Lugo disput.17.sect.4.& disp.20. num.17.* Sed videtur, quòd aliqui ex his Authoribus inconsequenter loquantur: quia ex hoc cõuincitur, ad pertinaciam sufficere ignorantiam vincibilem crassam, vel affectatam, quod ipsi non concedunt.

261 Dubitabis tertio. Qui opinatiuè assentitur articulo fidei est hæreticus? Respondeo affirmatiuè, loquendo de assensu opinatiuo, qui non excludat actualem formidinem voluntariam, nõ verò de assensu opinatiuo præscindente à formidine. Quia assensum opinativum cũ actu fidei posse componi, diximus *disp.3.cap. vlt sect.6. subsect. 3* & tenent *Suar. disp.17.sect.4.* & *Lugo disp.17.sect.4.* & licet *Coninch disp.18.dub.7. à n.105.* cui assentitur *Palao* citatus *punct.2. n.12.* contrarium dicant, nostra sentẽtia est verior, & fundamẽtum illorum nullius efficaciæ.

162 Dubitabis quarto. Qui culpabiliter se exponit periculo errandi cõtra fidẽ est hæreticus? Respondeo negatiuè dũ nõ negetfidẽ. Dubitabis itẽ: vt aliquis sit hæreticus requiritur, quòd prius fuerit fidelis? Respõdeo sufficere, quod fuerit fidelis habitualiter, vel quod susceperit Baptismũ: & quoad forũ exteriorẽ Ecclesiæ, qualitercũque receperit Baptismũ cẽsebitur hæreticus.

263 Dubitabis sexto. Est hæreticus, ille qui credit, & docet tanquam de fide id, quòd nõ est dẽ fide? *Lorca disp.39.n.11.* dicit esse errorẽ contra fidẽ, sed addit, quòd si deficiat pertinacia nõ est culpa grauis ex suo genere; si tamen sit pertinacia, dicit talẽ esse hæreticũ. Ita *disp.39.n.11.* & vidẽtur idẽ sentire *Cordub. lib.1. q. 17.§.7.dub.2.* citans *Castrũ.* Idẽque videtur asserere *Lugo disput. 20.n.24.* imò dicit, quod secluſa pertinatia non est peccatũ mortale. Sed meo videri, videtur peccatũ graue, quia dicere aliquid esse de fide, quod non est de fide; est dicere Deum dixisse aliquid, quod tale nõ dixit: quod videtur graue. Vnde secundũ præcitatos Authores, non videtur difficile dari paruitatẽ materiæ in peccato hæresis excusantẽ à peccato mortali; & licet *Sayrus*, & aliqui quos refert *Diana*, expressè affirmant, à quo nõ longè distat *Lugo disp.20.à n.29.& disp.14.sect.3.* tamẽ *Diana p.5.tract.5.de paruit. materiæ, resol.28.* oppositũ cum cõmuni, & vera sententia tenet.

264 Dubitabis septimo. Est de fide, quòd habitus fidei supernaturalis deperditur infidelitatis peccato? Aliqui negant, quos refert *Suarez disp.7. sect.4.n.3.* Alij intelligunt Concilij doctrinam, ita, quod non intelligatur de habitu fidei infuso. Ita *Vazq. 1.2.disput.91.cap.4.* & tenent

om-

omnes qui affirmant, non esse de fide fidem, spem, & charitatem esse habitus. Sed hæc doctrina latè impugnatur à *Suar. 11. de grat. cap. 7. à n. 9.* Sed verius est, quòd peccatũ infidelitatis amittatur aliqua qualitas permanens supernaturalis, quæ simul cum spe, & charitate infunduntur in iustificatione.

265 Cæterũ dubitabis octauo. Quo, & quali peccato amittatur habitus fidei? Circa quod aliqui affirmant, quòd peccatũ infidelitatis ex grauiter culpabili ignorantia commissum, siuè ignorãtia sit antecedens, siuè ignorãtia sit affectata, nõ expellit habitum fidei. Ita *Cardinalis de Lugo disp. 17. n. 80.* & citat pro se *Suariũ disp. 19. sect. 3. Coninch, Hurtado disp. 82. sect. 6.* Sed videtur mihi, quòd nõ consequenter loquatur *Eminentiss. Lugo*, nam *n. 104.* affirmat, quòd non solũ peccato hæresis, expellatur habitus fidei: ergo alio peccato infidelitatis, quòd nõ sit hæresis, expellitur habitus fidei: ergo ex peccato infidelitatis ex ignorantia cõmisso grauiter culpabili debet necessariò oriri, in eius sentẽtia, habitus fidei expulsio. Maximè, cum talis, qui sic peccat, verè peccet mortaliter cõtra fidem; & peccatum infidelitatis graue committit; sed *Concil. Trident. sess. 6. cap. 15.* simpliciter, & absolutè dicit, peccato infidelitatis amitti fidem: ergo: vel sententia *Cardin. de Lugo* in præsenti non est vera, vel minus bene impugnat suum *Hurt. n. 144.* vbi illum citat, quasi supponat ipse Hurtado, quòd solo peccato hæresis formali expellitur habitus fidei; & dicit *Lugo* esse hanc doctrinam singularem, cum ipse manifestè videtur idem dicere *num. 80.* citato.

266 Quapropter non videtur improbabilis sententia *Petri de Hurt. disp. 60. sect. 1. §. 12.* vbi dicit, quòd solo peccato hæresis amittitur habitus fidei, quod peccatum exigit necessariò pertinaciã contra authoritatẽ Ecclesiæ; vt dicit *sect. 2. §. 51.* quòd qui negat reuelationẽ publicam in miraculo confirmatã, nõ amittit fidem, nisi pertinax sit contra Ecclesiam; & *§. 56* dicit, Deum statuisse solos hæreticos fidei priuatione punire, & *§. 59.* dicit, hæreticum, & carentem fide per amissionẽ fidei ad inuicem cõuerti. Idemque repetit *disp. 87. §. 42. & §. 45.* dicit, pertinaciter negans aliquid cõtentum in Sacra Scriptura, peccat grauiter contra fidem: non tamen est hæreticus, si non occurrat ei, aut proponatur Ecclesiæ authoritas. Sed contra hanc sententiam sequitur, meo videri, quòd solum peccatum hæresis formale, erit reseruatum in Bulla Cœnæ, & consequenter quodcumq; aliud infidelitatis peccatum cõtra fidem poterit absolui, vt non reseruatum, & in sententia Cardinalis de Lugo, Suarij, Coninch;

ninch ; & aliorum , sequitur, quòd infidelitatis peccatum ex ignorãtia grauiter culpabili ortum, non est peccatum reseruatum.

267 Dubitabis nono. Quæ ignorãtia excuset à peccato hæresis? Nam quidã, vt *Sotus*, *Ludouicus Lopez*, quos citat *Suar. disp. 19. sect. 3. n. 3. & Lorca disp. 41. n. 15.* affirmant, quòd nulla ignorãtia grauiter culpabilis excusat ab hæresi. Alij dicunt, quòd quando ignorãtia est nimis crassa , & facilè vincibilis non excusat ab hæresi ; secus si crassa nimis non sit. Ita *Sayrus*, *& Valencia*, apud *Suarez* citatum. Alij vt *Castro* , *Nauarra* , *Torres* , *& Valencia* , apud *Suarez* relatum; quòd quãdo ignorantia est affectata non excusat ab hæresi, secus si affectata non sit. Alij verò, vt *Thomas Sanchez lib 2. Decalog. cap. 7. num. 23.* cum alijs à se citatis dicunt, quod si ignorantia affectetur tantum ex negligentia, & tædio addiscendi, vel ex quauis causa, quæ non sit ex falsa opinione contra Ecclesiam parumpendendo eius propositionem, ad finem liberius errandi in fide, non erit hæresis. Communis tamen sententia asserit, quamlibet ignorantiam, siue crassam, siue affectatam excusare ab hæresi, & à pœnis contra hæreticos latis. Ita *Azor*, *Bañez*, *Aragon*, *Suarez*, *Palao*, *Coninhc*, & alij, quos citati referũt, maximè *Hurtado disp. 82. §. 50.* Tenet *Lugo de Pœnitẽtia disp. 16. sect. 4. §. 6. & de fide disp. 17. sect. 4. & disp. 22. sect. 6. à num. 174.* Et nos etiam *tract. de Pœnitentia, & tract. de peccatis disp. 1. cap. 4. sect. 3.*

268 Huius conclusionis rationem Authorum huius vltimæ sententiæ, nullam firmam inuenio. Potius rationes oppositarum opinionum contra ipsam valdè efficaces, sed earum solutione aliquantulum firmabitur. Prima enim est ; quia *August. Epist. 162.* dicit ; qui sententiam suam, quantumuis falsam, atque peruersam, nulla pertinaci animositate defendunt , quærunt autem tota solicitudine veritatem , corrigi parati , vbi inuenerint , non sunt inter hæreticos deputandi : ergo ignorantia culpabilis ab hæresi non excusat. Respondet Lugo; quòd August. non condemnat, vt hæreticos, qui quærunt veritatem; sed non tota solicitudine ; sed contra. Nam idem *August.* vt refertur in *cap. qui in Ecclesia 24. quæst. 3.* dicit : qui in Ecclesia morbidum aliquid parumque, quid sapiunt, si correcti, vt sanumque sapiant , resistant contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emmendare nolunt, sed defensare persistunt hæretici sunt. Respondet Lugo, & optimè ; hanc authoritatem esse in suo fauore.

Sed

Sed obijcies : in alijs materijs peccatum ex ignorãtia, & peccatum ex malitia sunt eiusdem speciei: nam qui ignorantia culpabili occidit, vel mœchatur homicida est, & mœchus, & sic de alijs: ergo qui ex ignorantia culpabili infidelitatẽ admittit hæreticus etiam est: nam voluntarium directum, & indirectum non variant speciem peccati. Respondent *Suarez*, & *Lugo num.177.* quòd peccatum ex ignorantia contra fidem, & peccatum ex contumacia, non differunt specie, differunt tamen numero, ex circunstantia scientiæ, quæ in hæretico auget grauitatem, & aggrauat intra eandem speciem. Hanc rationem impugnat Hurtado; sed rationes Hurtadi impugnat *Lugo à num.178.* Nos autem compendiosè procedimus, & sic sufficit opiniones probabiles referre. Quarum impugnatio in alijs tractatibus ponitur.

Secunda Subsectio. *Quot sunt principales gradus propositionũ damnabilium, & quæ aliqua ignominiosa censura dignæ sunt?*

269 SVb hac sectione plura dubia examinanda veniunt. Primum est. Quid requiratur ex parte obiecti ad cõstituendã hæresim, qua formaliter, aliquis, hæreticus dicatur? Suppono; quòd ex parte obiecti requiritur ad hæresim, quod obiectum sit aliquid contradicens obiecto fidei formali, & materiali. Suppono etiam, quòd obiectum hæresis, vt tale sit non est necessarium, vt opponatur articulis fidei, seu præcipuis dogmatibus eius contentis in Symbolo, sed sufficit, vt opponatur cuicumq; veritati, quam fides Catholica tenet. Ita omnes, licet differant in alijs, quæ necessariò examinanda sunt ad resolutionẽ propositi dubij. Nam si inquiramus: vtrùm dissentiens rei reuelatæ sibi à Deo priuata reuelatione sit hæreticus, & ille dissensus sit hæresis; an verò ex parte obiecti requiratur, quod obiectum negatum sit reuelatum reuelatione communi? *Vega, Catherin. Thom. Sanch. 2. Decalogi, cap.7. num.32. et Suarez disp.19. sect.5 Azor, Coninch,* & alij affirmant. Sed *Lorca* negat *disp.39.* Sequitur *Hurtado disp 80. sect.3. §.12. et disput.82. sect.5. §.38.* & videtur tenere expresè *Lugo disput.20. sect.2. num.36.*

270 Ego quidem cum *Suar. Azor. Castro Palao tom.1. tract.4. disp.3. punct.2. n.14.* cum *Lorca, et Hurt.* citatis, & cũ *Lugo* existimo; prędictum hominem propter illum dissensum nõ incurrere pœnas Ecclesiæ, hæreticis impositas. Quia Ecclesia solum fert illas pœnas contra illos hæreticos, qui dissentiunt ab Ecclesia Catholica, & obiectis comuni re-

reuelatione reuelatis, & propositis ab Ecclesia; & sic Ecclesia illum hominem nostri casus nō comprehendit censuris, & sententijs à se latis. Iudicarem tamen, prædictum hominem nō esse hæreticum, quoad præsumptionem, & existimationem Ecclesiæ; intrinsecè tamē videtur, quod sit hæreticus. Quia eius peccatum quoad speciem physicam, & moralem in nullo differt ab illo peccato infidelitatis, quod communiter ab Ecclesia censetur hæresis, nisi in quadam circunstantia valdè extrinseca, quod illud peccatum non constet exterius, & peccatum hæresis exterius constat, & illud peccatum est contra obiectum fidei priuatiuè reuelatum, & hæresis contra obiectum publica & comuni reuelatione propositū: & sic quæstio hęc satis de nomine, & voce videtur. Vnde videtur quod tale peccatū non sit reseruatum in Bulla Cœnæ.

271 Si secundo inquiratur an sufficiat ad hæresim, & hæreticum propriè cōstituendum, si quis pertinaciter neget aliquid quod pertinet ad fidem Catholicam; & sibi sufficiēter propositum, sed non authoritate Ecclesiæ? negat *Hurtad. disp. 82. §. 44.* Quia hoc est tantum negare obiectum sibi reuelatione priuata tantum propositum. Verum, vt notat *Cardinal. de Lugo* hic casus est valdè metaphysicus; sed adhuc in illo dicēdū est, esse hęresim, & hæreticum, quia negatio talis est negatio alicuius obiecti, cōmuni reuelatione propositi publicè in sacra Scriptura, authoritate Ecclesiæ.

272 Si tertio inquiratur. Si aliqua propositio verè sit reuelata à Deo in Scriptura, sed non ita manifestè, quod Ecclesia obliget ad illam credendā firmiter, tanquam à Deo reuelatam, dissensus illius erit hæresis? & constitiuus hæretici. *Lorca disp. 39. n. 4.* dicit esse errorem cōtra fidē; sed non hęresim, quia non adest pertinacia contra propositionē Ecclesiæ. *Hurtad.* autem *disp. 80. §. 19.* insinuat non esse errorem contra fidē. Quia non adest sufficiens reuelationis applicatio; quādiù reuelatio diuina in Scriptura contenta, non est ab Ecclesia proposita. *P. Coninch. disp. 19. dub. 7. n. 121.* non benè sentit de *Hurt.* quoad hoc; dicit enim in isto casu, illū dissensum esse hæresim, sed non manifestā, in quo videtur conuenire *Lug. disp. 20. n. 58.* quia dum sufficienter constat de reuelatione Dei in Scriptura contēta, etiam videtur cōstare sufficienter de propositione Ecclesiæ. Vnde dicit *num. 39.* quod quibus manifestū est, illam reuelationem in Scriptura contineri, ille dissensus erit hæresis constitutiua hæretici, secus quibus non est manifesta, vt dicit *num. 60.*

273 Si quarto inquiratur. Hæresis manifesta addit aliquid supra hæresim non manifestam? Respondeo, quod sic, vt ex ipsis terminis declaratur. Nam aliquando hæresis est occulta, seu talibus verbis significata; quod hæreticus tergiverset, & nēget, se dixisse hæresim, sed potius se loquutū in sensu Catholico dicat: & tales propositiones dicūtur hęresim sapientes, & de quibus est suspicio de hæresi; quia sensus est hæreticus manifestè, licet voces sint ambiguæ circa sensum: ista huiusmodi hæresis dicitur occulta, & non manifesta, erit verò manifesta, si voces, quibus profertur assensus, non relinquant locum tergiversationis, & ambiguitatis de sensu hæretico per eas significato.

274 Ex quo infertur primo: quod si aliquod obiectū habeatur in Ecclesia per sufficientem traditionē dicendum est, quod dissensus circa tale obiectū erit hæresis, & constituet hæreticū, si aliæ circunstantiæ adsint. Quia *Tridentin. sess. 4. & Apostolus 1. ad Corinth. 11.* illis verbis: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, & 2. ad Thessalon. 2. Tenete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolā*, eodem modo loquuntur de rebus contentis in Scriptura, ac de rebus habitis per traditionem; & sic eodem modo iudicādum est de rebus ab Ecclesia propositis contentis in sacra Scriptura, ac de rebus ab Ecclesia propositis per traditionem. Sed quid dicendum erit de doctrinis, quæ à Concilijs, vel Pontificibus declaratę sunt, vt hæreses, cum antea, à multis Catholicis tenerētur salua fide? Dicendum enim est: quod ante declarationem Ecclesiæ illæ doctrinæ non erāt hæreticæ: quia pro tunc non repugnabant communi fidei fidelium, & Ecclesiæ.

275 Si inquiratur quinto. Propositio opposita conclusioni Theologicæ est formaliter hæresis, & constitutiua hæretici? Iuxta à nobis dicta *disp. 1. cap. 3. sect. 3. subsect. 2.* Videtur dicēdum, secundum aliorum sentētias, non esse hæresim formalē, constitutiuam hæretici, quamuis alij oppositum sentiant; inter quos videtur Lugo maximè loquēdo ex conclusione Theologica deducta, ex duobus reuelatis de fide. Quæ sententia satis placet. Videatur *Lugo num. 68.* suo.

276 Si inquiratur sexto. Si Concilium legitimum definiat cōclusionem deductam ex præmissa reuelata, & altera euidenti, sed non reuelata, qui illam postea neget, erit propriè hæreticus? Respondeo affirmatiuè, cum Lugo, & patet ex terminis. *Diana part. 4. tract. 8. resolut. 79.* refert *Valenciam, Canū, & Bonacinam*, affirmātes, esse formaliter

ter hæreticum, qui negat pertinaciter conclusionem Theologicam illatam ex vna de fide, & altera euidenti, sed non reuelata. Alij tamen dicunt nõ esse hæreticum, sed præsumi. Omnes tamẽ conueniũt debere puniri, vt hæreticum; quia præsumitur negare præmissam reuelatam, vt dicit *Suarez disput.* 19. *Sanchez*, & *Hurtado*, quamuis iste *disp.* 80. *§.* 13. dicat, quod si constet illum hominem negare cõclusionem illam, quia vim illationis non penetrat, non esse puniendum, sed relinquendum pro asino.

277 Viso iam de propositione hæretica aliquantulum: breuiter dicendum venit, quod primus gradus propositionum damnabilium, & quę aliqua ignominiosa censura dignæ sunt, constituit propositionem hæreticam, & talis est ex dictis, quæ, vel contradictoriè, vel contrariè opponitur alicui veritati de fide, & de qua cõstat certo moraliter esse reuelatam, & hoc sine respectu talis propositionis ad animum proferentis illam. Ratio mihi est euidens: quia si hæreticus proferat aliquã propositionem de fide veram, talis propositio independenter ab animo proferentis est de fide, etiam si illam proferens, sit infidelis: ergo propositio, vt sit hæretica, & contra fidem, non indiget, quod illam proferens sit form aliter hæreticus, & hæresis peccato infectus. Loquor de hæresi non in acceptione communi; sed prout est quid oppositum contra fidem. Etenim cum in foro exteriori aliquis, vt hæreticus accusatur, primo qualificatur propositio, examinãdo illam in se: an sit hæretica, nec ne; & postea inuestigatur, quo animo proferens illam dixerit: ergo præciso respectu ad proferentem, propositio est hęretica.

278 Sed *Caiet.* & *Cano* tenent, quod per ordinem ad intentionem proferentis: propositio dicitur hæretica, & videtur ex dictis à ferè omnibus Doctoribus, ita esse dicendum. Quia non est hæresis formalis sine pertinacia; sed hæresis, & propositio hæretica sunt idem: ergo propositio hæretica non est talis sine respectu ad proferentem, sicut nec hæresis sine respectu ad proferentem est talis. Respõdetur negãdo minorem: nam hæresis est assensus cum pertinacia, circa propositionem hæreticam. Itaque propositio est obiectum, & hæresis est assensus illius obiecti, seu propositionis hæreticæ. Vnde siuè proferatur à Iudæo, siuè à Pagano, propositio, quæ est contraria, vel contradictoria veritati fidei, certo definitæ est hæretica.

279 De secũdo gradu propositionum damnabilium sequitur iam dicendũ. In quo gra-

du omnes ponunt PROPOSITIONEM ERRONEAM. In quo est maximum dissidium, quia Doctores non sine fundamento confundunt cum hæretica: Nam *D. Antoninus 2. part. tit. 12. cap. 4.* dicit: propositionem erroneam esse hæresim sine pertinacia. Alij dicũt propositionem erroneam esse, quę nõ opponitur veritati Catholicæ demonstrabili. Ita Castro apud *Hurtad. disp. 81. §. 9.* Alij dicunt propositionem erroneam esse, negare doctrinam, ita recepta communi cõsensu Ecclesiæ, vt nullus pius, & verè doctus audeat de illa dubitare; quia licet non sit expressè reuelata; aut definita, est tamen doctrina Catholica. Ita *Cano, Corduba, & Simancas apud Suarez disp. 19. sect. 2. n. 13.* Alij dicunt, propositionem erroneam esse, in qua deficit, vna, vel altera conditio requisita ad hęresim formalem: ita videtur sentire *Lorca disp. 40. n. 7.* & alij apud Suarez relatum. Si verum fatear, omnis propositio damnabilis, est erronea, quia falsa, & contra doctrinam certam: & sic propositio hæretica, est etiam erronea, non tamen ècontra. Specialiter igitur secũdum modum intelligendi, & censurandi, & loquendo secundum sententiam communẽ, & quoad præsens magis propriã, propositio erronea dicitur, quæ opponitur conclusioni Theologię immediatè secundùm quod formaliter est conclusio Theologiæ, & vt eius certitudo nititur connexione extremorũ cũ medio, & dispositione præmissarum. Ita communis sententia, apud *Bañez q. 11. art. 2. Suarez n. 14. Hurt. disp. 81. §. 10. Torres disp. 55. dub. 3. Coninch. disp. 18. n. 130. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 1. n. 4. Eminentissim. Lugo disp. 20. num. 78.*

280 Vnde eadem propositio potest esse hæretica, & erronea: & quia opponitur certitudini fidei mediatè, vel immediatè; & quia opponitur certitudini scientiæ. Vel potest dici, quod propositio erronea est, quę opponitur doctrinę Catholicæ, & vniuersali, quæ expressè non est definita, v. g. si quis negaret, B. Mariam surrexisse, & ascendisse in corpore ad Cœlos, esset propositio erronea: & qui ante Tridentinum diceret Beatam Mariam, habuisse veniale, similiter diceret propositionẽ erroneam.

281 In tertio gradu ponitur, PROPOSITIO HÆRESIM SAPIENS, ET SVSPECTA DE HÆRESI. Circa quod licet *Eminentiss. de Lugo* dicat in suo *n. 88.* esse diuersas censuras; sed non benè explicat, quomodo distinguantur istæ duæ propositiones, vna quæ hæresim sapit, & altera quæ est suspecta de hæresi; nã melius videtur dicere *Hurt.*

Hurtad. quod propositio hæresim sapiens, est idem quod suspecta: ita habet *disp.* 81. §. 22. Propositio ergo hæresim sapiēs est illa ex qua potest sequi hæresis, & redolet hæresim: itaque minus certè opponitur veritati fidei, quam hæretica, & erronea, sumptis in proprio sensu.

282 In quarto gradu ponitur, PROPOSITIO MALE SONANS, v. g. *fides iustificat.* Nunc autē malè sonat si nō explicetur; & sic propositio malè sonans est minùs opposita certitudini fidei, quam præcedentes: quia talis propositio habet sensus æquiuocos, & potest explicari in vno, secundum fidem: & sic non damnabitur propositio, nec illam proferens. Lorca affert exēplum in his propositionibus: *Papa nō debet dici sanctissimus, ratione officij. Perniciosum est ditare Clerū:* sed vt optimè notat Lugo tales propositiones sapiunt hæresim, & sunt suspectæ de hęresi. Melius exemplum affert Hurtado, vt si quis dicat; *in Deo sunt tres essentiæ relatiuæ*; si dicat, inter personas, quæ non sunt doctæ.

283 In quinto gradu est propositio. QVÆ PIAS AVRES OFFENDIT. Et est propositio opposita Religioni, scilicet, quando quis profert aliquid, quod est indecens, vel indignū Religioni, respectu hominum, prudētiū, & sapientium. Aliqui tamē, propositionem pias aures offendētē, non distingūt à propositione malè sonanti; de quo non miror.

284 In sexto gradu ponitur. PROPOSITIO SCANDALOSA, & est illa, quæ occasionem ruinæ in materia fidei alijs præbet, v. g. si quis absolutè proferret imagines non esse adorandas. In septimo gradu ponitur. PROPOSITIO TEMERARIA. Quę est propositio sine rationis regula prolata contra omnium authoritatem in rebus ad fidem, vel bonos mores pertinentibus. An verò sit temeraria illa, quæ non habet pro se Patres, vel Doctores graues, affirmat *Suarez* citatus, *sect. 2. num. 20.* suo; licet dicat esse temerariam priuatiuè. *Hurtado* hoc negat *sect. 7 §. 11.* addens solum dici improbabilē, sed si Hurtado intelligat priuatiuè à ratione extrinseca nihil dicit. Etiam dicitur alia propositio SEDITIOSA. Quæ ad seditionem inter Principes, vel tumultus in Republica excitandos conducit. Alia etiam est BLASPHEMA. Quæ iniuriam, & irreuerentiam contra Deum, vel Sanctos continet: Alia dicitur. IMPIA, alia INIVRIOSA, alia SCHISMATICA, alia SVPRSTITIOSA, alia ARROGANS, VANA, STVLTA, & INSANA, & alia IMPROBABILIS.

285 Sed de omnibus his propositionibus videantur *Suarez disp. 19. sect. 2. Lorca disp. 10. Cordub. lib. 1. q. 17. OKam 1. p. Decalog. lib. 2. cap. 11. Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 4. p. 2. cap. 8. Castro lib. de iust. hæret. punit. cap. 3. Hurtad. Coninch. Castro Palao disp. 3. & Cardinalis de Lugo disp. 20. à num. 71.* Sumitur autem distinctio harum propositionum damnabilium præcipuarum, ex *Concil. Constantiensi sess. 8. & 15. contra Vvicleph. & Joannem de Hus, & ex Bulla Pij V. & Gregor. XIII. contra Michaelem Vaium.*

286 Ex quibus omnibus cōstat solutio ad dubium *nu. 274.* propositum. Constat etiā, quod propria materia culpæ hæreticorum, quæ dicitur hæresis, solum est propositio hæretica, vt tenet Suarez relatus ex communi sententia, ita quod minor propositio non sufficit.

287 Dices: Quod hæresis aliquando versatur circa materiam fidei, vel dubitādo de illa, vel negando illā per dissensum, & recessum assensus, non verò per assensum. Respondeo, quod qui dubitat de fide directè deliberate, iudicat veritatem fidei esse dubiam, quod est propositio hæretica; & qui dissentit, iudicat oppositum fidei esse verum, quod est propositio hæretica. Dices: siquis assentiatur huic propositioni, *Christus est homo, vel Deus est homo*, existimans esse damnatam ab Ecclesia, cōmittit hæresim, & tamen materia eius non est propositio hęretica, sed propositio vera de fide: ergo tota doctrina nostra ruit. Respōdeo, quod committit hæresim, non in assensu propositionis in se, sed in assensu, qui satis intelligitur ibi, quo assentitur authoritatem Ecclesiæ non esse veram, quod ex propositio hæretica.

288 Quodnam autem peccatum sit, assentiri alijs propositionibus damnabilibus, quæ nō sunt hæreticæ? Aliqui ad hæresim reducunt. Sed *Suarez disp. 19. sect. 6.* dicit esse peccatum curiositatis cōtra virtutem studiositatis in materia supernaturali contra illud ad *Rom. 12. Nō plus sapere, quam opportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Et illud *Eccles. 3. Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris, & in pluribus Dei non eris curiosus.* Est enim immoderatus assensus ex immoderato affectu sciendi: quod intellige ex suo obiecto præcisè, quia ex alijs circunstantijs poterit esse peccatum contra fidem, vel contra alias virtutes, vt optimè notant Doctores ex quibus *Lugo* in suo *n. 133.*

289 Notandū valdè est, posse esse dignam censura, quæ inique aliam propositionem censurat, vt aduertunt *Suarez disp. 19. sect. 2. num. 21. & Castro Palao tom.*

tom.1.tract.4.disp.3.punct.1.nu.9. cum alijs. Equidem, si propositio de fide afficiatur censura, iã propositio illa reflexa, ideſt censura, eſſet hæretica, cum neget damnando, propoſitionem de fide. Similiter, ſi cõcluſio Theologica afficiatur cenſura, illa cenſura eſſet erronea: & ſic de alijs, &c.

Sectio. 4. *Quibus remedijs Eccleſia ſanctè, & iuſtè vtatur ad coercendos, & confutandos hæreticos, hæreſeſque extirpandas?*

290 SVb hac ſectione plures etiam difficultates continentur, quas claritatis gratia, per varias ſubſectiones reſoluemus.

Prima ſubſectio. *Vtrùm liceat diſputare cum hæreticis ad illos confutandos?*

291 AD hoc dico. Quod diſputatio cum hæreticis pro fide tuẽda, eorumque erroribus impugnandis, licita eſt, ſi aliquæ conditiones, & neceſſariæ circunſtantiæ ſeruẽtur. Huius cõcluſionis prima pars probatur exemplo multorum Sanctorum Patrum *Auguſt. Athanaſius, Cyrilus, &c.* Et probatur ad *Timoth.1. Epiſcopum oportere eſſe eum, qui ſecundum doctrinam & fidelem ſermonem, vt poſſit eos, qui contradicunt arguere.* Et *D. Petr. in 1. Canonic. cap. 3.* ait: *Parati ad ſatisfactionem*, ideſt, ad apologiam, vt habet litteraGręca: ſeu ad reſponſionem, vt legit Fulgentius, *Omnipoſcenti rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe ſed cum modeſtia. Et Actor. 6* dicitur: *Surrexerunt diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur, & cap. 17. Apoſtolus diſſerebat de Scripturis, ſecundum conſuetudinem in Synagoga cum Iudæis*; vnde *Auguſt. epiſt. 48.* præcipit: *Cum hæreticis verbis etiam agendum, diſputatione pugnandum, & ratione vincendum.* Videatur *6. & 7. Aug. tom.* vbi diſputationes cum hæreticis à ſe factas traddidit.

292 Altera verò pars probatur. Quia, vt liceat talis diſputatio, debet fieri debita intentione, tempore opportuno, & loco apto. Item ex parte fidelis requiritur, quod ſit ſufficienter doctus, & quod ſit firmus in fide, ita quod nullum in ſe timeat periculum, nec morali probabilitate præſumat de ſe infirmitatem in fide: & hoc requiritur ex iure naturæ. Ex iure autem poſitiuo requiritur, quod fidelis diſputans, ſit Clericus, quia laicis, id prohibetur ſub pœna excommunicationis *in cap. 2. §. Inhibemus de hæreticis in. 6.* quãuis ſit opinio, an nomine laici intelligantur Religioſi, qui non ſunt ad chorum deputati: nam quidam negant.

293 Sentio tamen, quod si aliquis Religiosus laicus spiritu, & zelo fidei feruens, ex iussu interpretatiuo, disputaret cũ hæreticis, non peccaret, nec incurreret censuram. Et licèt *Suarez*, *& Coninch. & Hurtado* dicant, non in præsenti nostro casu, laicos Religiosos comprehensos esse in illo iure, ad quod inclinat *Cardinal. de Lugo*. Tamen *Thom. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 6. num. 6. Castro Palao tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 4. & Coninch.* licèt iste non firmiter loquatur, & alij sentiunt Religiosos laicos, non esse comprehensos in tali censura; quod *Suarez* iudicat probabile, & in conscientia, tutum *disp. 20. sect. 1. n. 10.*

294 De laico verò non Religioso, etiam docto, sentio nõ posse disputare, propter incommoda exinde sequutura, quę refert *Suarez disp. 20. sect. 1. nu. 11.* & pro hac sententia est *Sanchez num. 5. Coninch. disp. 18. nu. 145. Valencia, Azor*, & alij, quos sequitur *Palao tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 4.* & sequitur *Eminentiss. Lugo*. Quia non cessat tota legis ratio. Præterea, quia lex ista canonica prohibet aliquid de nouo, sed laicus indoctus erat iam iure naturæ prohibitus: ergo per prędictam legem comprehenditur laicus etiam doctus. His tamen non obstantibus *Caietan. Bañez, Ledesma, & Petrus Hurtado disp. 47. §. 24.* oppositum tenẽt de laico docto; quod probabile dicit *Sanchez cap. 6. nu. 5.* Ea nimirum ratione, quia in illo cessat in particulari tota legis ratio proxima, & remota, nempè periculum disputantis, & auditorum, & etiam necedat in contemptum fidei. Sed inquires hic: Prædicta censura est ferẽda, vel lata? Respondeo, quod est ferenda. Ita communis Doctorum sententia, & patet ex verbis ipsius legis, quæ ista sunt. *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica disputare; qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.*

295 Sed quęres Clericis iuuẽtibus poterit licitè laicus disputare? Nam affirmant *Suarez n. 11. Palao nu. 7. ex epist. 62. cap. vlt. Sancti Leonis, & ex 6. Synodo, can. 64. & ex Concil. Carthag. 4. cap. 98.* vbi expressè dicitur: *Laicus præsentibus Clericis, nisi ipsis iubentibus, docere non audeat.* Sed *Lugo ex Hurtad. num. 140.* oppositum tenet, eo nimirum, quia in puncto præsenti non est standum antiquioribus decretis, sed præsenti decreto derogante anteriora.

296 Inquires etiam. Ista prohibitione comprehenditur laicus fidelis disputans de rebus fidei cum alio fideli? Affirmat *Sanchez num. 9.* Sed negat *Hurtado §. 21. & Palao num. 5. citans* Ca-

Castrum 1. de iusta hæreticorũ punit. cap. 19. & fauet *Coninch. in suo n. 146. & Suarez citatus in suo n. 1. & Lugo n. 141.* Quia prędicta lex solum prohibet disputationem formalẽ de fide, quæ accidit solum, quando persuadendi causa disputatur; non verò alias, vt accidit in præsenti.

297 Item requiritur in disputante, quod rationabiliter præsumat profuturam suam disputationem; nam aliàs esset vana disputatio, *ex 2. ad Timoth. 3.* hæreticum post vnam, & secundam correctionem de vitã, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, cum sit propio iudicio dãnatus. Videãtur *Chrisost. hom. 6. Gelasius Papa in Commonitor. ad Faustum, Augustin. contra Faustum cap 12. Chrisostom.* siue Auth. Imperfect. in Matth. homil. 12.

298 Item requiritur, quod disputatio fiat coram eis, qui sunt docti: ne fortè scandalum oriatur. Si tamen nullum est periculum, licita est publica disputatio cum omnibus dictis circunstantijs: vt sic enim disputare, & confutare hæreticos, non solum licet, sed est obligatio, quando attentis circunstantijs cognoscitur necessaria talis confutatio, & disputatio.

Secunda Subsectio. *Sub qua censura prohibiti sint hæreticorum libri?*

299 HOc enim est secundum medium, quo sancta Ecclesia vtitur contra hæreticos, & hæreses. Pro quo suppono de fide conueniẽtissimè Ecclesiam vti authoritate prohibendi, & concremandi hæreticorum libros: tum, in pœnam hæreticorum: tum, vt per modum medicinæ præseruãtis Catholicos à contagio liberet, & sanos in fide conseruet. Ad quod totum, iure diuino habet ius, & potestatem: circa quod videatur *Suarez disput. 20. sectio. 2. à num. 4.* Quia ad hoc probandum sufficit factum Bullæ Cœnæ, vbi de facto prohibentur illi libri: videantur eius Expositores, *Nauarrus in manualĩ cap. 27. Tolet. lib. 4. institut. Sanchez 2. Decalog. cap. 10. Castro citat. cap. 15. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 16.* Pro quo afferuntur multa exempla: nam *Clem. lib. 1. Const. Apost. cap. 7. & in Consil. Niceno cap. 18. & in Concil. Carthagin. can. 16. & in Concil. Ephesino relato in lege damnato, Cod. de hæreticis, & lege Mathematicos, Codice de Episcopali, & lege quicunque, §. Nulli, & §. Omnes, Codice de hæreticis, & Leo I. epist. 91. ad Turibium cap. 15. & 16.*

&

& Gelasius cap. Sancta Romana, dist. 15. Vlin. Synodo, act. 1. et in 7. Synodo act. 5. can. 9. et in Concil. Const. sess. 8. et Concil. Romano, & alia plura, quæ refert Basilius Pontius in Appendice ad duodecim libros de matrimonio, cap. 2. nu. 7. Ex quibus constat, iustè, & sanctè, concremasse, & prohibuisse sanctam Ecclesiam, hæreticorum libros.

300 Secundo suppono: quod per libros hæreticorum intelliguntur libri, continentes hæresim, vel de Religione tractantes. Ita Bulla Cœnæ. Vnde totus liber prohibetur, etiam si vnam hæresim contineat. Licet Sanchez cap. 10. inclinetur cũ Hugolino, quod si sunt duo tomi, & vnus contineat hæresim, & alter non, ille alter non sit prohibitus. Oppositum tenet Suarez; si vterque tomus sint eiusdem argumenti, & materiei.

301 Sed inquires. Si liber hæretici, non tractet de Religione, & vnam solum hæresim contineat sufficiet ad censuram Bullę? Negant Sayrus, et Grasius, apud Sanchez cap. 10. num. 34. & probabile putat Diana 1. part. tract. de Bulla Cruciata, resolut. 31. & pro eo refert Sousam disp. 13. cap. 2. conclus. 2. de Bulla Cœnæ, et Filyucium, sed falsò vt notat Lugo. Nam Filyucius, affirmatiuam sententiam expressissimè tenet in loco à Diana citato; scilicet tom. 2. tract. 22. cap. 7. num. 204. Tenentque hanc sententiam Suarez de censuris disp. 21. sect. 2. num. 10. & de fide disp. 20. sect. 2. num. 16. Sanchez citatus, Bonacin. Coninch. Farinacius, Palao tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 1. num. 7. Alterius Portel, in additionibus ad dubia Regularia verb. lib. prohibiti, Hurtad. disp. 76. §. 295. & Lugo disp. 21. num. 49. Quia satis expressè dicit Bulla, prohibens hæreticorum libros, quod, vel hæresim contineant, vel de Religione tractent.

302 Inquires secundo. Vna epistola, vel concio vna, comprehẽditur nomine libri in Bulla Cœnæ? Affirmant Hugolino, Suarez disp. 20. sect. 2. num. 10. Megala 3. part. lib. 3. cap. 1. n. 55. Farinacio. Sed alij negant, vt Thom. Sanchez cap. 10. num. 29. Duard. Bonacina, Palao, Portel, Laiman, Sousa, citaturque Diana citatus, resolut. 34. & inclinat Lugo firmissimè, num. 33. Quia verba legis sunt stricti iuris, sed stricto iure loquendo non appellat concionem, aut epistolã vnam, librum: ergo cum solum libri prohibeantur in Bulla, non prohibẽtur concio vna, vel epistola vna Breuis; & patet, quia Trident. sess. 4. prohibet libros sine nomine Authoris imprimere, & tamen ibi non comprehẽdintur concio, vel epistola, & aliæ paruæ scripturæ, vt probat vsus, & testatur Azor cap. 17. q. 4. ergo.

Nũ

303 Nec valet si obijcias, quod hæc lex est in fauorem fidei, & fidelium: ergo non est restringēda, sed ampliāda. Nam respondeo, quod materia immediata, & proxima est odiosa, nempè pœna legentis, & habentis libros, & cum omnis lex pœnalis sit odiosa restringenda est, sine eo quod respiciatur finis vltimus. Sed obijcies, quod in his paruis scriptis eadem ratio militat, quæ in libris. Respōdeo, quod libri magis permanenter nocent. Præterea quia in pœnis non fit extēsio ad diuersum casum, licet sit eadem ratio dum Legislator ex presse nō extendat. Et si dicas, quod Sacra Congregatio Cardinalium declarauit, annotationes, lectiones, conciones, disputationes, & similia comprehendi sub decreto *Trident. sess* 4. Respondeo, quod non obstat hæc declaratio: primo, quia non est declaratio expressa Cardinalium circa nostrum casum: secūdo, quia in *Concilio Lateranensi sub Leone X. sess.* 10. statum erat de libris, & quacumque alia scriptura; & sic optimè declarauit Congregatio decretum *Tridentini*, factum ad obseruationem decreti *Lateranensis*.

304 Inquires tertio. Epistola, vel concio hęc hæretici, quādo censebitur attingere mensuram libri, vt non comprehendatur in prohibitione? Nam *Palaoin suonu.* 5. dicit: quod si disputatio, vel concio contineat decem folia est liber. Sed standum est communi, & vulgari existimationi.

305 Inquires quarto. Si libri hæreticorum sint manuscripti, & non typis excusi, comprehenduntur in censura Bullæ? Affirmat cōmunis sentētia *Suarez num.* 10. *Sanchez cap.* 10. *nu.* 28. & alij, quia ante typographiam verè erant libri.

306 Inquires quinto. Est necessarium ad incurrendam Bullæ censuram, quod Author libri sit damnatus de hæresi, vel sufficit esse hæreticum? *Grasius* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 40. & 43. dicit requiri, librum esse hæretici condemnati. *Sanchez* citatus *num.* 24. dicit; requiri esse hæreticum notorium, in quo conuenit *Suarez dicta sectio.* 2. *num.* 11. & idem tenet Palao. Vnde dum constet habenti, vel legenti librum eius Authorem esse hæreticum, etiam si non sit condemnatus iuridicè, comprehenditur sub censura Bullæ.

307 Libri autem infideliū non baptizatorum non comprehenduntur, quia non sunt hæretici. Ita *Suarez sect.* 2. *num.* 11. dicens: apostatam ad Iudaismum, vel Paganismum transiens, pœnis hæreticorum punitur, & sic eius liber comprehenditur in clausula Bullæ. De libris Magorum, & de alijs libris, videa-

deatur *Hurtado disp. 76. nu. 300. & Bulla Sixti V. confirmata ab Vrbano VIII. per Bullam datam anno 1631.* videatur etiam *Diana 4. part. tract. 7. resolut. 6. & 1. part. tract. de Bulla Cruciata, resolut. 30. & Sanchez citatus n. 32.* ex quibus constare videtur solos libros hæreticorũ comprehẽsos esse in clausula Bullæ Cœnæ, & licet *Hurtado* citatus, dicat cõprehendi libros Magorum, & Authoris suspecti in fide, & pertinentes ad Astrologiam iudiciariam, non dicit prohitos esse per hac Bullã, sed per alias prohibitiones.

308 Inquires sexto. Si contineantur rituales Græcorum, & aliorum schismaticorum in hac Bulla? Nam *Farinacius negat, & Sanchez n. 27.* cum *Azor, 1. tom. lib. 8. cap. 16. quæst. 8.* Quia Ecclesia Latina non declarauit illos ritus, vt hæreticos, ne que tales esse existimat. Sed *Suarez disp. 20. sect. 2. num. 12. & Palao 1. tom. tractat 4. disp. 2. punct. 10. num. 1.* cum alijs melius tenent oppositum. Quia Authores ritualium sunt hæretici, & illi libri tractant de Religione, & erroribus contra fidem scatent. Sed *Lug. num. 43.* istas sententias componit tenendo cum prima de ritualibus libris, quibus hæretici, & schismatici vtuntur. Et creduntur esse antiqui, & ab Apostolis, vel Patribus antiquis deriuari, vt sunt Liturgiæ Æthiopum, Græcorum, & aliorum, quæ habentur in Bibliotheca Patrum, & Euchologia Græcorum. Cum secunda autem tenet loquendo de libris precum, & rituum ab hæreticis compositis; quales sunt rituales Caluinistarum, & Lutheranorum, & alij libri ritualium compositi ab hæreticis, & in quibus agitur de Religione.

309 Inquires septimo. Si antequã aliquis laueretur in hæresim composuisset librum, vel postquã ab hæresi resipiuit, iste liber erit prohibitus per Bullam? Respondetur quod non: vt tenet *Lug. num. 44.* confirmans cũ libro de Sacramentis composito ab *Henrico 8.* ante hæresim Angliæ Rege, & cum libro Sixti Senẽsis, qui illum edidit postquam ab hæresi resipiuit.

310 Inquires octauo. Fragmenta hæreticorum librorum, quæ in Authoribus Catholicis reperiuntur, vt refutentur, vel vt respondeatur eis, continetur sub prohibitione Bullæ? Respõdetur, quod non. Ita *Sanchez* citatus *cap. 10. num. 23.* & multi alij apud ipsum. Et *Lug. num. 45.* notans optimè, quod si, ex industria, scriptor Catholicus trãscriberet hæretici verba, & seorsim colligeret, sine impugnatione, ille liber erit prohibitus per Bullam Cœnæ.

311 Inquires nono. De libro hæreticum commentarijs Au-

Authoris Catholici, vel è contra, de libro Catholici, cum notis hæretici Authoris. *Sanchez* citatus *in n.* 25. dicit non cõprehendi in hac prohibitione Bullæ librum Catholici. Sequitur *Sousa, & Diana part. 1. tract. 1. de Bulla Cruciatæ resol.* 32. Quia non est liber hæretici, sed Catholici: etiam si commentarij excederent textum Catholici. *Suarez* citatus *num.* 13. *& tract. de censu rijs disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 10. dicit: Si liber communi consilio æquè primo compositus sit à Catholico, & hæretico, comprehenditur sub prohibitione Bullæ; & idem docet si liber est hæretici cum scholijs Catholici. Ea nimirum ratione; quia de isto huiusmodi libro verificatur, quod habeat Authorem hæreticum. Secus dicit esse de libro Catholici cum scholij hæretici, dum talia scholia maiorem libri partem non faciant.

312 *Petr. Hurt. disp.* 76. *sect.* 8. §. 303. & 304. dicit; librum hæretici cum scholijs, glossis, seu commentarijs Catholici comprehendi hac prohibitione. De libro Catholici cum notis scholijs, & commentarijs hæretici dicit: quod si commentarius talis sit, vt non possit à textu separari commodè, qualia commẽtaria Caietani in Sanctum Thomam, solum, litteram explanãdo, non comprehẽditur; etiam si glossa excedat textum. Atverò, si glossæ, & scholia non pertineant ad litterę explanationẽ, & possint commodè à textu separari, dicit Hurtado, tunc cõprehendi, quia est liber hæretici. Ponit exemplum in commentarijs Suarij in Sanctum Thomam, qui dicuntur libri Suarij, etiam si textum Sancti Thomæ contineant, quia sine textu Sancti Thomæ, commodè edi possunt. Sed displicet, & optimè, Eminentissimus de Lugo, hæc Hurtadi vltima doctrina. nam, vt dictum est, & benè probat Suarez, ille liber est Authoris Catholici, vel Authoris hæretici? si dicatur Authoris Catholici sentiendum erit probabiliter cum sententijs supra relatis. Si verò communi vsu dicatur talis liber hæretici prout communiter dicuntur, & verè opera Suarij, tunc mihi videtur talem librum cõtineri sub prohibitione Bullæ Cœnæ.

313 Inquires decimo, quid sit *de Religione tractare*, per quod in Bulla Cœnæ etiam prohibentur libri? Respondeo cum *Suario disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 16. illum librum tractare de Religione, qui vel exponit sacram Scripturam, vel Theologiam scholasticam, vel conciones, vel casus conscientiæ tractat, vel alia ad cultum Dei, vel Sanctorum, vel ad salutem spectant spirituales, & etiam vt dicit *Sanchez citatus in suo num.* 21. de libris

bris, qui agunt de Religiosis, Monachis, Clericis, & de moribus Christianis non politicis, & vt dicit *Hurt. disp. 76. §. 304.* de tractantibus de ritibus Ecclesiæ, & de interpretatione iuris Canonici, vel epistolarũ Summorum Pontificum.

314 Inquires vndecimo. Est necessarium, quod totus liber de Religione tractet, vt hac cẽsura comprehendatur? Respondeo esse necessarium, quod ex professo tractet de rebus ad Religionem pertinentibus. Vnde si hæresim non contineat, dum tamen aliquid attingat obiter de Religione, non ideo erit liber prohibitus. Non tamen est necessariũ ad hoc, vt dicatur, quod ex professo de Religione tractet, vt libri argumentum sit de Religione; vt expressè docet *Sanchez cap. 10. num. 34.* sed sufficit, quod notabiliter tractet de Religione. Licet *P. Suarez* citatus in suo *n. 16.* videatur oppositũ sentire. Sed verior est sententia Sancij, & illam videtur amplecti *Lugo num. 51.*

315 Inquires duodecimo. Si hæreticus agit de superstitionibus, est agere de Religione, vel si tractet de magicis artibus? Nam affirmat *Suarez num. 16.* & citatur *Nauarrus, & Vivaldus, & Sanchez* pro opposita opinione, aduertentes tales libros non comprehendi hac Bulla, si Authores non sint hæretici. *Sousa in expositione Bullæ Cœn. cap. 2. disput. 13. num. 5.* oppositum tenet, & idem habere videtur *Bonacin. in explicatione Bullæ tom. 3. disput. 1. quæstio. 2. punct. 4. num. 4. vt notat Lugo num. 53.* sed non benè, qui in hac re sentit libros hæreticorum de superstitionibus, & magicis artibus tractantes, comprehendi in hac Bulla, quando tradunt sub specie Religionis: quasi virtus in illis superstitionibus ex Deo sit; quia tunc vendunt Religionẽ falsam pro vera. Si verò agant de Magia supponentes, Magiæ virtutem esse ex Dæmone, tradentes quibus signis inuocandus sit, vt consequatur effectus, talis liber est prohibitus aliàs, sed non tenore clausulæ Bullæ Cœnæ: dummodo talis liber hæresim non contineat. Sed ego sententiam Suarij non desero.

316 Inquires tertiodecimo. Si cum facultate requisita aliquis legat librum hæretici, vel prohibitum, & sibi notet ex eo aliqua, censebuntur hæc prohibita, ita, vt sine licentia, non possint legi? Respondeo cum Lugo, quod sine licentia possunt legi, si solum vnam, vel alteram sententiam notent, vel vnum argumentum: secus si partem libri transcripserit. Notandum maximè est, quod etiam si expungatur hæresis libri, adhuc ta-

talis liber non potest legi, nec haberi; quia adhuc liber manet prohibitus, non solum quoad præfationes, sed etiam quoad indices, & capita, & codices: ita *Sanchez 2. Decalogi cap. 10. num. 35. Suarez tom. de censuris disput. 21. sect. 2. num. 10. & tract. de fide disp. 20. sect. 2.* & alij quos ipsi, referunt ex quibus transcripsit Cardinalis de Lugo.

317 Tertio suppono. Per eamdem Bullam prohiberi *legere, retinere, imprimere, & defendere* tales libros, *scienter*. Ex quo sequitur, quod etiam si legantur, retineantur, imprimantur, & defendantur tales libri, si scienter hoc non contingat, sed cum ignorantia, non incurruntur illæ pœnæ latæ in Bulla Cœnæ, adhuc si ignorantia crassa, & supina sit; vt diximus *tractat. de matrimonio*, & docet *Sanchez 9. de matrimonio disput. 32. num. 36. 39. & 40.* Et est cõmunis sententia.

318 Similiter, si sciatur talem librum esse hæretici, dum tamen ignoretur continere hæresim, aut de Religione tractare, non incurritur: vel è contra, si ignoretur esse Authoris hæretici, etiam si sciat, continere hæresim: nec similiter incurret, qui ignarus linguæ Latinæ legeret: quia cessat finis legis omnino: imò qui audiret alio legente, non incurreret; licèt contrarium sit probabilius, & securius ex *Suario citato num. 19.*

319 Ex paruitate autem materiæ excusatur etiam; quænam autem paruitas hæc sit? *Sanchez* dicit, integram folij paginam, *Toletus, & Hugolinus* negant paruitatem materiæ; dicunt enim ad incurrendam censuram sufficere vnam, vel alteram lineam legere. Azor admittit paruitatem materiæ, & dicit esse pauca verba legere. Ita *lib. 8. cap. 16. quæst. 3. Hurtado* dicit paruitatem materiæ esse legere, vnam, vel alteram lineam. *Suarez disp. 20. sect. 2 num. 20.* dicit: paruam materiam esse, si lectio sit paucarum linearum, & ad tres, vel quatuor lineas se extendũt: *Merolla, & Grasius in Diana 5. part. tract. 5. resolut. 42.* Alij ad decem lineas, vt *Palao, & Sayrus*: cum Sanchez autem sentire videntur *Duardus, Laymann, Filliucius, & Portel in Diana 1. par. tractat. de Cruciata, resolut. 30.* & subscribunt *Coninch. disput. 18. §. 179. & Farinac. quæst. 180. num. 13. de hæresi*, & non improbat *Diana* citatus.

320 Sed *Diana* oppositum tenet, *part. 5.* citata, & oppositam improbat cum alijs. Eo quod *Clemens VIII. Edicto, vel decreto facto 9. Ianuarij, anno 1601.* prohibuit Confessarijs, etiam regularibus in Italia, absoluere à casibus, cla-

clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ contentis. Sed, vt acutè notat Eminentissimus Lugo, hoc fundamentum inefficax est. Primo: quia decretum Clementis, non debet intelligi de dubio positiuo, quod est opinio probabilis; sed de dubio negatiuo. Secundo: quia idem *Clemens* 26. *Nouembris anno* 1602. alio decreto moderauit, & abstulit, illa verba primi decreti, de casibus *dubiæ*. Improbat tamen *Lugo* illam sententiam Sancij; quia communiter iudicatur laxior. Sed sententia Sancij, saltem ab extrinseco, probabilitate non caret.

321 Inquires secundo. Incurrit censuram, qui voce recitat verba libri, quæ memoritèr olim didicit, nihil ex libro hauriendo? Affirmat *Grasius in Sanchez num.* 47. sed negat *Sayrus* ibi; quando bono fine id fit. Sed vtrumque impugnat Sanchez ibi: quia ille non legit; & quia lex non punit finem, sed factum, & actionem legendi; in quo cõuenit *Suarez* in suo *n.* 18. Quid ergo dicendum? *Lugo* sententiam *Sayrij* sequi videtur: quia Bulla prohibet legere, & iste talis non legit.

322 Sed obijcies: ergo qui audit legentem talem librum, non incurret censuram? Respondet *Hugolinus, Sanchez num.* 49. *Farinacius, Duardus, Fylliucius, Bonacina, Coninch. disp.* 18. *num.* 178. *& Palao punct.* 10. *§.* 2. *n.* 4. concedendo consequentiam, & nõ esse improbabilem, etiam quando audiens ex causa, consilio, mandato, suasione, precibus, vel alio modo lectionis talis libri; & idem tenent *Sousa, & Diana* 1. *part. tractat. de Bulla Cruciata, resol.* 34. citans Portel. Ea ratione, quia quocũque modo sit causa, audiens nõ legit; sed tantum audit, & pœna iuris est contra legentes. Videatur *Sanchez* 3. *de matrimonio disp.* 42. *num.* 2.

323 Idem videtur sequi *Lugo num.* 75. quamuis *Azor, Sayrus, & Grasius* dicant in isto casu incurrere pœnas Bullæ, si audiens est causa lectionis, dicto modo. Sequitur *Hurtado disput.* 76. *§.* 310. & citantur *Alterius, Laiman, Mecala, & Reginaldus in Diana* citato. Obiectiones autem, quas affert *Suarez* contra concedentes consequentiam, non probant quod audire librum prohibitum, sit idem, ac legere librum prohibitum: & ita non sunt efficaces.

324 Dices: ergo si famulus iussus à Domino, audituro librum hæreticum, legat librum, si metu graui ad id compellatur, excusabitur à censura, etiam si in contemptum fidei præcipiatur? Respondet *Sanchez* citatus *num.* 49. affirmatiuè, sequitur *Palao, & Duardus in Diana* relatus *resolution.* 34. & videtur sequi

Lu-

Lugo num. 29. Quia leges Ecclesiæ non obligant cum tanto dispendio. Sed iudico, quòd, si in contemptum fidei, id præciperetur, servus grauissimè peccaret; & non audeo excusare in tali casu ab incursione censuræ Bullæ Cœnæ.

325 Dices etiam: Ergo qui legit libros istos scriptos lingua sibi ignota, non incurret censuram istam. *Bonacina* negat *disput. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 14. de censurijs.* Sequitur *Megala.* Sed *Sanchez* concedit consequentiã *num. 51.* & *Filliucius* sequitur *tract. 22. cap. 7. num. 207. Suarez num. 18. Hurtado, Palao*, & *Diana resolut. 36.* Quia lectio formalis est quæ prohibetur; quæ consistit in lectione cum perceptione verborum, & intelligentia.

326 Sed quid dices, si iste qui non intelligit, legat, vt intelligens audiat? Respondet *Lugo* cum *Hurtado num. 81.* quòd iste non incurrit, quia formaliter non legit. Peccabit tamen iste grauitèr contra charitatem. Vnde, tam legens, quàm audiens in isto casu, non contrahunt censuram Bullæ, vt notat idem Lugo. Qui legit paucas lineas libri hæretici, in quibus scit hæresim contineri, incurrit censuram? Affirmat *Duardus*, & idem dicit *Reginaldus part. 5. citata resolut. 42. in Diana.* Sed iste cum *Merolla* negat; sed *Lugo*, & optimè *num. 83.* magis propendet in primam sententiam, quia verè legit, & sic verè incurrit.

327 Qui intelligantur retinentes libros huiusmodi? Respondetur intelligi, non solum qui apud se retinent, sed etiam qui apud alios, quibus commodarunt, vel depositauere, retinent. Circa quod videatur *Suarez num. 21.* citatus, & *Sanchez num. 52. Hurtado §. 12.* Excusabitur tamen servus habens tales libros in custodia, si dominus eius habeat facultatem eos legendi, & retinendi. Author tamen libri, etiam si non legat non excusabitur à censura. Datur etiam paruitas materiæ circa retentionem librorum, vt si vna linea, duæ, vel tres retineantur: secus si partem libri; imò Sanchez excusat retentionem vnius folij. *Lugo* tamen nullam paruitatem materiæ in hoc admittere videtur *num. 85.*

328 Excusandus tamen est à culpa, & incursione, si retineat librum prudenter spectando occasionem tradendi illum Inquisitoribus. Ita *Hugolinus, Sayrus, Sanchez num. 55. Pala num. 10. & Lugo num. 86.* Tempus autem non determinatur a Authoribus: ego prudentis arb trio relinquo. Aliqui enim ser serunt, quòd si habeas animu retinendi librum per longu tempus, sed postea, mutato an mo, ante biduum librum trad

Inquisitori, non incurres censuram. Quia præter affectum, requiritur effectus positivus, & tunc retentio est leuis. Ita *Palao* in *Diana* citato *resolut.* 43. & ipse *Diana* citans *Sanchez*, sed non benè pro præsenti casu.

329 *Lugo disp.* 21. *num.* 89. oppositū tenet cum *Hurtado*, qui citat *Suarium*, sed nō benè, quia *Suarez* solum dicit ibi non excusari à peccato mortali, non verò loquitur de censura. Probat Lugo exemplo illius, qui furatur rem alienam animo diutius retinendi illam, sed post breuissimū tempus re melius inspecta mutato animo domino restituit, incurrit nihilominus reseruationem, vel censuram ipsofacto impositā, si alicubi posita sit, peccato furti: ergo similiter in nostro casu. Sed si respondeatur esse dissimilem casum, quod materia furti reseruati non est parua, sicut materia retentionis, quæ prohibetur in Bulla per censuram, & sic casus sunt dissimiles, non video, quid possit obijci.

330 Inquires etiam circa illam particulam Bullæ: *Imprimēres*; quinam sub illa comprehendantur? Dico: intelligi omnes, qui, vel typos ordinant, vel coponunt, vel atramento tinguunt, vel papyrum madefaciunt, & typis applicant, & torcular præmunt, vel proximè ad impressionem operam suam adhibent; & dominus Typographiæ, nam iste dicitur impressor, etiā si, manibus nō laboret. Ita *Suar. n.* 24. & *Sanchez n.* 57. & quidquid dicat *Lugo n.* 90. etiam Author libri nō impediens impressionē. Ille autē, qui expensas tribuit ad impressionem, dicit *Sanchez*, quòd non comprehenditur, & sequitur *Palao*, sed negat *Sayrus*: *Lugo* tamen dicit; quòd si iste nō procuret impressionem, non dicitur imprimere, & sic, quòd non comprehenditur. Ita habet *n.* 91. Illi autem qui corrigunt impressionem, & errores emmēdant, coprehenduntur in censura Bullæ, secundùm *Sayrū*, & *Grasium*, & sequitur *Hurtado disp.* 76. §. *vltimo*, & *Palao*. Quia correctio illa iuuat, vt liber imprimatur correctus. Sed contrarium docent *Sanchez Suarez*, & *Lugo num.* 92. Incurrerent tamē excomunicationem contra legentes, datam in Bulla. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondet Lugo, quòd ille qui politioribus literis transcribit, non ideò incurrit censuram contra imprimentes; quia hoc solū est præparare, vt imprimatur. Sed certè de hoc est eadem difficultas; & sic si iste illo animo transcribat, videtur incurrere censuram, & sic aliam rationem debet afferre Lugo.

331 Inquires etiā. Iste transcribens librum hęretici comprehenditur censura Bullæ? Con-

se-

sequenter affirmat *Castro Palao, tom. 1. tract. 4. disput. 2. punct. 10. §. 2. num. 15.* Quia verificatur de eo, quod sit legens, & retinens librum: quidquid dicat Lugo, quòd illi casus sunt methaphysici.

332 Circa alteram clausulam Bullæ, qua excommunicantur *defendentes* eosdē libros, *quomodolibet, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore*, inquires: Quinam comprehendantur sub illa, & dico primo; comprehendi, qui librū occultat, ne deferatur, vel comburatur vi, vel fraude: etiam qui cōnatur suadere librum esse bonum, vel connatur tueri doctrinam in eo contentam prauam, & defendere, etiā si hoc faciant eo fine, & prætextu, vt veritas eluceſcat, vel disputandi gratia. Quia dicitur in Bulla: *Quouis ingenio, vel colore.* Vnde non excusabitur, quis dicendo se illud facere, vt inueniat rationes ad hæreticum conuincendum. Excusabitur tamen qui doctrinam bonam, & veram illius libri approbet, & laudet; dum tamen absolutè non approbet ipsum librum. Vnde si stylum, eloquentiam, phrasim, & ingenium laudet, non incurret censuram, si non censeatur per hoc librum laudare. Ita *Palao numer. 14. ex Suario num. 25. & Sanchez numer. 58.* & sequitur *Lugo num. 94.*

333 Inquires. Si quis dicat, *hic liber optimus est, secluſa hæresi*; incurret censurā? Affirmat *Palao*, sed inconsequenter: citat pro se *Suarium*, sed in *Suario* tale non inuenitur, vt notat accuratè *Lugo* tenens oppositam sententiam consequenter. Quia si talis liber hæretici non tractaret de Religione, sed foret de medicina, & in eo contineretur hæresis; si diceretur: *si hic liber non contineret hæresim, optimus esset*, nulla est ratio quare comprehēdatur sub censura Bullæ.

334 Sed dices. Si quis dicat apud se solum, vel scribat, *liber hic bonus est, & indignus prohibitione*, incurret? *Sanchez* citatus dicit, incurrere hanc censuram scribentem apud se solum, etiam si nulli communicet scriptum; illum verò, qui apud se solum dicit: hic liber optimus est, non incurrere. Eo quod hoc dicere sic, non est defendere. *Palao n. 14.* dicit: quòd si argumenta disoluantur, quibus impugnatur liber, vel quæras rationes in fauorem, incurritur censura; etiam si hæc fiant occultè, & solitariè ab vno; citatque *Sancium, & Suarium* pro se; sed vt benè notat *Lugo* non benè citātur: nam *Suarius*, & *Sanchez* non loquuntur in casu, quo hoc fiat ab vno solo. Item inconsequēter Palao loquitur: nam tenet cum Sancio pro primo modo dicendi citato, & istud quòd ipse di-

cit non conuenit cum illo. Existimo ergo in vtroque casu, siuè per scripturam, siuè per vocem, quantumuis se solo, & occultè proferat illud, incurrere censuram Bullæ: quia verba textus sunt expressissima: legantur.

335 Si dicas. *Ego volo defendere hunc librum*: si vlterius non progrediaris, incurres hanc censuram? Negat Vgolinus, & sequitur *Sanchez num.* 58. nisi esses iam in procinctu, & prouocares ad certamen. Quia hoc est formalis defensio libri. Consentit etiam *Farinacius quæst.* 181. *numer.* 12. *de hæresi.* Sed *Palao num.* 14. oppositum tenet, & sequitur *Lugo num.* 99. & omissis ipsorũ rationibus alijs, verbis Bullæ expressis hæc sententia probatur; nam dicit Bulla: *Defendentes quomodolibet.* Quid clarius?

336 Inquires item. Si apud Sedem Apostolicam consuleres, vel procurares, ne liber aliquis hæretici, nuper editus tractans de Religione, vel hæresim continens, ponatur in indice librorum prohibitorum, incurreres istam Bullæ censuram? Respondit *Cardinalis de Lugo num.* 100. quòd non: dicens talem casum non semel sibi contigisse. Ratio mihi est: quia existimo hanc defensionem apud Sedem Apostolicam, & coram Sanctissimo, esse specialissimam, & particulariſsimam, & sic non continetur sub censura Bullæ: aliàs etiam incurreret censuram, qui peteret licentiam, & facultatem legẽdi tales libros, pro vna, vel pluribus personis, vel pro vna Prouincia generaliter, vel ad tempus, concurrentibus rationabilibus causis.

337 Circa pœnam latam excõmunicationis maioris, reseruatæ Papæ in Bulla Cœnæ aliqua supra notaui. Nunc autem aduertendum est, quòd *Sanchez cap.* 10. relato *num.* 38. dicit; ab hac censura non excusare ignorantiam, quando esset ita crassa, vt esset ingens temeritas; scilicet quando præcedit vehemens suspitio de malitia libri. Loquitur consequenter ad *librum* 9. *de Matrimonio disp.* 32. *num.* 39. & *num.* 40. vbi extendit istum casum ad ignorantiam affectatam ex ellectione nesciẽtiæ: quod idem dixit *Suarez sect.* 2. *numer.* 17. Verum *Sanchez dicto cap.* 10. *lib.* 2. *Decalogi, num.* 38. contrarium docet expressè. Sed vt notat Lugo sapientis est mutare consilium; quod dicendum idem est de *Palao*, nam *tract.* 2. *disput.* 1. *punct.* 18. *num.* 1. dicit; ignorantiam affectatam non excusare à pœna; & posteà *tract.* 4. *disput.* 2. *punct.* 10. §. 2. *n.* 1. dicit legentes hæreticorum libros cum ignorantia affectata non incurrere censuram Bullæ Cœnę, & hoc in eodẽ tomo. Sed de hoc iam diximus, igno-

ignorãtiam crassam, & affectatã excusare ab hac censura, dum non sit adeò crassa, quod etiam sit temeraria. Ita *Lugo num.* 104. cum *Diana 3. part. tract. 6. resolut. 7. Bonacina*, & alijs in *Diana 5. part. tract. 9. resolut. 17.*

338 Secunda pœna imposita à Bulla est, quòd *legentes retinentes &c.* fiunt suspecti de hæresi. Hoc tamen dupliciter potest intelligi: vel quoad forũ externum, vel quoad forum conscientiæ, & internum. Circa primum solet investigari; vtrùm legentes retinentes, &c. prædictos libros suspecti sint leuitèr, vel vehementèr de hæresi, & qualiter torqueri, vel puniri possint? Sed de hoc videatur *Diana 4. part. tract. 7. resolut. 6.* vbi multos refert, & *Palaum tract. 4. disput. 2. punct. 10. §. 4.* qui omnes ad prudentiam, & arbitrium Iudicum remittunt.

339 Circa ea autem, quæ ad forum conscientiæ spectant non desunt, qui à peccato mortali excusent illos, qui comburunt propria authoritate tales libros, & iudicat probabile *Diana 1. part. tract. de Bulla Cruc. resolut. 57.* Citans *Zanchinum tract. de hæreticis, cap. 7. Filliucium tract. 16. cap. 3. n. 45. & tract. 22. cap. 7. num. 208. & Reportorium Inquisitor. verf. libri.* Fauet *Bonacina tom. 3. disp. 1. de excommunicatione Bullæ Cœnæ, q. 2. punct. 4. num. 18.* Verum hæc sententia stante Bulla Iulij III. *Cum meditatio*, quam refert *Peña, in direct. vltim. part. & Palao num. 12.* non potest teneri. Quia Bulla præcipit, vt ad Inquisitores deferantur libri prohibiti sub pœna excõmunicationis. Vnde Authores, quos refert *Santarelus tract. de hæresi, cap. 13. dub. vnic. num. 16.* sunt loquuti ante Bullam Iulij III.

340 Quare Farinacius, Suarez, Sanchez, Palao, Hurtado, Azor, Diana, Lugo, & omnes firmissimè statuunt, esse mortale non deferre, & tradere tales libros Inquisitoribus: ita habet *Eminent. Lugo disput. 21. n. 107.* & consequenter etiam incurritur censura, sed non reseruata Bullæ Cœnæ, sed posita in Bullã Iulij III.

341 Inquires, incurret censuram Bullæ Cœnæ retinens libros de Religione tractantes, vel aliquam hæresim continentes, qui libri non sunt Authores hæretici? Respondetur quòd nõ. Incurret tamen censuram ipso iure latam per Pium IV. vt ponitur initio Iudicis librorum prohibitorum; non solum si retinuerit, sed etiam si legerit.

342 His suppositis, & prænotatis ad titulum difficultatis nostræ subsectionis 2. dico, quòd censura cõtra hoc posita ad prohibẽdos hæreticorum libros incurretur ipsofacto, & est latæ

sententiæ, & Summo Pontifici reseruata. Ita vt & constat ex tenore expresso verborum Bullæ Cœnæ.

343 Sed obijciunt hæretici; quòd Apostolus 1. *ad Thessal. 5.* docet: *Omne approbatè, quod bonũ est tenete*; sed libri hæreticorum multa docta bona cõtinent: ergo sine fundamento, Ecclesia prohibet ita absolutè eorum libros. Maximè, cum ad confundendos hæreticos, sit necessariũ, eorum errores cognoscere, vt ad hominem ex eorum dictis facilius possint eruditè conuinci. Aliàs Hieronymus malè fecit, qui in libris his fuit maximè versatus: & idem erit de Augustino, Athanasio, & de alijs SS. PP. Ecclesiæ: imò *Concilium Carthaginẽse quartũ, cap. 16* malè præcipit Episcopis, vt hæreticorum libros legant. Et tandem: quia videtur acceptio personarum, damnare magis libros hæreticorum nascẽtium, quam libros quorum Authores fuerunt Catholici, & posteà in hæresim sunt lapsi, v.g. libros Tertuliani, Origenis, & Eusebij Cesariensis, sed isti non sunt prohibiti: ergo videtur acceptio personarum, & sic iniusta prohibitio Ecclesiæ.

344 Sed respondeutr facilè; quòd in Ecclesia Catholica sunt libri eruditiores, & libris hæreticorũ doctiores, ex quibus possumus vtilitatẽ maiorẽ percipere: Apostolus verò intelligitur de rebus nõ prohibitis; atque ante prohibitionẽ Ecclesiæ impugnati sunt moraliter euidenter hæreticorum errores; & sufficienter in libris Catholicorum apparent fundamenta hęresum: & sic ex tunc, iustè Ecclesia prohibuit hæreticorum libros. Ad exempla respondetur; quòd illi SS. PP. versãbãtur hæreticorum libros, ex authoritate Ecclesiæ; & sic benè fecerunt pro temporum opportunitate. Ad vltimũ respondetur; quòd illorum Authorum libri sunt expurgati ab erroribus: & ita cessat finis prohibitionis, respectu illorũ. Vnde non sequitur acceptio personarum.

Tertia Subsectio. *Vtrùm Ecclesia possit coercere hæreticos ad relinquendas hæreses?*

345 COntra aliquos hæreticos (quorum aliqui dixerunt, non esse cum hæreticis contendendum, sed relinquendos esse, vt in sua secta viuant, vt dixit *Apelles*, apud *Eusebiũ 5. historiæ, cap. 13. & Nizephorum lib. 4. cap. 29.* Alij verò, vt Donatistæ, asserebant, quòd Ecclesia nõ debebat, nec poterat, punire hæreticos; quos errores secuti sunt *Vbicleph. Ioannes Hus, Lutherus*, & alij Recent. hæretici, de quo videantur *Bellarm. tom. 1. lib. 3. c. 21. & 22. Valencia disp. 1. quæst.*

quæst.11. memb.3. & Suarez disput.20 sect.3. & alij in principio opusculi relati) firmiter de fide asserendum à nobis est, licitum, & sanctum esse, punire Apostatas à fide, quam in Baptismo acceperunt, & professi sunt: Ecclesiamque habere potestatem, & ius puniendi eos, nō solum pœnis spiritualibus, sed corporalibus. Ita omnes Catholici, *Castro lib.2. de iusta hæret. punit. Bellarmin.* citatus *Rosensis art.33. contra Lutherum, Farinac. de hæresi quæst.189. Simancas, titul.46.*

346 Ratio est: quia hæresis est peccatum grauissimum, Reipublicæ pernicioſissimū, & iniurioſissimum Ecclesiæ: ergo licitum est, & sanctum punire hæreticos. Videte *Suarium*, qui latius huius probationem prosequitur ex Scriptura, & Patribus, & historię scatent exemplis manifestis. Vnde quia de se patet, vt ipsa naturalis ratio demonstret, ideò non immoror, sed ad probationem secundæ partis nostræ assertionis transeo.

347 Illam ergo sic probo. Nā *D. Petrus Epistol 2. cap.1.* dicit: *Principes Catholicos esse ad vindictam malefactorum.* Et ad *Rom.13* dicitur: *Dei enim Minister est, vindex in iram ei qui malum agit*: ex quo *Bernard. serm.66. in Cantica*, ait: *Ministros Ecclesiæ positos esse ad sumendam vindictam de hæreticis*: quare *2. ad Corinth.10.* dicitur: *In promptu habentes, vlcisci omnē inobedientiam*: hæretici autem sunt rebeles, contumaces, & pertinaces, inobedientes Ecclesiæ: ergo in ipsa Ecclesia est ius, & potestas puniendi hæreticos; aliàs Petrus *Actor.5.* verbo suo Annaniam, & Safiram mentientes Spiritui Sancto, non interficeret, & *Actor.13.* Paulus, cæcitate percussit Magum Proconsulem à fide retrahentem, & *1. ad Corinth.5.* in interitum carnis traditur Sathanæ incestuosus, & Christus D. flagello profanatores Templi eiecit *Ioan. c.2.*

348 Secundo probatur à paritate de Ecclesia veteris Testamenti; vbi *Deuteron.13.* præcipiebatur, quòd Propheta falsus interficeretur, & idē *cap.17. & 3. Regum 18. & lib.4. cap.10. & 23.* ergo multo magis talis potestas, & ius puniendi Apostatas hæreticos est in Ecclesia Christi. Nam secundùm *Hieronymum ad Galat.5.* Dogmata hęretica Idola sunt, quæ ab hæreticis adoranda proponuntur fidelibus.

349 Tertio probatur ex perpetua consuetudine Sanctæ Ecclesiæ, vt constat ex decretis Sūmorū Pontificū. Ratio autē est lumē rationis naturale. Quia ipsa ratio naturalis dictat esse necessarium in republica ius & potestatem ad puniendos malefactores, sed ex fide certum est Ecclesiam Catholicam Christi, esse vnam Sanctissimam Republicā

à Christo institutam: ergo ei reliquit talem potestatem, & ius; nam sapientissimè illã instituit.

350 Tertiã verò partẽ probo. Et præter probationes immediatè tactas; cõfirmo sic, ex illo *Matth.* 18. *Si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi tanquã, Etnicus, & Publicanus*: ex quo, adhuc hæretici fatẽtur in Ecclesia ius, & potestatẽ ad pœnas spirituales ferendas. Quantũ autẽ ad pœnas temporales ex dictis de Ecclesia, veteri satis claret. Et confirmatur (cõtra hæreticos tenentes potestatẽ coercendi vtroque modo hæreticos esse in Principibus sęcularibus, & tẽporalibus; in quo errore versantur Angli, contra quos agit *Bellarm. & Suar. contra Regẽ Angliæ lib.* 3. *c.* 7. & contra alios, inter quos fuerunt aliqui Catholici, dicẽtes Ecclesiam solum habere ius, & potestatem puniendi spiritualibus pœnis, non verò corporalibus) quia Christus D. dedit Summo ipsius Vicario Petro, & eius legitimè succesſoribus potestatem omnem, & ius requisitũ ad rectum Ecclesiæ regimen, dicendo: *Pasce oues meas, Ioan.* 21. Quibus verbis manifestè tribuit Ecclesię, & Sũmo eius Pontifici, ius, & potestatem puniendi corporaliter suos subditos, sicut bonus Pastor habet potestatem occidendi, si opus fuerit, ouem virulentam, vel oues, quę in ouili alijs pestem, vel graue damnum possunt inferre.

351 Et confirmatur ex facto dicto Petri cum Annania, & Saphira, quos interfecit; quia mẽtiti fuerunt Spiritui Sancto, & fraudauerunt de precio agri, *Act.* 5. Hæretici autem magis Spiritui Sancto mentiuntur, resistentes Ecclesiæ, & plus fraudant de precio agri Ecclesiæ, eam paruipendendo per suos errores. Ad quod etiã facit illud *Matth.* 16. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlo, & quodcumque ligaueris, & c.* & illud *Psal.* 2. *Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & Reges eos in virga ferrea*: quòd intelligitur ad litteram de Christo; & consequenter de Summo eius Vicario in Ecclesia.

352 Nec extra propositum videtur illud *Lucæ* 22. *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter, & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*: ac si Apostolos constituereet, vel vt Dauidẽ, qui sacculo, & pera pastorali, in funda, & lapide pręualuit contra Philisteum infidelẽ, percutiendo lapide in frõte, vbi errores, & hæreses residẽt, gladioque præcidit caput, ex quo hæreses manant. Tandem hoc manifestè cõfirmant innumera iuris Canonici testimonia, quorũ aliqua adducit *Suar. disp.* 20. *sect.* 3. *à n.* 22. *& lib.* 3. *cap.* 21. cõtra Regem Angliæ; videantur.

353 Sed aduersus omnẽ huius Subsectionis resolutionẽ Catho-

tholicam, hęretici obijciunt primò. Fides debet esse spontanea, & libera: ergo repugnat illi coactio. Confirmantque: quia fides est donum spirituale: ergo non potest cadere sub potestate, & iurisdictione humana: ergo nec Ecclesia habet ius ad coercēdos hęreticos, vt hęreses relinquant, & vt cōuertantur ad fidem: aliàs fictè fierent conuersiones, & foret Sacramentorum abusus, & multa fierent sacrilegia, quod est grauissimum incommodū; ergo illud ex quo sequitur, non est verū, scilicet nostra doctrina.

354 Respondeo negando consequentiam: aliàs omnis lex pœnalis foret iniusta: coactio ergo Ecclesiæ solum ponit necessitatem moralem, quæ non tollit in differentiam libertatis, sicut necessitas naturalis. Quod autem fides sit donum Dei supernaturale, nō obest; quia correctio, & coactio Ecclesiæ inducit, & iubat hominē, vt cooperetur gratiæ diuinæ, atque vt adimpleat obligationem, quàm ex iure diuino habet adimpiendi leges diuinas, & Euangelium Christi, & ipsius fidem.

355 Obijciunt secundo: quia 1. *ad Corinth.* 5. ait *Paul.* de his, quæ foris sunt, nihil ad se pertinere, sed hæretici sunt foris, & extra Ecclesiam: ergo non possunt cogi ab Ecclesia per pœnas: quia omnis coactio in non subditum non est iusta, sed contra ius. Respōdeo primo: quod hæretici sunt facto extra Ecclesiam, non verò iure: & sic, quia facto sunt extra Ecclesiam, iure ab Ecclesia possunt puniri, vt facto, sicut tenentur esse, intra illā sint; Paul. autem loquitur de his, quæ sunt foris facto, & iure.

356 Respondeo secundo; quod Paul. loquitur, vt persona particularis, & veluti peculiaris Paterfamilias, respectu particularis familiæ subiectę ipsi, nō verò vt Princeps Ecclesiæ, respectu eorū, qui tenentur ei subesse, & obedire. Et si dicas, quòd *Paul.* 2. *ad Corinth.* 10. ait: *Arma militiæ nostræ, nō carnalia sunt, sed potentia à Deo*: vnde ad *Roman.* 13. de solo tēporali Principe, aut magistratu, ait: *Nō sine causa gladiū portat*; & *Matth.* 27. *Ioan* 18. ad Petrū, qui futurus erat eius in Ecclesia Vicarius, dixit Christus D. *Mitte gladium tuū in vagina*: ergo quāuis Ecclesiæ concedatur ius ad spiritualiter puniendos hæreticos per censuras, non tamē pœnis corporalibus, sed hoc erit ius Principum temporalium.

357 Respondeo; quòd ius, & potestas Ecclesiæ ad coercendos hæreticos temporalibus pœnis, est potētia à Deo supernaturalis, & eminentior potētia humana, Principū temporalium: & sic ius Ecclesię, & potestas ad puniēdos hæreticos, adhuc pœnis tēporalibus, inter arma militiæ spiritualis cōputatur, & potestas, & ius

Prin-

Principum inter arma carnalia, & quia frequenter, quam Ecclesia vtuntur Principes illis pœnis: imò Principes Sæculares, vt ministri Ecclesiæ subditi gladio materiali vtuntur.

358 Per illa autem verba Christi D. *Conuerte gladium tuũ in vaginã*, solum prohibetur vsus gladij materialis priuatis personis; maximè in conspectu Principis supremi, & tunc erat Petrus coram Christo: & iste est sensus litteralis. In sensu autem mystico significatũ est, quòd Ecclesiæ Pastores non debent per se ipsos immediatè exercere gladium materialem, sed per temporales ministros, tempore opportuno vibrandus est cõtra Ecclesiæ rebeles: & ita explicandi sunt Sancti Patres.

359 Et si dicas, quòd antiqua Ecclesiæ consuetudo à temporibus Apostolorum est in cõtrariũ; quia nullibi legitur, Apostolos vlos fuisse aliqua coactione contra hæreticos, sed solum separatione: atque idem obseruarunt antiqua Concilia, & Põtifices, vt testantur *Cyprianus Epist. 55. in fine. Ireneus lib 5. contra hæreses cap.* 20. & alij quos citat Suarez relatus: ergo hæretici iniustè puniuntur ab Ecclesia. Respondeo esse argumentũ ab authoritate negatiua: nam non semper offertur opportunitas vtendi tali iurisdictione; & potestate, & sic accidit in illo tempore primo nascentis Ecclesiæ: crescente tamen Ecclesia, & necessitate crescente maiores pœnas adhibuit, quia sine graui incõuenienti poterat, eas applicare. Quòd totũ efficaciter confirmat illud *Lucæ* 14. de Cœna, quã fecit Paterfamilias, in qua figuratus est Christus D. & eius Sancta Ecclesia; ad quam cœnã semel, & iterum invitauit, vt veniret, qui invitati, cum se excusarent, dixit Paterfamilias, cõpelle eos intrare.

Quarta Subsectio. *Vtrùm omnes fideles teneantur hæreticos fidei Iudicibus, sibi notos denuntiare?*

360 PRo breui huius resolutione suppono: tres esse modos procedendi Iudicis Ecclesiastici contra hæreticos, Inquisitione, accusatione, & denunciatione; & de isto agimus in præsenti. Denuntiatio autem est duplex, Euangelica, & Iudicialis. De illa dicemus *tract. de Charitate*, quia tendit ad emmẽdam delicti, & fit superiori, vt Patri: & ita in præsenti solum est sermo de Iudiciali, quæ tendit ad vindictã delicti propter bonum commune regulariter, & fit superiori, vt iudici. Differunt autẽ denuntiatio, & accusatio, quòd in accusatione, accusator fit pars, exigendo iustitiam: at in denuntiatione, denuntiator solum defert crimen ad

ad notitiam Iudicis, & nō cogitur ad probationem, sicut accusator, qui in scriptis debet dare accusationem firmatam, denūtiatio verò, non est opus, vt scribatur; de quo videatur *noster Emanuel Rodriguez, tract. de ordine Iudiciario, cap. 4. & Farinacius de hæresi, quæst. 185. à num. 60.*

361 Suppono secundo: hanc denuntiationem, non solum esse iustam, & licitam, sed, & præceptam, ita, vt omnes qui habuerint notitiam alicuius peccati publici hæresis, teneantur illud peccatum denuntiare, & personam quæ illum commisit: ita *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 68. art. 1.* & sequuntur ferè omnes Doctores. Quia eo ipso, quòd illud peccatum est publicum, cum sit grauissimum, & valdè nocivum, opportet adhibere remedium denuntiationis.

362 Difficultas in præsenti est: quando peccatum hæresis omnino est occultum, ita quòd vnus tantum, præter delinquentem, illud nouerit? In hoc casu negant Ioānes Andreas, & Villa-Diego; sed affirmatiua sentētia est communis apud *Alensem, D. Thom. Antoninum, Caietanum, Sotum*, & alios, quos sequitur *Sanchez lib. 2. Decalogi, cap. 32.* cum *Suario disp. 20. sect. 4. n. 7.* Et probatur primo ex 13. *Deuteronomij*: *Ne pareat oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum*: vbi sermo est de fratre infideli, solicitanti alterum ad Idolatriam: nō enim minus nocivum est hæresis peccatum fidelibus, quā Idolatria, ex Hieronymo supra relato. Conueniunt SS. PP. quos relati Authores afferunt. Ratio autem est; quia bonum cōmune est præferendum bono priuato, & bonum spirituale temporali: ergo est obligatio denuntiandi: quia bonum commune exigit talem denuntiationem.

363 Verum *S. Thom. 2. 2. quæst. 35. art. 7.* & alij, non ita generaliter illud defendunt. Dicunt enim, & docent; quòd si sit firma spes, quòd hæreticus occultus sit emmendandus, prius præmitti debet priuata correctio fraterna, ex *Matth. 18.* si tamen talis spes non sit, tunc erit obligatio denuntiandi; & vt sic habent vim fundamenta secundæ sententiæ *numer. anteced.* posita. Et tenent hanc doctrinam *Scotus, Caietan. Cano, Nauarro, Abulensis, Matth. 18. quæst. 97. & Castro lib. 2. cap. 25.*

364 Verum, quia hæretici rarissimè, aut nunquam emmēdantur; ideò frequentius obligare debet denuntiatio, non præmissa correctione fraterna ex præcepto Dominorum Inquisitorum, & decreto Sanctæ Inquisitionis: quamuis hoc alicui possit videri non satis firmum: quia edicta Inquisitionis Sanctæ non debent præsumi, quòd sint cōtra præceptū naturale diuinū, qua-

quale est præceptum de correctione fraterna: vtpotè nulla lex humana potest derogare legem naturalem diuinam.

365 Nota: quòd adhuc in secunda sententia, ita generaliter prolata admittitur exceptio: qualis est, si peccatum hæresis sciatur per confessionem; quod ita necessarium verum esse, ait Suarez, quòd oppositū sit erroneum; quia contra communem sensum, & vsum Ecclesiæ; contra Religionem, & vtilitatem Sacramenti, vt diximus *tract. de Pœnitentia Sacramento*. Secundo: si cōditio personæ talis sit, quòd propterea cessaret obligatio denūciandi. Vnde sequitur primo; quòd nullus tenetur se ipsum denuntiare; sequitur secūdo, quòd socij criminis, non tenentur denuntiare: ita Authores, quos sequitur *Suar. disp. 20. sect. 4. à n. 18.*

366 Si autem delinquens fuerit propinquus; dicēdum est, esse obligationem denuntiandi, quando propinquus persuadere voluerit alteri, vt hæresim sectetur: tunc enim, moralitèr loquendo, nulla videtur esse spes emmendæ in illo. Tamē si propinquus non peccauit peccato hæresis, ita vt persuadeat illi, quòd hæresim sequatur, videtur posse esse locū correctionis fraternæ, & sic cessabitur obligatio denuntiandi propinquos, iuxta superius dicta, ex relatis Authoribus.

367 Quia tamen hæretici ferè semper intendant ex animo alios trahere ad suos errores, ferè semper videtur obligare denuntiationem facere, respectu cuiusvis propinqui: quamuis aliqui excipiant ab hac obligatione filiū, respectu patris, aut matris; ita *Abulensis super 13. Deuteronomij, q. 3. & Simancas tit. 29. num. 27.* Sed eos impugnat *Suarez* relatus cum communi sententia, in suo *num. 21.*

368 Tertio; si sit exceptio Iuris cessat obligatio denuntiādi. Circa quod, loquēdo de personis sæcularibus, & laicis, nulla de his fit exceptio in iure, sed omnes huic Tribunali subduntur, adhuc Imperatores: licèt cautè sit cedendum contra eos, & pius cōsulendus est Pontifex. Episcopi cōsecrati, Cardinales, & Officiales Sūmi Pontificis excipiuntur; quorum causæ in hæresim Summo Pontifici reseruatæ sunt. De Religiosis autē fuit exceptio iure, sed abrogata est per *Clementem VII. & Pium IV.* Sed inquires; quas pœnas incurrat, qui non denuntiauerit? Respondeo, incurrere excommunicationem, quę per edictum Sanctæ Inquisitionis solet poni lata, & ipsofacto; sitque suspectus de hæresi nō denuntians, & fautor hæreticorum, quamuis istud, rigidum esse, censeat *Suarez* in suo *n. 28. in fine.* Videantur alia de denuntiatione, apud *Dianæ Sum.*

Sum. verb. Denuntiatio. & in *Baſſeo eod. verſ.* & nos alia dicemus *Opuſcul. de Charitate.*

Sectio 5. *De pœnis ſpiritualibus, & corporalibus hæreticorum.*

369 SVb hac quinta Sectione plures continentur difficultates, quas noſtro more, diuerſis Subſectionibus reſoluemus.

Prima Subſectio. *Quænam ſit excõmunicatio impoſita contra hæreticos?*

370 LOquendo de pœnis ſpiritualibus. Dico primo: quòd hæretici ipſofacto ſunt excõmunicati. Ita omnes Catholici nemine dempto. Conſtatque ex *cap. 24. quæſt. 1. cap. ad abolendum cap. Excõmunicamus 1. & 2. de hæreticis, cap. Quicumque, eodẽ titul. in 6. cap. Nouerint de ſent. excõmunic. & in Bulla Cœnæ.* Videatur *Azor tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæſt. 1.* vbi notandum eſt, quòd *Sanct. Thom.* loquitur ex vi iuris antiqui, vbi excõmunicatio nõ erat reſeruata. Dico ſecundo; quòd iſta pœna, ſeu cenſura eſt lata iure Eccleſiaſtico: licet habeat fundamentum in iure diuino in *Epiſtol. 2. Ioannis*, illis verbis: *Nec aue illis dixeris.* Et ad *Romanos 16. Declinatè ab illis.* Et *1. ad Corinth. 5. Cum illis, nec cibũ ſumere.* Et *2. ad Theſalonicenſ. 3. Denunciamus vobis In nomine Domini Ieſu Chriſti, vt ſubſtrahatis vos ab omni fratre ambulante nõ ſecundum traditionem quam accepiſtis à nobis.* Et ſic poſſunt componi duę extremæ ſententiæ, quas refert *Suarez diſp. 21. ſect. 1.*

371 Dico tertio: quòd hæretici tantum externi, ſi nõ ſunt aliàs factores hæreticorum, non incurrunt iſtam cenſuram. Ita *Suarez ſect 2.* & omnes. *Hurtad. Sanchez*, quos ſequitur *Lugo diſp. 23. n. 7. & Baßæus, verbo hæreſi*, quidquid dixerit Caietanus cũ aliis ſine fundamento. Idem dicendũ eſt de hæreticis purè mẽtalibus, ex doctrina veriſsima omnium Theologorũ apud *Sãchez lib. 2. Decalog. cap. 8. num. 1. & 2. Suarez num. 4. & diſp. 4. de cenſurijs. ſect. 2 & lib. 4. de leg. cap. 12.* Sequitur *Lugo*, cum *Hurtado* in ſuo *num. 6.* quidquid dixerint aliqui Canoniſtæ, & Summiſtæ, & *Adrian.* Theologus, abſq; fundamento. Eccleſia enim, non iudicat de occultis, ſeu internis; nec præcipere directè poteſt, aut prohibere directè actus merè internos, vt ſatis deciſum eſt in *cap. Tua nos, cap. Sicut tuis de ſimonia, & cap. Erubeſcant, 32. diſtinct.* & nos diximus *tract. de Pœnitentia Sacramento: & tract. de legibus.*

372 Incurrrunt ergo, abſque dubio, iſtam excommunicationem hæretici veri, qui mente deliberata, & pertinaci hæreſim con-

conceperunt, & nulla ignorantia vincibili in confessione eius exterius protulerunt publicè. Ita omnes, nemine dempto, & in hoc nulla est apud Authores cõtrouersia.

373 Difficultas est de hæretico occulto per se, vel per accidens. Dicitur occultus per se, qui est hæreticus purè mentalis: dicitur per accidens, qui exterius hæresim protulit, ita quod à nemine audiatur. Et aliqui absolutè tenent hos hæreticos incurrere talem pœnam ipsofacto, vt refert *Suarez sect. 2. num. 2.* Alij per oppositum negant; sed non citatur, nec nominatur aliquis eorum Author. Nouissimè tamen citat *Lugo num. 9. Crousers. in Regulam Sancti Francisci, cap. 7. sect. 4.* pro ista opinione ex *Diana 6. part. tract. 6. resolut. 51.* Sed de hæretico purè mentali, iam dixi, secundùm omnium sententiam, quod non incurrit censuram, & existimo isto modo debere intelligi *Crousers.*

374 De hæretico autem externo per accidens occulto, ita quod à nemine audiatur adhuc à se ipso, quia est surdus, dicendum est incurrere ipsofacto talem censuram. Ita communis Theologorum sententia, quos referunt *Sanchez* citatus in suo *num. 6. Suarez*, & nouiter *Diana 4. part. & 5. part. tract. 13. resolut. 18. & Lugo tenet numer. 9.* Ratio huius est, quia talis hæresis est externa: ergo cum aliàs interna sit, habet quidquid requiritur, vt cadat sub Ecclesiæ iurisdictione, si aliàs cum pertinacia teneatur: ergo. Etenim, qui occultissimè homicidium committit, irregularitatem incurrit. Et qui omittit recitationem Officij Diuini occultissimè fructuum priuationẽ incurrit: ergo similiter in nostro casu. Videatur *Suarez disputat. 31. de censuris, sect. 1. numer. 67.*

375 Sed inquires. Vi cuius excõmunicationis tenemur vitare omnem hæreticum nobis notum? Et dico: quòd licet hæretici dicti ipsofacto incurrant hanc excommunicationem, nõ tenemur illos vitare, nisi sint in particulari, & nominatim denuntiati, ac declarati. Ita determinat nouum ius factum, in *Concilio Constantiensi in extrauganti ad euitanda scandala*: approbata *in Concilio Basiliensi*. Ita docent omnes Authores, vno dempto Soto apud Suarez relatum. Ex quibus sequitur, nunc non esse prohibitum, recipere Sacramenta ab hæretico, quamuis notorius, & publicus sit, si non est denuntiatus: per accidens verò, ratione scandali, vel quia alia incommoda sequuntur hoc non licebit, vt diximus *tractatu de Pœnitentia Sacramento*.

In-

376 Inquires. Est hæreticus externus, qui confessario suam internam præteritam hæresim manifestat, confitendo illam? Respondeo, quòd non. Et sic non incurrit censuram. Et idem dico de illo, qui gratia consilij, & remedij petendi, suam hæresim internam manifestat. Sed quid dicendum est de eo, qui notis sibi tantum cognitis hæresim scribit suam internam? *Sanchez numer.* 10. dicit, quòd non incurrit censuram. *Hurtado disput.* 83. *sect.* 3. §. 15. oppositum videtur tenere; sed quidquid dicant, & distinguant alij cum Lugo, sentio incurrere excommunicationem, propter supradictum fundamentum, à quo inconsequenter videntur discedere Authores oppositi.

377 Inquires; qui ex hæresi interna cum pertinacia concepta prodit in aliquem actum externum, vel aliquod signum, quod de se non significat completè hæresim internam, v. g. si quis concepta hæresi interna dicat exterius, *ita est*; incurret excommunicationem? Negat *Lugo* cum alijs *num.* 18. Sed meo videri non videtur consequenter loqui; nam iste talis internè, & externè est hæreticus; sed quia plures habent hanc sententiam improbanda non est. Vnde, si verbis æquiuocis internè hæresis proferatur dicunt aliqui, non sufficere ad incurrēdam censuram; alij tamen oppositum sentiunt, inter quos *Lugo à numer.* 21. & propterea videtur mihi non loqui consequenter, quia istius, & præcedentis casus, eadem videtur ratio, & paritas; sed Authores grauissimos in sua probabilitate relinquamus; non enim parum ad solacium deseruiunt in multis occasionibus: videatur *Hurtado disput.* 83. *à §.* 13. *& Palao tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 3.

378 Inquires. De hæresi interna, non per verba, sed per facta, quæ ex ipsa procedunt ostensa: & dico. Quando talia facta sunt, vt in his circunstantijs hæresim significent, constituunt hæreticum externum, & inferunt hanc censuram, si verè procedant ex interna hæresi, v. g. rebaptizare sine causa excusante. Dices: ergo fornicatio externa cōstituet hæreticum, & infert hanc censuram. Respondeo: si fornicans licitam internè putet simplicem fornicationem est verum; tamen frequenter ita non accidit. Videatur *Suarez numer.* 11. *& Sanchez numer.* 15.

379 Inquires. Quando signum externum internæ hæresis est leue, excusat à pœna cēsuræ? *Sanchez* videtur tenere affirmatiuam partem, non solum quan-

quando signum est leue ex paruitate materiæ, sed quando est leue ex indeliberatione. Idē videtur tenere *Suarez num.* 12. *& Sanchez n.* 7. *&* 17. & clarè *Granados tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 14. & non improbat *Diana* 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 240. Sed Hurtado nō leuibus fundamentis *disp.* 83. *à §.* 22 oppositum tenet; quia ad incursionem censuræ sufficit, quod hæresis interna sit peccatum mortale, quomodocumq; manifestetur exterius: & licèt *Eminentiss. Lugo à n.* 30. soluere connetur Hurtadi fundamenta, videtur non soluere.

380 Sed quid dices de illo, qui dormiens fatetur, & profitetur voce hæresim internam, quā habet? *Suarez num.* 12. *Sanchez n.* 24. *& Hurt. §.* 26. locis relatis cum alijs dicunt non incurrere censuram, & videtur conuenire in eandem sententiam Lugo; quia vox illa, non est naturalis voluntaria, & sic non est obiectū censuræ Ecclesiasticæ. Sed quid dices si in vigilia præuidit se in somno manifestaturū hæresim, quā occultauerat? Probabile cēsetBonacina *disp.* 2. *de censurijs, q.* 5. *punct.* 2. *n.* 7. cōtrahere censurā, sed oppositum dicunt omnes; & si dicas homicidium, in ebrietate, vel somno præuisum imputatur ad culpam, & ad pœnam: ergo. Respondet *Lugo num.* 33. quòd homicidium, pollatio, & similia præuisa in somno, vel ebrietate inferunt idem damnū, siuè fiant à dormiente, vel ebrio, siuè vigilante, vel sobrio; verba autem hæreticalia à dormiente prolata non retinent eandē turpitudinem, cum non sint verba humana, nec idem damnum inferunt. Sed contra; quia non minus tunc hæresis externa est voluntaria, quam homicidium, & pollutio in somnis, dum præuidentur; sed propter rationem illam voluntarij in causa homicidium, & pollutio sunt peccatū, & contrahunt pœnam: ergo similiter in nostro casu. Sed propter authoritatem Doctorum probabile videtur in isto casu censuram non contrahi.

381 Dices: ergo hæreticus internus, qui in hunc finem se inebriat, vel dormit, vt coram alijs proferat suam hæresim nō erit incursus in hac censura. Fatetur *Lugo num.* 34. & citat se *disput.* 8. *de Sacramentis in genere, sect.* 6. *à n.* 101. Ea ratione, quia licèt verba sint directè volita, & voluntaria, tamen non sunt humana, sicut in somno non est periurium, nec blasphemia. Sed totum hoc nō videtur mihi verum; nam nō benè componitur, quòd verba illa sint volita, & voluntaria, & quòd non sint humana. Hoc tamen nō obstante, non audeo improbare Eminentiss. Cardinalis opinionem.

382 Sed quid dices de hæretico interno, qui finxit se dormi-

mire, vel ebrium, vt suam hæresim proferat exterius? *Hurtad. disp. 83. §. 29.* videtur dicere istũ non contrahere censuram; in quo aliqualiter videtur conuenire Lugo, sed meo videri non videtur doctrina cõsequens, tamẽ, quia isti Doctores affirmant non est censendum improbabile, sed nescio quomodo ipsi improbent opinionem asserẽtem, quòd hæreticus occultus per accidens, non incurrit hanc censuram.

383 Dices. Proferens exterius propositionem de fide animo hæretico, quia putat illam esse contra fidem, incurrit hanc censuram? Negat *Lugo cum Sanchez cap. 8. num. 11.* Ille qui solũ dicit se habere animum relinquendi fidem posteà incurret hanc censuram? Negat *Sanchez num. 22.* & videtur sequi *Lugo num. 40.*

Secunda subsectio. *Quis possit absoluere ab hac censura?*

384 SVppono, quòd per Bullã Cœnæ est reseruata Summo Pontifici hæc censura: & ita ipsi soli est reseruata absolutio, nisi facultatem alijs commiserit absoluendi. Suppono etiam reseruationem hanc ita cadere supra excõmunicationẽ, quod etiam cadat supra ipsum peccatum: nam licèt peccatũ hoc non reseruetur quando aliquis non incurrit censuram, nam ratione censuræ reseruatur, tamen quãdo censura incurritur etiam ipsum peccatum reseruatum manet, vt docet *Sanchez cap. 8. numer. 5. & cap. 11. n. 1.* Vnde ablata reseruatione censuræ, vel ablata excommunicatione hæresis peccatum reseruatum, non manet ex vi huius Bullæ. Ita communis Theologorum sententia.

385 Controuersia, & disidium Authorũ est. Vtrùm Episcopi possint absoluere virtute, & vigore Concilij *Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformatione*, ab hac censura, & peccato? Nam pro vtraque parte sunt validissima fundamenta, & maxima grauissimorum Doctorum copia: nam pro parte negãte stant *Nauarrus in Summa Latina posteriori cap. 27. num. 275. ve s. 14.* dicens; ita declarasse *Pium V. & Grezorij XIII. Peña in direct. 3. part. q. 92. Comment. 141.* dicens; ita declarasse Generalem Inquisitionem Romæ, *Miolo, Tuschus, Angelus, Antonacius, Felicianus, Azor* dicens; esse declarationem Clementis VIII. *Paramus, Vivaldus, Molina, Filiarcus, Hugolinus, Suarez*, dicens esse declarationẽ Cardinalium: *Sanchez* citatus, qui refert supradictos *à num. 26.* Sequuntúrque *Villalobos, Rictius, Gracianus, Ricciulus, Barbosa, Ragutius, Santarelus, Belloquius, Nouarius, Syluius,*

Scorcia, Fauer, Homo bonus, Megala, Floronus, Torre-Blanca, Valerus, quos sequitur Diana 1. part. tract. de absolutione ab hæresi, resolut. 2. Farinacius, Bonacina, Marcus Antonius, dicens ita declarasse Gregor. XIII. & Clementē VIII. Sequitur Palao alios citans tract. 4. disput. 4. punct. 3. §. 1. numer. 22.

386 Hæc sententia validissimis nittitur fundamentis. Primo: quia vt referunt relati Doctores, ita declararunt Sūmi Pōtifices Pius V. Greg. XIII. Clem. VIII. & Sacra Cardinalium Cōgregatio: ergo oppositum huius sententiæ non est iam probabile. Secūdo: quia verba Bullę Cœnæ quot annis legitur, & publicatur, & sic habet: *Cæterū à prædictis sententijs, nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi destando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita absolui possit, etiam prætextu quarumbis facultatū, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumbis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs; nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decretas, verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.*

387 Tertio; & quòd maius videtur, & omnem probabilitatem auferre à contraria sententia, est; quia *Eminentissim. Lugo* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, affirmat *disp. 23. num. 46.* se non posse amplecti alteram opinionem huic oppositā; quia sibi moraliter certa est mens Pōtificis, & sensus Romanæ Curiæ, vbi omnes Pontificis Ministri, pro certo supponunt, singulis annis denuo eam facultatem Episcopis auferri, atque ea solum de causa, & propter illum finem addita esse in Bulla Cœnæ illa verba: *Per cuiusuis Concilij decreta*: sed nullum aliud Concilium, nisi Trident. relatum decreto concesit Episcopis illam facultatem absoluendi hæreticos: ergo manifestè illa facultas Tridentini derogata est; & sic oppolita sententia iam probabilitate caret, & prorsus videtur destituta fundamento.

388 Secunda verò sententia affirmat Episcopos, adhuc habere facultatem absoluendi ab hæresi. Ita *Nauarrus, Gutierrez, Enriquez, Bañez, Aragon, Sá, Viualdus, Emmanuel Rodriguez,*

Pe-

Petrus Ledesma, *Rutilius*, *Vega*, *Benzonius*, & alij apud *Sanchez cap.* 11. *num. vltim. in* 2. *lib. Decalogi.* Vbi ipse iudicat istam sententiam probabilem. Sequitur *Fagundez*, *Puteanus*, *Nuñus*, *Portel*, *Sousa*, *Lorca*, quos citat *Diana part.* 1. citatus. Sequitur *Dubalius*, *Texeda*, & alij in *Diana part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 339. & 5. *part. tract.* 13. *resolut.* 43. Iudicat probabilem *Suarez de censuris*, *disput.* 21. *sect.* 3. Sequitur *Granado*, *Crousers*, *Fagundez*, *Bassæus*, & alij plurimi, sed inter omnes mordicus illam defendit *Petrus Hurtado disput.* 84. *sect.* 2. *à §.* 11.

389 Fundamentum huius sententiæ sumitur primo ex *Concil. Tridentin. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*, cuius hæc sunt verba: *Liceat Episcopis, in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem, & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicarijs, sit permissum*: ergo expressè habent Episcopi facultatem absoluendi ab hæresi occulta vigore Concil. Tridentini.

390 Respondent Authores oppositæ sententiæ: hanc facultatem esse ablatam per Bullam Cœnæ, verbis in secundō fundamento relatis, & in primo, & in tertio fundamēto primæ sententiæ, & sic abrogatam esse Concilium Tridentinum in hac parte. Sed contra est: primo; quia ante Concilium Tridentinum singulis annis èvulgabatur eadem Bulla Cœnæ, cum eisdem verbis, quibus nunc promulgatur: ergo non est credibile Pium IV. qui approbauit decreta Concilij, statim eodem anno voluisse derogare per Bullam Cœnæ decreto Cōcilij Tridentini; quia hoc esset illudere Episcopis, quod præsumi non potest, nam cum eodem anno essent examinata decreta Tridentini, & approbata, ac toti Ecclesiæ commendata, statim sine noua causa reuocare, non potest à leuitate iudicij excusare; ne ergo hoc dicamus, dicendum erit, decretum Concilij in suo vigore manere. Secundo: quia, singulis sexennis, Cruciata conceditur de nouo: vbi datur facultas absoluendi (excepta hæresi) à casibus Bullæ Cœnæ semel in vita; & quamuis anno sequenti Bulla Cœnæ promulgetur cum clausulis

derogatorijs facultatem absoluendi à casibus reseruatis nihilominus non aufertur facultas Cruciatæ : ergo idem dicendum venit in præsenti casu. Tertio: quia in Bulla Cœnæ non est expressè derogatum decretum Tridentini, quia non fit mentio expressa talis decreti in derogatione Bullæ.

391 Respondet Lugo ad primũ huius argumenti; quòd Bulla Cœnę ante Tridentinum non promulgabatur cum illa clausula reuocatoria facultatũ concessarum; *in decretis cuiusuis Concilij*; sed fine illa nam *Pius IV.* & *Martinus V.* nõ apposuerunt illam clausulam; nec in Bullario inuenitur talis clausula ante *Gregorium XIII.* qui fuit post Tridentinum : vtpotè *Cherubinus*, qui Bullarium congessit, testatur talem clausulam Bullæ Cœnæ non esse appositam, nisi multo tempore post Tridentinum. Ad secundum de exemplo Bullæ Cruciatæ, respondet constare de mente Pontificis concedentis Cruciatam , qui benè scit se paulò post promulgaturum Bullam Cœnæ, & sic dum non additur in Bulla Cœnæ clausula noua expressè reuocans facultatem Cruciatæ, censetur perseuerare facultas Cruciatæ: at in Bulla Cœnæ videtur clausula expressa iam citata derogatoria decreti Tridentini, & per hoc respondere videtur ad tertium.

392 Secundum fundamentum sumitur pro hac sententia ex authoritate Cardinal. de Quiroga, Archiepiscopi Toletani, qui in Synodo Toletana, anno 1583. etiam cum ipse Inquisitor fuisset Generalis, declarauit non esse abrogatam Episcoporum facultatem hanc absoluendi ab hæresi occulta: & monuit Hispaniæ Episcopos, vt eorum Primas, de hac facultate in ipsis perseuerante. Ad hoc argumentum nõ inuenio quid Lugo respondeat, nisi dicat; quòd tunc temporis non erat apposita in Bulla Cœnæ illa clausula repetita derogatoria facultatum; videlicet; *in decretis cuiusuis Concilij*. Tamen hoc apertè nõ est verum, quia multo tempore post Tridentinum floruit Cardinalis de Quiroga Toletanus, tempore quo in Bulla ponebatur relata clausula.

393 Tertio: firmari potest hæc secunda opinio; quia Pius V. speciali Bulla concessit anno sexto sui Pontificatus, Generali , & Prouincialibus Ordinis Prædicatorum facultatem erga suos subditos , quam Concilij decretum tribuit Episcopis in foro conscientiæ pro casibus occultis , ne Religiosi peioris conditionis sint, quam sæculares. Sed ad hoc optimè respõdet

Lu-

Lugo, quòd hæc concessio, quæ habetur in Bulla Pij V. (non 13. vt dicit *Lugo in Roderico*, *sed* 14. & in *Cherubino* 132.) fuit ante constitutionem *Gregorij XIII.* 81. in *Cherubino*; & ante constitutionem *Pauli V.* quæ est in *Cherubino* 63. & ante constitutionem *Vrbani VIII.* quæ est 62. In quibus constitutionibus, & sequentibus Summorum Pontificum; apposita est illa clausula *in decretis cuiusuis Concilij*; & sic illa facultas *Pij V.* pro Ordine Prædicatorum cessauit, & consequenter vis argumenti præsentis.

394 Quarto firmari potest: quia Archiepiscopo Burgēsi Christophoro, vt dicit *Enriquez lib.* 6 *de Pœnitent. cap.* 14. *num.* 17. data fuit responsio per Sacram Congregationem, in qua dicebatur Episcopos posse absoluere ab hæresi occulta. Respondet Cardinal. Lugo, quòd talis decisio non inuenitur inter decisiones Congregationis manu scriptas, aut impressas. Præterea: quia si fuit talis decisio fuit ante Bullas Cœnę *Gregorij XIII.* vel *Pauli V.*

395 Ex quibus patet; primā sententiam, maiori probabilitatis pondere, fulciri. Sed quia video, his non obstantibus, Bassæū Capuzinum secundam absolutè defendere, licet non satis libratis vtrimque fundamentis: imò ipsum Cardinalē de Lugo video, illam omnino non improbare: quia dicit, quòd adhuc aliquibus probabilis videtur: ideò nec ego improbo, donec expressiori reuocatione à Sede Apostolica reuocetur, talis authoritas absoluendi ab hæresi occulta concessa Episcopis per Tridentinum.

396 Stando igitur; non esse improbabilem secundā relatam sententiam, sequitur primo dicendum. Episcopum titularem tantum, non habere hanc facultatem. Quia ille non habet subditos. Si tamen subditos habeat, & renuntiet titulo admissa renuntiatione, etiam caret hac facultate. Sequitur secundo: quòd vbi Concilium Tridentinum nō est receptum, Episcopi illius Prouinciæ, vel Regni, non habebunt facultatem absoluendi hæreticos occultos. Ita *Suarez*, & *Sanchez*; quia ita declarauit Sacra Congregatio. Secus videtur dicendum, vbi Concilium receptum est quoad alia, licèt non quoad aliquam legem; ita *Lugo num.* 54. *ex Sanchez*.

397 Sequitur tertio. Esse probabile, quòd Capitulum Sede vacante habeat hanc facultatem. Ita *Sanchez numer.* 4. & *Hurtado* § 40. Sed oppositum est verius: ita *Suar. tom.* 4. in tertiam partem *disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 2. *Castro Palao*, & alij, quos ipse refert, & *Lugo n.* 55. Quia expressè dicit Concilium: *Non eorū Vicarijs sit permissum, sed eis tantum,*

scilicet Episcopis. Præterea; quia facultas est ad absoluendum de hæresi occulta, quod si absolueret Capitulū. iam occulta nō esset. Præterea; quia totum Capitulum non potest absoluere.

398 Sequitur quarto. Vicarium Episcopi non posse absoluere ab hæresi occulta. Et quamuis *Nauarrus, Corduba, Azor, Enriquez, Emmanuel, Vega, Sa, Sanchez num. 23. & Hur ad. §. 37.* defendant Episcopum posse alicui committere hanc facultatē absoluēdi ab hæresi: tamen, verior sententia negat cum *Ledesma, Molina, Simancas, Lorca, Suario disput. 21. sect. 4. num. 8. Castro Palao, & Eminentiss. Lugo num. 79.* quia verba Tridentini sunt expressa, negantia talem facultatem: dicit enim, in hæresis crimine in eodē foro conscientiæ, eis tantum, non verò Vicarijs sit permissum.

399 Sequitur quinto. Archiepiscopum posse vti hac facultate, intra Diœceses Episcoporum suæ Prouinciæ, dum visitat tales Diœceses suorū suffraneorū, causa sufficienti, approbata in Concilio Prouinciali. Ita *Lugo, ex Suarez Sanchez, Barbosa*, & alijs, *ex cap. finali de censibus in 6.* Quia tunc censentur Diœceses Archiepiscopi. Extra visitam autem, etiam affirmat *Sanchez 4. in Decalogum, cap 38 num. 16. & Hurtad. §. 47.* sed oppositū est verius, vt inquit *Lugo n. 61.*

400 Sequitur sexto. Episcopum posse vti hac facultate extra Sacramentum Pœnitentiæ. Ita communis sententia Authorum apud *Lugo numer. 64.* licèt *Barbosa*, & alij oppositum teneant; ex quibusdā declarationibus Congregationis Cardinalium, quas citat, & soluit *Lugo à num. 65.* Sequitur septimo: quod Abbates, qui appellari solent nullius Diœcesis, nō habent facultatem istam absoluendi. Ita *Suarez disput. 30. de Pœnitentia, sect. 2. num. 6. & de censuris, disp. 41. sect. 2. num. 7.* & inclinat *Sanchez*, & sequitur *Lugo num. 57.* cum alijs à se relatis. Quia ita respondit Congregatio Cardinalium. Sed oppositum tenent *Sānchez, Palao.* Quia tales Abbates cēsentur Episcopi erga suos subditos.

401 Sequitur octauo. Episcopū habentē Abbatiā exemptam in Diœcesi alterius Episcopi, non posse absoluere subditos illius Abbatiæ ab hæresi occulta. Ita *Hurtado, & Lugo*; sed non consequenter: quia si Abbates habent illam authoritatem, quare Episcopus Abbas caret illa authoritate? Dicit Lugo subditos horum Abbatum posse recurrere ad Episcopos, vbi est talis Abbatia pro absolutione ab hæresi occulta; citatque *Suarium, Sanchez, Auila, & Hurtado*, & notat hoc debere fieri petendo licentiam ab Abbate, &

alio

alio modo inquit posse fieri, si Episcopus absoluat illum subditum Abbatis Abbatię intra Diœcesim Episcopi extra Sacramentum à censura, & postea Abbas poterit absoluere à peccato hæresis, tunc non reseruato ablata reseruatione censuræ; sed hæc nō videntur satis consequenter dicta.

402 Sequitur nono. Cardinales in suis titulis non habere facultatem absoluendi ab hæresi occulta. Ita *Lugo n.* 60. quia Cardinales non habent propriā Diœcesim; & sic non gaudent facultate decreti Concilij Tridentini. Oppositum tamen tenere videtur *Diana 5. part. tract. 2. resolut. 59.* & *Moneta* dicit defendi posse, apud Lugo; & referuntur aliquæ declarationes Cardinalium; & quia Cardinales habent iurisdictionem, quasi Episcopalem.

403 Sequitur decimo. Quòd vagis qui nullibi habent domicilium possunt absolui à quocumque Episcopo. Quia quilibet Episcopus, vbi isti sunt, est eius Episcopus. Idem dicendum erit de habenti duplex domicilium ferè æquale in duplici Diœcesi. Ita *Lugo num.* 62. cum *Suarez*, & *Sanchez*. Imò *Suarez*, *Sanchez*, *Barbosa*, *Bonacina*, *Palao*, *Garcia*, *Hurtado*, idem sentiunt de peregrinis, & aduenis, qui alibi habent domicilium, & ad breue tempus habitant in alieno Episcopatu. Quia isti omnes subditi sunt illius Episcopi, quamdiu ibi commorantur; & pro eo citat Lugo quādam declarationem Cardinalium; nam licèt aduenæ non subdantur quoad dispēsationem, nisi propriissimo Episcopo, benè tamen subduntur in prædicto casu quoad Sacramentum Pœnitentiæ, vt docet *Sanchez* cum alijs *lib. 2. Decalog. cap. 11. num. 9. & 3. de Matrimonio, disp. 23. à n. 12.* Idemque dicunt Doctores de Religiosis exemptis, si licentiam habeant suæ Religionis Prælatorum; quia tunc censentur subditi Episcoporum. Ita *Suarez de Pœnitentia disp 30. sect. 2. num. 3. Hurtado* §. 48. *Sanchez cap. 11. num. 10. & Lugo numer. 62.*

404 Sequitur vndecimo. Posse Episcopos extra Sacramentum vti hac facultate in absentia absoluendo solum à censura subditum absentem, sed intra terminos Diœcesis. Ita *Lugo n. 76.* ex *Suario*, *Manuele*, *Ledesma*, *Enriquez*, *Sanchez num. 14.* & *Hurtado*. Si autem Episcopus sit in Diœcesi, & subditus extra illam, vel ècontra; quid dicendum est? Nam quidam dicunt, tam subditū, quam Episcopum debere esse intra propriā Diœcesim. Quia dicit Tridentinum: *Liceat Episcopis, &c. quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua absoluere*: ergo extra Diœcesim non licet. Sed hæc sententia reijcitur; quia illa

verba Tridentini habent alium sensum, & sic non debent limitari, vt significent, quòd tã Episcopus, quàm subditus debeant esse intra Diœcesim. Ita *Sanchez num.* 15. *Suarez*, *Hurtado*, & *Lugo n.* 68. Quare secunda sententia dicit: non exigi alicuius præsentia in Diœcesi. Ita *Sanchez num.* 17. *Ledesma*, *Hurtado* §. 49. Nam verba illa Tridentini: *In sua Diœcesi*, est idē, *Ac erga subditos suæ Diœcesis*. Sed ex hac explicatione sequeretur, quòd Episcopus non posset absoluere subditum alterius Episcopi, cōmorantem in Diœcesi Episcopi. Alij verò explicant, *ly in sua Diœcesi*, non strictè, sed quomodocūque sint, vel pertinere possint ad suam Diœcesim. Ita *Sanchez*, & *Hurtado*.

405 Tertia sententia dicit. Quòd si Episcopus sit in sua Diœcesi potest absoluere subditum absentem. Quia hoc modo saluatur particula Tridentini. Ita *Palac.* apud *Lugum*, *num.* 70. Sed *Card. in l. s de Lugo* tenet, Episcopum non posse absoluere subditum absentem à Diœcesi. Sed non videtur consequenter dictum hoc in *num. suo* 73. cum dicto *num.* 67. Nos autem nullam istarum sententiarum improbamus.

406 Sed inquires. Quid intelligatur per crimen hæresis occultum, pro quo solum data fuit illa facultas in Tridentino? Nam videri poterit alicui, quòd hæresis occulta sit illa, quæ secundùm terminos Iuris probari non possit, vt loquendo de alijs criminibus sentiunt *Graphius* 2. *Conciliorum*, *titul. de homicidio*, *consilio* 2. *num.* 20. & alij, quos citat *Barbesa*, qui in *collectanea Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *num.* 26. *folio mihi* 299. dicit, quamuis loquendo de potestate dispensandi, occultum esse illud, quod non est apud omnes notorium; quamuis sint aliqui testes, & non sit divulgatum, & quòd possit aliqua tergiuersatione celari. Ita dicunt innumeri Authores, quos citat *Barbosa*, qui *num.* 52. dicit hæresim occultam esse hæresim non deductam ad forum contentiosum. Sed dicēdum à nobis est, hęresim occultā solum intelligi in præsenti casu, hæresim interius conceptam, & exterius ab hæretico prolatam, ita quod ipse solus hęreticus audiat, & nullus alius. Ita etiam tenet *Barbosa num.* 49. *ex Manuele Rodriguez*, & ita debent intelligi omnes Authores, vt expressè notat *Eminentiss. Lugo* cum alijs; quia ita declararunt multa responsa Sacræ Congregationis supra dictum decretum Tridentini.

407 De Inquisitoribus non est minor difficultas quoad forum conscientię, nam iudicialiter pro foro externo habere facultatem ad absoluendos hæreti-

ticos certissimum est. Difficultas ergo est extra iudicialiter, an possint absoluere eos in foro cõscientiæ. Nam aliqui affirmant pro Inquisitoribus Hispaniæ, & alij vniuersaliter loquuntur. Ita *Diana 1. part. tract. de absolutione ab hæresi, resolut. 3. & 4. part. tractat. 8. resolut. 35.* qui plures citat, & probabilem censet *Sanchez 2. Decalogi, cap. 12.* & tenet nouissimè *Bassæus, & Villalobos.*

408 Sed secunda sententia negat, & solido fundamento, ita *Sanchez num. 3. Suarez disp. 21. sect. 4. n. 15. Garcia, Farinacius. Palao, Santarelus,* & multi alij in *Diana citato.* Primo: quia per Bullam Cœnæ omnino hæc facultas solo Pontifici reseruatur, & si Episcopis est ablata, quanto magis Inquisitoribus? Nec valet si dicat prima sententia, quòd *Clemens VII. anno 1530.* dedit facultatem Inquisitoribus: nam hoc falsum est; quia non concessit istam facultatem Põtifex, sed solum cõcessit hanc facultatem ad solos, & determinatos Religiosos ex Ordine Prædicatorum determinatè pro Prouincia Lõbardiæ; quæ facultas fuit tantum personalis. Pretereà: quia Bulla Cœnæ singulis annis publicatur, & ita hæc gratia euidenter est abrrogata. Prætereà: quia hæc facultas à Clemente concessa non est, omnino ad absoluendum omnino extra iudicialiter, ita quod sine aliqua forma Iudicij, & sine præsentia Notarij fiat. Prætereà; quia nimium probaret hoc, cum exinde sequeretur Vicarios, seu Cõmissarios Inquisitionis, posse absoluere ab hæresi occulta; quod nullus audebit dicere.

409 Et si dicas: te vidisse, vt inquit *Hurtado disput. 84. §. 53.* in Hispania Inquisitorem Supremum, semel vsum fuisse hac facultate absoluendi, non obstat inquam te vidisse; quia praxis, & vsus est in contrarium, cui standum est; & sic hæc sententia est tenenda, & amplectitur *Lugo n. 87.* referens pro eius firmitate declarationẽ Sacræ Congregationis, his verbis: *Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam nõ possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licèt hæc facultas à Cõcilio sit ipsis tradita.*

410 Ex quibus infertur; quòd singuli Inquisitores seorsim non possunt absoluere hæreticũ occultum pro foro conscientiæ. Ita *Hurtado* dicens; posse fieri solũ ab Inquisitore supremo, vel per se, vel per alium, cui Inquisitor commitat facultatem; sed *Sanchez num. 4.* dicit singulos seorsim posse. Sed hoc improbatum manet; aliàs etiam Commissarij possent. Notat *Hurtado*, quemlibet Inquisitorẽ posse absoluere ab hac censura, quãdo nomine Tribunalis visitat Prouinciã. Dices: ergo nõ Sacerdos poterit absoluere. Respõdebis, verũ esse lo-

loquendo de censura tantũ, quia est actus iurisdictionis, non verò loquendo de peccato; quia est actus ordinis.

411 Infertur secundo. Quòd Inquisitores non possunt committere alteri authoritatem absoluendi in foro conscientiæ ab hæresi occulta. Sed stãdo in præcitata opinione prima, quod nõ sit improbabilis, probabile etiã erit oppositum; & ita tenet *Sanchez num. 5.* Sed si hæreticus occultus petat absolutionem ab Inquisitore, in foro conscientiæ poterit Inquisitor negare? Respondetur posse. Quia poterit Inquisitor sequi opinionem probabiliorem supra relatam negãtem habere talem authoritatẽ. Sed si opinio prima est probabilis, cum confessor teneatur sequi opinionem probabilem pœnitentis, videtur quòd non solum poterit absoluere, sed quòd illicitè faciet, si non absoluat.

412 Sed quid dices: si hæreticus petat, & ostendat fictè pœnitentiam, & absoluatur ab Inquisitoribus, absolutio tunc erit valida, etiam si solum iudicialiter absoluatur? *Sà* dicit valere absolutionem, ita *verbo hæresis, num. 2.* Sed *Sanchez cap. 12. & Suarez de censuris, disp. 7. sect. 6. n. 12. & de fide disp. 21 sect. 4. num. 19.* cum multis alijs, quos sequitur Lugo oppositũ tenent: quia absolutio à cẽsura per fraudem extorta, nulla est, vt dicunt omnes. Notandum tamen est cum *Sanchez num. 9.* quòd si hæreticus tacuit aliquas hæreses, & absolutus est ab illis, quas confessus fuit, non manet absolutus à censuris contractis per hæreses, quas tacuit, sed à censuris cõtractis, per hæreses confessas.

413 Dices. Si hæreticus est negativus, & nunquam delictũ fateri voluit, cum tamen testibus conuictus sit vltimo supplicio curiæ sæculari traditus afficiendus; poterit à confessario, qui committatur eum, absolui? *Diana 1. part. tract. de absolutione hæresis, resolut. 8. & 5. part. tract. 3. resolut. 78.* nihil determinat; sed pro parte affirmatiua refert *Portel, & Hurtado disp. 86. sect. 2. à §. 29.* sed non benè. *Lugo* dicit *secundo tom. de iustitia, disput. 40. sect. 1. num. 19.* non esse absoluendum; & citat *Sanchez, & Suarez.* Ea ratione; quia de istis semper est præsumendum, quòd eorum pœnitentia, adhuc in illo actu Sacramentali, est ficta. Vnde istis hæreticis negatiuis nullo modo permittitur dari Sacramenta; quia Ecclesia censet illum impœnitentem, & indispositũ ad Sacramenta Prætereà: quia est causa scandali, dũ testibus fidedignis conuictus negat hæresim, & sic cẽsetur in hæresi perseuerare. Prætereà: quia in præsenti casu sunt Inquisitores, in quorum præsentia non habet authoritatẽ ille confessor.

Ego

414 Ego verò in primis existimo. Quòd si confessarius, quicumque ille sit, etiam simplex Sacerdos, cognoscat per confessionem, vel aliàs illum reum esse innocentem, poterit illum absoluere, in quo omnes conueniunt. Si verò iste reus verè hæreticus fuerit, sed tamen pœnitentia interna pœniteat, & conteratur existimans habere ius tuendi suã famam, videtur quòd sententia Laurentij de Portel nõ sit improbabilis. Quod autem sit in præsentia Inquisitorum, illam non improbat: quia satis probabile est apud multos, posse simplicem Sacerdotem absoluere moribundũ ab omnibus peccatis, etiam in præsentia proprij Parochi, Prælati, vel superioris. Si autem iste talis reus in hæresi permaneat; tunc verisimum est non posse absolui ab aliquo.

415 De tempore Iubilei, & de Bulla Cruciata est etiam controuersia inter Doctores, non de facto, quia iam cessauit tota difficultas, cum tam in Bulla Cruciatæ, quàm in Iubileis, semper excipitur hæresis. Difficultas est; si Bulla Cruciatæ veniret sine tali exceptione, & similiter si Iubileum concederetur cum facultate absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ contentis, non opposita clausula exceptionis de hæresi; tunc per Bullam, vel per Iubileum, quilibet Cõfessor approbatus posset absoluere ab hæresi? Pro vtraque parte sunt opiniones probabiles. Prima affirmatiua ex *Soto, Corduba, Reginaldo, Farinacio, Lorca, Peña, Fechilla, Palao, Fagundez, Molfesio, Alphonso Leon, Peirino, Suario*, & alijs in *Diana 1. part. tract. de absolutione hæresis, resol. 1.* Quia vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus; maximè, in fauorabilibus, quæ sunt ampliandæ, non verò restringẽdæ. Præterea; quia in tali casu cũ fundamento debebatur præsumi mentem esse Pontificis, cum singulis annis consuetum sit apponere exceptionem: ergo si nunc non apponeret præsumi debet voluntate Pontificis esse ablatam.

416 Secunda verò sententia magis communis negat, ita multi, quos citat *Lugo num. 101. & Diana* citatus. Quia in concessione generali non veniunt intelligenda, ea quæ Princeps non concessurus esset, si specialiter non proponerentur, sed talis est absolutio ab hæresi: ergo si Bulla Cruciata, & Iubileum promulgarentur absque tali exceptione, per hoc, non debet intelligi concessam esse facultatẽ absoluendi ab hæresi. Sed hoc fundamentum non videtur firmum; quia fundamentum primæ sententiæ preponderat. Etenim eo ipso, quod semper apponitur more solito exceptio hæ-

hæresis, si aliquando omittatur in pœnitentis fauorē debet explicari, & melior est conditio possidentis, & sic nō videtur hęresis peccatum, tunc manere reseruatum.

417 Sed quid dicendum est de Prælatis Regularibus, posita probabilitate opinionum, quod per Bullam Cœnæ non est derogatū decretum Tridentini, per quod Episcopis conceditur facultas absoluendi ab hæresi occulta, & similiter Inquisitoribus: poterunt ne, prædicti Regulares Prælati absoluere suos subditos ab hæresi occulta? Videtur dicendū quòd sic; ex priuilegio Pij V. quod generale est, & non improbant *Sanchez de Matrimonio, lib. 8. disput. 2. num. 3. & Suarez de Religione, tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. num. 11. & Coriolan. de cas. reser. part. 1. sect. 1. art. 23.* & sequitur *Basseus, verbo hæresi, fol. 407.* Imò *Crouserf.* dicit ex dicta concessione Pij V. Prælatos Regulares posse absoluere subditos in foro externo ab hæresi, & sequitur *Basseus*; qui plus ausus est dicere *f l.* mihi 408. Quod si probabile est per publicationem Bullæ Cœnæ non derogari priuilegijs Mendicantiū, vt docent *Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 9. Suarez tom. 4. de Religione, art. 10. lib. 9. cap. 20. num. 18. & Diana 1. part. tract. 5. resolut. 6.* & alij, possunt Religiosi Mendicantes, approbati ab Ordinario, absoluere sæculares à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ, etiam ab hæresi occulta. Probatque ex concessione *Vrbani IV. in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verb. absolutio, numer. 19. & in quæst. 61. Roderici, art. 3.* & ex concessione Sixti IV. facta Ordini Minorum, vt in relato compendio *num. 20.* Vnde resoluit Basseus, quòd casus Bullæ Cœnæ occulti iam non sunt Papales, sed Episcopales; pro quo refert *Sanchez, Dianam part. 1. tract. 11. resol. 28. & 3 part. tractat. 2. resol. 13. & 4. part. tract. 4. resolut. 239.* & citat declarationem Cardinalium, *anno 1629.* factam 18. *Iulij*, in fauorem huius resolutionis. Vnde secundū hanc sententiam, hæresis occulta iam reseruata non est.

418 In articulo autē mortis indubitata res est, quòd quilibet Sacerdos, etiam nō approbatus, potest absoluere ab hæresi. Et est satis probabile hoc, siuè in præsentia confessoris approbati, siuè in præsentia superioris, cui hæresis reseruatur. Ita *Nauarrus, Rodriguez, Sà, Enriquez, Vega, Coriolanus 1. part. sect. 2. art. 26. num. 7. Crouserf. in Regulam Sāct. Francisci, ad cap. 7. lect. 23. & Diana 1. part. tract. 5. resolut. 5. & 4. part. tract. 4. resol. 161. & 5. part. tract. 3. resolut. 65.* Quia in articulo mortis nulla est reseruatio. Præterquamquod ex contextu Bullæ Cœnæ clarè cōstat:

stat: & ius diuinum tunc temporis omnibus Sacerdotibus æqualem præstat iurisdictionem: videatur *Bassæus, verbo hæresis, fol.* 408.

419 Sed inquires. Quid dicendum sit, si in articulo mortis hæreticus non habet alium Sacerdotem, nisi etiam hæreticū, poterit ne, & debet illi suam hæresim confiteri? *Hurtado* dicit *disp. 84. §. 141.* quòd si hæresis confitenda est eadem, quam tenet confessarius non est obligatio eam confitendi; sed alia peccata diuersa si sint. Imò plus dicit; quòd etiam si hæresis sit diuersa ab ea, qua confessarius inficitur non est confitenda, nisi materialiter. Sed merito hanc doctrinam, vt difficilem expellit *Lugo num.* 107. Dicendum ergo est: tunc non excusari à confessione hæresis, & sic ille hæreticus in articulo mortis constitutus tenebitur confiteri confessario hæretico, siuè eadem hæresi, siuè diuersa laboret. Ita *Eminentiss. Lugo num.* 108. Quia error priuatus confessarij circa grauitatem peccati pœnitentis, aut circa malitiam eius, non nocet valori absolutionis ritè prolatæ. Nam sensus absolutionis, & Sacramenti Pœnitentiæ: *Ego te absoluo à peccatis*, non debet intelligi, *quæ iudicauit esse peccata*; sed ita intelligitur: *Ego te absoluo à peccatis, quæ mihi confessus es.*

420 Quæres. Deficiente Sacerdote, poterit laicus absoluere moribundum, nō à peccato, sed à censura? Aliqui absolutè affirmant, vt *Enriquez, & Suarez*, refert alios *tom. de censuris, disput. 7. sect. 6. num. 4.* & alios refert *Sanchez 2. in Decalogum, cap. 13. num. 13.* & alios *Diana 3. part. tract. 4. resolut. 133. & 5. part. tractat. 3. resolut. 77.* Sed Suarez, & Sāchez relati negant; cum alijs, quos sequitur *Villalobos 3. part. citata, Dianæ, & Lugo num. 111.* Quia nullibi inuenitur talis facultas concessa, imò vsus est in contrarium, & *Trident. sess. 14. cap. 7.* dicit: *Ne occasione reseruationis aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis*: atque *ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere possunt.* Sed certè nō conuincit totum hoc, nam Tridentinum intelligitur de absolutione Sacramentali, per quod non aufertur potestas iurisdictionis requisita ad absoluendum à censura, tunc temporis in laicis.

421 Præterquamquod *Lugo num.* 113. admittit sententiam primam respectu Iudicis Ecclesiastici non Sacerdotis: eo quod habeat iurisdictionem excommunicandi, & absoluendi: ergo si non est difficultas in eo quod laicus proferat sententiam excommunicationis, & absoluat à tali excommunicatione;

cur

cur præsumendum est de Ecclesia, tunc temporis nō velle moribundum absolui à censura per laicum, cum Ecclesia id facere potest, & totis visceribus salutem animarum procurat, & desiderat: ergo videtur probabilior prima opinio.

Tertia Subsectio. *De alijs spiritualibus pœnis hæreticorum.*

422 ALias spirituales pœnas incurrunt hæretici. Prima est; quòd non sepeliatur in loco Sacro, sed hoc intelligitur de illo, qui notoriè hæreticus obijt; ita quod nulla tergiuersatione zelari possit. Videatur *Palao tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 4.

423 Irregularitas est altera pœna. Circa quam dicendum est: probabile esse, illam, non incurrere hæreticū occultum. Ita *Petrus Cornexo*, & multi alij in *Diana* 4. *part. tract.* 2. *resolut.* 46. & *à resol.* 44. *ad* 50. qui alios citat; sequitur *Hurt. disp.* 87. *sect.* 1. §. 10. oppositum tamen tenet *Sanchez Suarez*, *Coninch*, & alij in *Dina* 1. *part. tract. de Bulla, resolut.* 114. & sequitur ipse *Diana*, sed mihi placet cum *Lugo num.* 120. probabilitas primę opinionis; quia argumenta opinionis contrariæ, non habent difficilem solutionem. Videantur in *Lugo à num.* 121.

424 Circa infamiam autem est valdè probabile, illam non incurrere ante sententiam declaratoriam criminis. Ita *Sanchez lib.* 2. *Decalogi*, *cap.* 26. *numer.* 1. cum Farinacio; & sequitur *Hurt. disp.* 87. *sect.* 4. *Palao numer.* 4. Oppositum tamen tenet *Suarez sect.* 5. *num* 4. & *de censuris disput.* 8. *sect.* 1. *à num.* 16. Sed primam sententiam iudico veram de hæresi occulta externa, & secundam de hæresi notoria notorietate facti, & publica ante sententiam Iudicis. Quia infamia in notitia aliorum consistit. Ita etiam videtur sentire *Lugo num.* suo 137.

425 Circa priuationem officij, quæ est altera pœna. Certum est ipsofacto incurri, quantum ad vsum; non verò quantum ad substantiam potestatis. Quia ordinis potestas est indelebilis: & sic licèt illicitè exerceatur talis potestas, validi tamen erunt actus, non solum quibus conficiuntur Sacramenta, sed etiam Sacramentalia. Quoad priuationem autem iurisdictionis: dicendum est non incurri absolutè, nisi post Iudicis sententiam, id est quoad vsque sit nominatim, & particularitèr denuntiatus, & declaratus hæreticus: & ita dum non sit denuntiatus hæreticus, etiam si sit publicus, validum Sacramentum Pœnitentiæ conficiet. Idēque est de quolibet alia sententia, vt dicitur *tract. de excommunicatione.*

Quan-

426 Quantum ad priuationem beneficij, quę est altera pœna hæreticorum. *Sanchez lib. 2. cap. 26. Suarez tom. 5. disp. 43. sect. 1. num. 4.* qui alios citant, dicunt ipsofacto incurri. Sed oppositam sententiam docet *N. Castro 2. de punitione hæreticorum, cap. 9. Simancas, Vazq. 1. 2. disput. 172. cap. 2. n. 11.* qui alios citant: & sequitur *Diana* relatus *resolut. 79.* cũ *Cornexo*. Qui plus affirmant; scilicet beneficij collationẽ factam irregulari esse validam ante Iudicis sententiã, quanto magis loquendo de beneficio collato ante irregularitatem. Imò Sanchez cum multis alijs tenet, quòd tuta conscientia potest hæreticus retinere beneficium ante latam sententiam: ergo non eo ipso priuatur: quia sunt opposita cõtradictoriè ipsofacto priuari beneficio, & tuta conscientia posse retineri.

Quarta Subsectio. *De pœnis temporalibus hæreticorum.*

427 Certum primo est: incurri pœnas confiscationis omnium bonorũ, quæ sint propria ipsius delinquentis. Et hæc pœna ipsofacto incurritur, vt cũ *Vazquez 1. 2. disput. 170. num. 9. & Sanchez cap. 8. & 26.* atque alijs tenet *Suarez disp. 22. sect. 1. num. 4.* contra *Sotum, & Nauarrum. Ex l. Manichæos Aut. Gazaros, Codic. de hæret. l. quisquis, l. vltim. Codic. ad leg. Iulian. & l. vltim. Cod. de bonorum præscript. cap. vergẽdi hæresi, cap. Cũ secũdum leges eod. tit. in 6.* Quòd intelligendum est de hæresi externa, non verò de purè mentali.

428 Cæterũ cum hoc stat; quòd hæreticus iustè possideat, & retineat dona sua, quamdiu per Iudicis sententiam, non est condemnatus. Quia non tenetur in conscientia se expoliari, & priuari illis, etiam si hæresis sit publica. Ita *Suarez sect. 2. num. 3.* cum communi, & omnium sententia. Quia confiscationis pœna, est quid diuersum à priuatione dominij. Confiscationis enim pœna, nihil aliud est, quam incurri titulum, vt iustè priuetur à Iudice bonis temporalibus, & reponantur in fisco, & sacco publico, siuè ærario, aut thesauro Iurium regalium.

429 Vnde ex hoc fundamento sequitur; quòd hæreticus validè possit alienare sua bona, & licitè facere contractus emptionis, & venditionis. Ita *Suarez sect. 4.* cum multis alijs: licèt *num. 5.* dicat, huiusmodi alienationes esse caducas: quia, post latam sententiam, possunt à fisco retractari, & contractus rescindi. Qualiter autem rescindendi sint? Dicant Canonistæ, & Iuris periti; quia ad eos, magis propriè, ista materia de cõfiscatione, spectat.

Bre-

430 Breuissimè verò dicimus. Quòd si alienatio fuit liberalis, potest fiscus auferre vtendo rigore iustitiæ, nihil dando possidenti. Si verò alienatio sit onerosa, & per contractum debet restitui emptori illud in quo res hæretici vendita est, si emptor priuetur re vendita; si verò inter bona hæretici non sit formaliter, vel æquialenter precium rei venditæ, potest fiscus recuperare bona vendita, nullo restituto precio, inquiunt Canonistæ; eo quod cum tali onere transierunt in dominium emptoris. Ita ponit *Suarez disput. 22.* sed non videntur valdè conuenientia, & consequentia.

431 Quare *Castro lib. 2. de punit. hæreticorum, cap. 6. & lib. 2. de lege pœnali, cap. 8. & 9. Panormitanus, Felinus, Antonius Gomez, Medina, Soto lib. 1. de iustitia, quæst. 6. art. 6. post quartam cõclusionem, Bartolus, Abbas, Corduba*, quos refert, & sequitur *Azor tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 2.* magis consequenter loquendo dicunt: quòd hæreticus internus, vel externus, nec licitè, nec validè, potest bona sua alienare, nisi ea quę ad sustentationem vitæ fuerint necessaria, etiam respectu suæ familiæ, & ad soluenda debita contracta ante crimen, quæ etiã fiscus tenetur soluere, ad suam suorumque valetudinem, vel ad funera, & ad defendendas proprias causas, & reparãda propria bona. Probantque isti Authores, ex elegantibus Iuris textibus satis claris: videantur, quia longum esset ea referre.

432 Dices: Ergo nec licitè, nec validè, hæresis crimine cõmisso poterit filias dotare. Respondet *Sanchez cap. 22. lib. 2. Decalogi à num. 54.* ita esse, & notat Lugo *disp. 25. num. 10.* Dices: ergo omnes contractus post sententiam possunt reuocari à fisco. Respondeo ita esse à die criminis, quia tunc retrotrahitur ex tunc dominium fisci. Dices: ergo si possessores bona hæretici post eius mortem præscripserint, non poterunt illa bona à fisco reuocari. Respondeo ita esse, si legitimè præscripserint. Ita *Sanchez num. 37.* tradens requisita ad legitimam præscriptionem; & sequitur *Lugo* citatus.

433 Quæres. Confiscationis pœna habet locum circa bona futura post peccatum commissum? Nam aliqui dicunt habere locum, etiam circa bona acquisita post sententiam. Sed alij dicunt; solum habere locum circa bona habita, tempore delicti, non verò circa futura ante sententiam. Videatur *Suarez disp. 21. sect. 1. num. 4. Sanchez cap. 14.* qui cum alijs, & ferè omnibus improbant primam sententiam, ex *cap. Filius, vers. Verum, de pœnis, lib. 6. l. Si mandauero, §. His cui, ff. mandati.*

Sed

Sed quid dices de bonis acquisitis medio tempore inter crimē, & sententiam? Respondetur, quod si crimen durauit toto illo tempore, pœna durat, & sic illa bona, subiacent confiscationi. Si tamen retractauerit crimen, dum non reincidat illa bona acquisita in medio illo tempore ante sententiam, non subiacent fisco. Dices: ergo si non retractauerit hæresim bona subiacent fisco. Respondet *Suarez* ita esse *num.* 14. & videtur consentire *Sanchez nu.* 11. dicens: quod in dubio, an perseueret hæresis, præsumitur perseuerare.

434 Dices: ergo bona, quæ habebat hæreticus tempore delicti, etiam si resipiscat subiacent fisco. Respondeo ita esse apud *Sanchez num.* 12. & *Suarez num.* 12. contra aliquos oppositum tenentes *Lugo* cum *Hurtad.* & alijs, vt *Sanchez*, & *Suarez* dicit in suo *num.* 3. quod in praxi est probabilius omnia bona, vsque ad sentētiam acquisita subiacere confiscationi: sed hoc non videtur mihi satis consequenter dictum, quidquid sit de probabilitate.

435 Inquires. Hæreticus ante sententiam Iudicis tenetur tradere fisco bona sua? Aliqui affirmant de hæretico occulto, alij de notorio. Tamen omnium sententia illas sententias improbat apud *Sanchez cap.* 22. & *Suarez sectio.* 2. Quia *ex cap. Cum secundum leges*: fiscus ante sententiam, non habet ius ad possidēda illa bona: imò si esset præceptum tradendi illa bona cum esset de iure humano modo impossibili, non obligaret; vt notat *Lugo num.* 6.

436 Dices: ergo hæreticus ante sententiam, verè non solum retinet possessionem, & administrationem suorum bonorum, sed etiam retinet verè dominium. Aliqui, dicunt, non retinere dominium. Alij, dicunt verè retinere dominium. Alij, dicunt retinere dominium in foro conscientiæ, & in foro iudiciali apud fiscum. Alij dominium naturale, dicunt esse in reo, & ciuile apud fiscum. Alij, dominium directum ponunt in fisco, & dominium vtile solum in reo. Alij, dominium directum ponunt in hæretico, sub conditione sententiæ futuræ, vt ea sequuta dominium transeat ad fiscum, cum retrotractione ad diem criminis, quoad omnes effectus. Ita *Lugo à n.* 7.

137 Ex quo sequitur alienationes factas ab hæretico suorum bonorum ante sententiam, non solum esse validas, sed licitas, vt contra aliquos tenet communis sententia, quam sequitur *Sanchez numer.* 59. & *Suarez num.* 4. Quia nulli præiudicat; nisi sit periculum hæresis detegendæ. Ita *Lugo num.* 12. ex *Sanchez*, & *Suario.*

438 Sed quid dicendum erit de fructibus, quos percipit possessor ille, in quem transtulit hæreticus bona sua? Communiter dicitur, quod si fructus extent, pertinent ad fiscum, deductis expensis, etiã si extent æquiualenter, scilicet quatenus possessor factus est locuplerior ex illis. Si autem fructus bona fide consumpti sint, & possessor, locupletior non est factus, non debet fiscus valorem exigere, nisi mala fide cõsumpserit, videatur *Suarez à n.* 11. *& Sãchez cap.* 23.

439 Inquires. Fiscus tenetur soluere creditoribus hæretici? Respondit sententia cõmunis affirmatiuè, loquendo de debitis contractis ab hæretico ante cõmissum crimen. Quia fiscus succedit tanquam hæres in bonis hæretici, & sic ad omnia debita ciuilia, & naturalia hæretici tenetur. Ita *Sanchez lib.* 2. *cap.* 22. *à num.* 74. Ex quo infertur creditores hæretici prius debere exigere à fisco, quam à fidei iussore hæretici. Tamen fiscus non tenetur vltra vires bonorum confiscatorum, etiam inuentario non facto. Quia fiscus non est propriissimè hæres, vt notat *Sanchez cap.* 22. *num.* 83. Dices: ergo reus eo ipso, post sententiam manet liber ab omnibus debitis. Respondeo ita esse. Vnde si bona confiscata sufficiebant ad solutionem creditorũ, fisco non soluente, reus non tenebitur soluere ex bonis acquisitis post sententiam.

440 Dices: ergo si beneficio Principis bona hæretici confiscata ipsi restituerentur, non teneretur hæreticus creditoribus suis restituere. Respondetur negando consequentiam; quia illa bona redibãt cũ omnibus obligationibus. Vnde si bonorum pars rederetur hæretico, fiscus, & hæreticus pro rata tenerentur ad solutionem debitorum. Ita *Sanchez à num.* 83.

441 Sed inquires. Quæ bona subiaceãt confiscationi? Respõdetur: quod omnia, & sola, quæ ipse hæreticus transferre potuisset in hæredem extraneum, si liberè testari posset de omnibus suis bonis. Vnde omnia bona, tam stabilia, quàm mobilia, iura, & actiones hæretici subiacẽt confiscationi. Ita *Sanchez* cum multis, quos refert *lib.* 2. *cap.* 14. *à num.* 3. *& Suarez disp.* 22. *sect.* 5. *ex cap. cum secundum leges de hæreticis in* 6. Excipiuntur tamẽ vsusfructus datus hæretico in vitam, cẽsus vitalicius, & alia huiusmodi, quæ non possunt transire in hæredem, quia extinguntur mortuo hæretico, vnde ipso viuente, transeunt etiã in fiscũ, quousque moriatur hæreticus.

442 Quæ hæretico debentur, sub conditione, transeunt in fiscum, adhuc conditione pendẽte? Respondet Lugo nõ transire in fiscum, si debita sint ex testamen-

mento, vel vltima voluntate: quia nō impleta conditione tēpore sententiæ, hæreticus nullū habet ius. Videatur *Sanchez cap. 14. num. 15.* Si autem illa debita sub cōditione procedant ex cōtractu, acquiruntur fisco; etiam si cōditio impleatur post sentētiam. Ita *Lugo num. 20.*

443 Dices. Fiscus tenetur ad ea, quæ hęreticus debet sub conditione nondum impleta, tempore sententiæ? Negant multi. Sed *Sanchez* cum alijs *à num. 23.* dicit, quod hæc debita transeūt ad fiscū. Limitat tamen hoc; ita vt locū non habeat, quādo reus debebat aliquid ex cōtractu sub cōditione potestatiua: quia cōditio potestatiua, non retrotrahitur, sed in ea respicitur tēpus conditionis impletæ, *ex lege qui valneū 9. & l. prior 11. in principio, ff. qui potiores in pignore.* Nam cum cōditio impleatur post delictū, non potest tunc hæreticus incipere obligari in præiudiciū fisci. Sed hoc nō placet Cardinali de Lugo, nisi quando cōditio potestatiua est depēdens à volūtate hęretici debitoris: secus quā do cōditio potestatiua depēdet à voluntate solius creditoris.

444 Dices. Alimēta hæretico relicta subiacēt fisco? Respōdet *Sanchez num. 42.* quod sic. Loquendo de illis, quæ debebātur ante sententiam, non verò de illis, quæ in futurum debentur. Et idē dicit *Lugo* de legato annuo, cū *Sanch. n. 46.* Dices. Hæreditas hæretico delata ante hæresim, vel post illā, sed nō addita tēpore sentētiæ, acquiritur fisco? Respondeo cum cōmuni sententia negatiuè. Ita *Sanchez nu. 48.* Dices: ergo hæreticus potest repudiare in præiudiciū fisci hæreditatē sibi delatam post delictū. Negant aliqui, sed *Sanch. nu. 53.* affirmat. Quia hoc non est alienare, sed non acquirere; & sic sine fraude potest hoc fieri licitè. Dices: ergo serui hæretici acquiruntur fisco? Respōdeo affirmatiuè de seruis infidelibus; idest non baptizatis, & negatiuè de seruis Christianis: isti enim sequuta cōdemnatione Domini, fiunt liberi retrotracta libertate ad diē criminis; ex *l. Manichæos 4. C. de hæreticis, cap. vlt. de hæreticis,* vt docet *Suarez disp. 22 sect. 5. n. 7. & Lugo num. 29. ex Hurt. disp. 85. sect. 3. & Sanch. num. 10.* Quod intellige si seruus sit domini ante hæresim: nam si post hæresim hæreticus acquirit, vel non acquirit, vel acquirit fisco. Ita *Sanch. num. 14.*

445 Quæres. Ius Patronatus, quod habebat hæreticus acquiritur fisco? Respodetur, nō appli cari fisco, sed extingui in fauorē Ecclesiæ, quę libera manet, exea parte, qua illud ius pertinebat ad hæreticum: de quo videndus est *Sanch. lib. 2. Decal. c. 19. à n. 2.*

446 Sed quid dices de pensione Ecclesiastica: subiacet ne

fisco? Respondet *Suarez*, quod non potest à iudice laico confiscari. Ita omnes. Iudex verò Ecclesiasticus, potest confiscare fructus iam decursos: secus verò fructus futuros; nam extinguitur pensio in fauorem soluentis. Quia in fauorem fidei pensio comprehenditur sub nomine beneficij. Ita *Suarez disp. 22. num. 6. ex Gigas de pensionibus, quæstio. 52. num. 4. & quæstio. 94. num. 7.* & tenet *Palao tractat. 4. disput. 5. punct. 5. num. 12.* difficilis videtur hæc resolutio *Cardinali de Lugo num. 31.* quia nomine beneficij non comprehenditur pensio, *ex Tridentin. sess. 25. cap. 14. & 15. de reformatione, ex Sixto V. constit. 30. & 31.* & est communis sententia apud *Filliucium tractat. 42. de pensionibus cap. 1. num. 8.* sed tandem non recedit Lugo à dicta sententia, propter stylum Curiæ, & Rotæ Romanæ. Vnde *Sanchez cap. 28. num. 36.* consequenter docet, quod filij hæreticorum, sicut amittunt beneficia, post patris condemnationem obtenta, ita, & pensiones.

447 Inquires. Si clericus inhæresim lauatur subiacent fisco bona Ecclesiæ? Respondeo, quod non. Quia prohibitum est in Clemētina secunda de hæreticis: vt exponit *Sanchez cap. 20. à num. 3.* Vnde bona acquisita à Clerico intuitu Ecclesiæ, & de quibus non potest testari communi iure, non pertinent ad fiscum, sed ad Ecclesias à quibus stipendia percepit. Ita decernitur in *cap. excommunicamus.* Videatur *Sanchez num. 24.* Dices; hoc intelligitur tam de beneficio simplici quàm de Curato? Respondeo; quod sic. Dices: quod consuetudo est, vt Clerici possint testari de illis bonis: ergo subiacent illa bona fisco. Respondeo affirmatiuè propter vsum.

448 Dices. Confiscatio extenditur ad bona, quæ sunt extra territorium Iudicis cōdemnatis hæreticum? Respondeo, quod sic: sed confiscationis sententia debet mandari executioni à Iudice illius territorij: de quo videatur *Sanchez cap. 20. num. 30.*

449 Inquires. Hæreticus potest condere testamentum? *Sanchez cap. 24. num. 3.* dicit: hæreticum posse facere testamentum, etiam post sententiam de bonis acquisitis post illam. Videatur; & multa alia, quæ, quia pertinent ad alios tractatus, hic omittimus.

450 Restat tamen hic vna difficultas. Vtrùm confiscationis pœna comprehendat Reges, & supremos Principes? & non est dubium de personis, & de bonis liberis earum, quæ diuidi solēt inter filios, & possunt ex se transire ad extraneos; quia certum est hæc omnia pertinere

ad

ad fiscū. Solū ergo est difficultas circa Regnū, aut Principatū. Et ratio dubitandi est: quia bona, quę cōfiscantur, cōfiscantur fisco Regio: ergo confiscatio non cadit in bona Regis, etiam si hęreticus sit. Secundo: quia Regnū computatur inter maioratus, & maioris priuilegij, ac immunitatis, quam omnia alia priuata primogenita: ergo est ab omni confiscatione exemptum, sicut alij maioratus, vt tenet *Castro, Molina, Vazquez 1.2.disp.169. cap.4. Farinacius*, & alij cum *Sauchez 2. Decalog. cap.18. & Azor.*

451 Circa quod *Castro cap. 7. Simancas, & Vazquez num. 42.* simpliciter affirmant: quod Regnum non dicitur confiscatum. Ratio est: quia adhuc post iudicis sententiam, Regnum nō applicatur fisco, sed traditur successori Catholico, vel si nullus sit successor, traditur alicui potenti Principi Catholico, per ad iudicationem Pontificis, vt tale Regnum debellet, & illud possideat: quod appellat *Suarez* probabile: quamuis ipse *sect. 6. num.9.* dicat: quod etiam Regnum confiscatur, licèt tandum sit successori Catholico. Sed hęc sententia meo videri non distinguitur à prima: & sic optimè resoluunt Castro, & Vazquez citati propter rationes supra tactas.

(?)

Quinta Subsectio. *De pœna capitali, & corporali hæreticorum?*

452 CIrca hoc primo videndum est: vtrùm omnes hæretici secundum Ecclesiæ leges pœna mortis afficiantur? & supponit hæc difficultas contra Donatistas, Vvicleph, Lutherum, & alios hæreticos, quod Ecclesia potest licitè, & iustè punire hęreticos mortis supplicio. Quia pœna est culpæ proportionata, sed Ecclesia habet potestatem, & iurisdictionē supra delinquentes crimine hæresis: ergo.

453 Antecedentis secunda pars satis probata relinquitur *in præsenti capite, sect. 3.* per totā. Prima autem pars probatur: quia in veteri Testamento *Deuteronomij 13.* præcipiebat Deus Prophetas falsos occidi: idem habetur *cap. 17. & 18. & 3. Regum 18. & 4. Regum 10. & 23.* Atque in nouo Testamento hęretici appellantur à Christo D. fures, & latrones, sed fures, & latrones sunt digni mortis pœna: item appellantur lupi rapaces. *Ioann. 10. Matth. 7. Lucæ 20.* ergo pœna mortis est proportionata hæresis crimini: ergo Ecclesia habēs iurisdictionē, & potestatē supra hæreticos, iustè potest illos tali pœna punire. Accedit per antiqua Ecclesiæ

consuetudo laudata in Sanctis Patribus, Concilijs, &c. Legantur *Rofensis art. 33. contra Lutherum. N. Castro de iusta hæreticorũ punit, lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 12. Cordub. Simancas, Bellarmin. lib. 3. de laicis cap. 21. & 22. & Valencia tract. de fide, disp. 1. q. 11. punct. 3.* & alij controuersistæ.

454 Et si hæretici obijciant. Christum Dominum solum docuisse, cauendum esse à falsis Prophetis, arcendosque esse lupos, nunquam verò dixit esse interimendos, quin potius gladio vti prohibuit Petro. Et confirmatur, quia *Matth. 13.* docuit zizaniam non esse eradicandã, ne simul eradicetur triticum: vbi zizaniæ nomine intelligũtur hæretici: ergo. Respondeo primo: quod in istis obiectionibus *Donatistæ, Vvicleph. Lutherus*, & eorũ sequaces fatentur se delinquentes, falsos Prophetas, lupos rapaces, fures, & latrones, & Ecclesiæ agri zizaniam; & consequenter hæreticos, & cõtrarios fidei Christi, & Ecclesiæ Catholicæ.

455 Secundo respondeo, quod est authoritas negatiua. Præterquamquod expresse in alio loco dicit: palmitem non manentem in ipso, tanquam in vite, esse abscindendum, & in ignem mittendum: & de arbore mala idem dicit *Ioann. 15. & Marci 7.* Ad illud de facto Petri, iam supra diximus. Ad illud de zizania, negatur, quod soli hæretici intelligantur, sed secundum Sanctos Patres nomine zizaniæ intelliguntur, quadam generalitate, peccatores, quos in Ecclesia Deus permittit, vel, vt corrigãtur, vel vt per ipsos boni exerceãtur, ex *Aug. in Ps. 54.*

456 Hoc supposito, & stabilito ad difficultatem respondetur: quod hæretici, qui post sufficientem Ecclesiæ admonitionem, & iudiciũ, in suo errore persistunt pertinaces, irremisibiliter sunt puniendi mortis supplicio. Ita omnes Authores apud *Suarez disp. 23 sect. 2. nu. 3.* Probãtque ex multis iuribus, & legibus ciuilibus, atque ex iure Canonico, *cap. ad abolẽdam, cap. excõmunicamus*, & alijs *de hæreticis*. Et ratio est clara. Quia isti sũt in summo gradu crimine hæresis delinquentes: ergo nõ est cur differatur punitio proportionata, scilicet pœna mortis: & consuetudo Ecclesiæ est pœna ignis.

457 Idem dicendum est de relapsis, etiam si se pœnitentes ostendant. Atque idem de impœnitentibus, etiam si se exterius, fideles profiteantur, cum de hæresi conuicti sint. De dogmatizantibus idem affirmat *Simancas*, & probat *in institution. tit. 47. à n. 54.* ex claris iuribus Diuinis, Canonicis, & Ciuilibus. Sed alij cum aliqua maiori lenitate sentiunt: videatur *Suarez num. 11. & 9.*

De

458 De hæretico autem non relapso, qui ante sententiam sponte conuertitur, & vere pœnitentem se ostendit, dicendum est, nõ esse pœna mortis damnandum, nec brachio sæculari tradendum, sicut reliqui; sed post abiurationem, & oblatam satisfactionem, est aliquali pœnitentia reconciliandus. Ita omnes Authores, quos videbis apud *Suarez disput. 23. sect. 2. à num. 13.*

459 Inquires. Poterit condonari pœna mortis si post latam sententiam, hæreticus conuertatur? Negant *Suarez num. 16. Palao tract. 4. disp. 6. punct. 2. num. 19.* & alij. *Hurtado* nimis rigidam censet hanc sentẽtiam *disp. 85. sect. 2. §. 21. ex cap. excommunicamus 2. titul. de hæreticis.* Sed Lugo dicit: quod si hæreticus resipiscat antequam sentẽtia legatur in publico foro, aut Ecclesia, & antequam reus tradatur curiæ sæculari, poterit condonari pœna mortis; secus in alio casu. Sed sentio obseruandas esse instructiones Inquisitionis Hispaniæ; de quo vide *Dianam 4. part. tract. 7. resol. 24.*

460 Inquires. Negatiui, qui de suo crimine testibus, & plenis probationibus planè sunt conuicti, plectuntur pœna mortis? Respondetur quod sic cum omnibus: quia censentur impœnitentes. Dices. Qui dixisset: *Ego nõ memini, me hæresim vnquã dixisse; si tamen sunt contra me testes: ego sto illorum testimonio, & omnẽ hæresim detestor*, est negatiuus? Negant *Hurtado* cum alijs, *disp. 86. sect. 2. §. 31.* & videtur ita esse dicendum: de quo videatur *Diana* citatus. Affirmant verò omnes, esse puniendum pœna mortis, qui fatetur aliquas hæreses, negat verò alias, de quibus est conuictus: ita *Lugo num. 44.* Idemque dicitur de confitente suas hæreses, sed negante complices; quia confessio est diminuta. Ita *Suarez num. 6.* Quamuis praxis Inquisitionis Hispaniæ sit in contrarium apud Authores in Diana relato. De illo, qui confessionem reuocat dicit *Palao* citatus in *num. 6.* præsumi impœnitentẽ, & sic pœna mortis plectendum. Sed *Lugo* hoc intelligit, si aliunde non sit cõuictus, nec crimen, nisi ex ipsius sola confessione, facta in tortura, constet. Tunc enim dicit illum reum: non esse vltimo supplicio afficiendum: quia tunc de suo crimine plena probatione non constat. De quo videatur *Diana 4. part. tract. 7. resol. 22.*

461 Inquires. Qui crimen externum confitetur, sed negat internam intentionem est puniendus, vt negativus pœna mortis? *Lugo* affirmat *num 48.* si conuictus sit de verbis hæreticalibus per testes: secus verò si solum constet de actibus illis externis hæreticalibus per solam

eius confessionē, Sed de varijs circa hoc sententijs videantur *Dian. resol. 34. & Pal. disp. 3. punct. 2. nu. 17.* & etiam *Lug. tom. 2. de iustitia disp. 37. sect. 12. n. 146.*

462 Hucusque egimus de hæreticis, abstrahendo à reincidētia; nunc inquires de hæreticis relapsis. Si isti spōtè compareāt, & se accusent plectendi sunt pœna mortis? Respondetur cum eis misericorditer esse agēdum. Ita *Pena*, & alij apud *Palaum disp. 6. punct. 2. n. 7.* ille autem, qui in primo lapsu spontè comparuit, & abiurauit, & in secundo lapsu deprehēditur per testes à iudice, damnandus est. Quod intelligitur, non de illo, qui ante pubertatē prima vice abiurauit, iuxta praxim Inquisitionis Hispaniæ.

463 Sed difficultas est, vtrùm dicatur relapsus, qui non in eandem primā hæresim, sed in aliā posteà incidit. Multi negāt apud *Suarez n. 8.* putantes hoc probabilius; quia *in cap. accusatus*, ponitur illa conditio, si posteà peccauit in ipsa. Sed alij oppositum tenent, satis probabiliter, & sequitur *Palao punct. 2. num. 13. & Hurtad. disp. 86. §. 24.* Quia omnes hæretici in vna, & eadem hæresi conueniunt. Præterquāquod hodie iam abiuratio est generalis omnium hæresum; & sic in quacumque posteà incidat, erit relapsus.

464 Si autem abiuratio nō sit generalis, sed tantum de prima hæresi, & posteà in aliam incidat distinctam, tunc non erit puniendus pœna relapsi, *ex cap. accusatus, §. Eum verò.* Vbi exigitur, vt quis dicatur relapsus, quod hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauerit. Ita *Lugo nu. 52.* Ex quo colligit, quod si aliquis vehementer suspectus de prima hæresi, non tamē probata, coactus sit abiurare, etiam abiuratione generali; si posteà incidat in diuersam hæresim, nō est puniendus, vt relapsus. Secūdo colligit, non esse relapsum, qui, post vnam hæresim, se ab illa purgauit, si nō abiurauit, etiam si posteà, in alteram hæresim incidat: tamē si relaueretur in eādem hæresim, sufficit quod præcesserit purgatio. Ita *Lugo* citatus cum *Palao.*

465 Quæres. Si hæresis prima vice, non fuit probata, & posteà incidit in eādē erit puniēdus, vt relapsus, etiā si prima vice abiurauerit propter vehementē suspicionem? Respondet Lugo, quod sic: quia iuris fictione, iudicatur relapsus, ex *cap. accusatus.* Secus sentit, si in diuersam hæresim incidat. Ita *num. 54. & num. 55.* dicit cum *Santarelo, Diana 4. part. tract. 8. resol. 30.* & alijs esse puniendū, vt relapsum, qui ob leuem suspicionem abiurauit, si posteà incidit in eamdem hæresim; quę planè probatur, & quod ante abiurationem de leui, lapsus fuerit. Probatque

ex

ex cap. accusatus, §. Ille quoque. Ex quo, qui post abiurationem recipit hæreticos, vel illis fauet, si constet de lapsu ante abiurationem, erit relapsus.

466 Inquires. Si quis propter suspicionem vehementē semel, & iterum abiuret est relapsus? Respondet Diana, quod non. *Ex declaratione Pij V.* citatus *resol.* 30. De his, & multis alijs casibus, videndus est *Diana 4. part. tract. 7. resol. 26.* vbi tenet, quod vehemens suspicio post abiurationē, non sufficit ad reddēdum relapsum. Cæterum alij oppositum tenent, & magis placet *Cardin. de Lugo à num. 59.* quia *Pius V. anno de 1567. in cap. accusatus*, sic habet *Ille quoque de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat: si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, siuè associet, aut dona, vel munera eis donet, vel mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit, etiam sine adoratione (vt verbis vestris vtamur) meritò debet iudicari relapsus: cum illum ex approbati, à se prius erroris consequentia, non sit dubium id fecisse.*

467 Dices: ergo erit relapsus, qui post abiuratam hæresim fauet damnato, non de hæresi, sed vt vehementer suspecto de hæresi? Respondet *Suarez disp. 24. sect. 5. num. 7.* negando consequentiam: quia iste non est fautor hæreticorum. Dices: ergo non incurret censuram. Respondet *Suarez disp. 21. de censuris, sect. 2. num. 14.* ita esse: & cōsentit *Lugo num. 63.*

468 Queres. Dogmatizantes, & hærenarchæ si pœnitentiam ostendant, sunt admittendi ad reconciliationem? Affirmant plures apud *Suarez sect. 2. disp. 23. num. 9.* sequitur *Palao disput. 6. punct. 2. num. 17.* cū alijs. Quia in iure Canonico non inuenitur vbi negetur reconciliatio talis. Imò oppositum habetur in *cap. ad abolendam, & cap. vt officium de hæreticis in 6.* & ex *Concilio Biterrensi, & Tarraconensi*, apud *Peñam in directorio 2. part. comment. 64.* & ex praxi Ecclesiæ, *in cap. ego Berengarius de consecratione dist. 2.* Sed alij dicunt tradendos esse curiæ sæculari, etiam si pœnitentiam ostendāt. Ita multi apud *Dianam part. 4. tract. 7. resol. 23.* & tenet *Hurtad. disp. 86. sect. 2. à §. 15.* cum *Suario sect. 2. num. 9.* Quia ita statutum est, *l. eum, qui seruum, C. de Apostatis, l. quicumque, C. de hæreticis, l. vltim. C. de Iudæis, l. 2. C. ne sacrum Baptisma.* Sunt enim dogmatistæ, & hæresiarchæ, plusquam hæretici, manifesti hostes Ecclesiæ, de quibus cum fundamento præsumitur nō habere veram pœnitentiam; & sic textus illi iuris Canonici pro prima sententia relati, non veniūt intelligēdi de istis hæreticis. Sed mea sentētia est, quā domini Inquisitores voluerint tenere.

Pro

469 Pro praxi tamen aliqua notant Doctores. Primo: quod si isti hæresiarchæ, & dogmatistæ, non plectantur mortis supplicio, plectendi tamen sunt grauissimis pœnitentijs: iuxta monitum Pontificis in dict. *cap. Vt officium*. Secundo, quod stricto carcere mancipentur in toto rigore perpetuo. Tertio: non esse credendos, nec condonandum eis, vltimum supplicium, quando non nisi morte iam instante, conuertuntur. Quarto: non esse in horum numero computandos parentes, qui filios suos familiam, vel socium, aut amicum hæresim docent; quia propter hoc non sunt propriè dogmatistæ, ac hæresiarchæ. Quinto: illum, qui preceptis, præmijs, minis, vel alijs exquisitis modis, alijs hæresim persuadere conatur, vel qui Principes, Reges, vel alios huiusmodi peruertere tentauit, nō esse, nisi in rarissimo casu ad reconciliationem admittendum. Ad hos reduci possunt hæretici mortui, quorum memoria, aliquando damnatur, & concremātur ossa, & statuæ, *ex lege Manichæos, §. 2. vers. In mortem, c. de hæreticis, & cap. accusatus, §. In eo verò, de hæreticis in. 6. cap. final 2. 4. quæst. 3. cap. si quis Episcopus extra de hæreticis.*

470 Sed ad hoc requiritur, vt constet decessisse in hæresi; quia non sufficit, vt probetur suspectus. Vnde nō est memoria eius damnanda si ante mortem signa contritionis exhibuit, etiam si iudicialiter non fuerit absolutus ob temporis angustias. De quo videatur *Palao* citatus *nu. 3.* suo, & *Diana* citatus *in resol. 28.*

471 Aliæ sunt pœnæ pro hæreticis, qui non traduntur curiæ sæculari, & sunt pœnitentes. Prima est pœna carceris, & hæc aliquando est perpetua, aliquando non est perpetua: & hæc potest abbreuiari, vel in aliam pœnam commutari, *ex cap. vt commissi, vers. Et illorum de hæreticis in 6.* Hæc tamen facultas solum est reseruata Inquisitori Generali ex priuilegio Apostolico: de quo videatur *Diana* citatus *4. part. tract. 7. resol. 28.* Commutatur autem talis pœna in trirremes ad tempus: si autem persona sit nobilis, vel grauis, potest detrudi ad tempus in aliquo Monasterio, vt dicit *Diana* ibi.

472 Notandum est: quod pœna carceris perpetua, hic non intelligitur vsque ad mortem; nisi sit irremissibiliter damnatus ad carcerem perpetuum; imò tunc transactis octo annis, & non minus, dispensari solet, vt notat *Palao* citatus *disput. 6. punct. 1. num. 4.* Nota etiam: quod in aliquibus casibus non possunt non Inquisitores tradere curiæ sæculari eos, qui pœnitētiam petunt. Hi sunt, Missam ce-

celebrantes, vel confessiones audientes sine Sacerdotio: negantes tres diuinas Personas, vel Diuinitatem Christi, vel conceptum de Spiritu Sancto, vel mortuum propter redemptionem nostram, vel Mariæ virginitatem, vt habetur in *Bulla Clementis VIII. anno 1603. edita 3. Februarij.*

473 Ille qui semper negauit, donec in tortura positus est confessus, & post viginti & quatuor horas ratificauit numeratur inter hæreticos pœnitentes ab *anno* 1561. vt refert *Diana resol.* 24. sed est dubium: an censeantur impœnitentes, & relapsi, & vt tales puniri debeāt, qui non implent pœnitentias ab Inquisitoribus impositas. Nā aliqui affirmant esse relapsos, & sic curiæ sæculari tradendos. Ita aliqui apud *Palaum punct. 3. & num. 3. & Dianam resol.* 14. sed communis, & vera sententia hoc negat: apud Dianam citatum, & Simancas vocat oppositam sententiam crudelem, & falsam: nam etiam si reus iuramento ad pœnitentiam implēdam se obligauerit, non ideò relapsus est existimandus. Quia licèt suspectus fiat de pœnitentia ficta: tamen præsumi potest non adimplere pœnitentiam ex tædio pœnitentiæ, vel ex affectu libertatis, vel ob quid simile.

Sexta Subsectio. *Vtrùm pœna hæreticorum redundet in eorum filios, & nepotes?*

474 QVamuis aliquæ pœnæ, maximè loquendo de confiscatione bonorum, antiquitus non redundabat in filios, nam antiquo tempore dabantur bona filijs Catholicis, saltim quoad legitimam, vt approbatum fuit in *Concil. Toletano 4. cap. 60.* relato *in cap. Iudæi 1. quæst. 4.* Tamen postea in totum applicata fuerunt fisco propter criminis attrocitatem. Nam damnum illud filiorum est per accidens; sicut esset si parens ludo, vel scortationibus, bona dissipasset; & sic accidit cum Parēte reo læsæ Maiestatis diuinę.

475 Dico ergo: quod præter pœnas, quæ ex pœnis parentum, quasi naturali sequela, redundant in filios, vt paupertatis, infamiæ, &c. incurrunt irregularitatem filij, & nepotes in secundo gradu per masculinam lineam. Videatur *Sanchez lib. 2. cap. 28.* licèt aliqui non sine fundamento, dubitauerint. Secundo: redduntur incapaces ad beneficia Ecclesiastica. Vtrùm autem eo ipso collatio sit nulla, vtrumque est probabile. Videatur *Simancas titul. 29. num. 18. & 20. & Sanchez* relatus. Tertio redduntur in capaces ad omnia officia publica, Ecclesiastica, & sæ-

sæcularia, vt in iure dispositum est. Videatur *Suarez disp. 24. sect. 3. vbi nu. 7.* cōcludit istillas alias pœnas contrahere; *& nu. 4.* docet; has pœnas cōtrahere filios, & nepotes, non solum hæreticorū, sed etiam fautorū, & illorum, qui sunt suspecti de hæresi.

476 Difficultas est, vtrùm istas pœnas incurrant filij ante nati. *Sanchez 2. Decalog. cap. 27. à num. 9.* latè hanc difficultatem pertractat. Ex quo *Hurtado disp. 88. §. 23. Palao disp. 7. punct. 2.* & alij, qui afferunt duas sententias satis probabiles. Prima, liberat ab his pœnis filios genitos ante delictum patris. Altera verò dicit comprehensos esse in his pœnis filios ante natos; & ita tuetur Lugo; sed quidquid ipse dicat, standum est primæ sententiæ: quia istæ sunt leges pœnales, & sic debēt restringi in præsenti casu: ita vt non extendantur ad filios ante natos, quia ad hoc sufficit authoritas tantorū virorum. Videatur *Suarez de censuris disp. 43. sect. 3. num. 2.*

477 Sed inquires. Filij hæreticorum sunt puniendi in vita, vel membris, vel alia pœna corporali? Respondeo quod non. *Ex 24. Deuteronomij, & Ezechielis 18.* vbi dicitur: *Non occidētur filij pro parentibus. Hic non morietur in iniquitate patris sui. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris sui.* Et si dicas, quod *2. Regum 10.* dicitur: *Quia fecisti blasphemare inimicos Domini, filius, qui natus est tibi morte morietur.* Respondeo: quod Deus id potest facere, non verò iudex humanus, quam tūuis superior. Vnde filij Achā lapidati sunt; *Iosue 7.* vt notat *Abulens. q. 72. & 2. Regū 21.* ad placandos Gabaonitas quinque filij Saul crucifixi sunt propter patris eorum scelus. Et si obijcias textum *in lege si quis, C. ad legem Iuliam*, vbi damnatur morte reus læsæ maiestatis, & de eius filijs dicitur: *paterno enim deberent perire supplicio.* Respondeo: quod Imperator loquebatur in casu, quod erat præsumptio de filijs de scelere patris: tamen filij non incurrerunt pœnam patris.

478 Sed inquires. Pro filijs hæreticorum intelliguntur etiā filij illegitimi? nam Ioannes Andræas, Dominicus, Francus, Villadiego, dicunt quod non; sed *Sanchez cap. 27. n. 1.* dicit istos Authores, solum loqui de filijs illegitimis, quorum pater est incertus. Vnde: pro filijs hæreticorum omnes intelligunt, filios certos eorum, quomodocumque sint filij. Ita *Sanchez* ex quo *Palao disp. 7. punct. 2. num. 6. & Hurtad. disp. 88. §. 24. & Lugo num 48.* quia non debent esse melioris conditionis filij illegitimi in peccato geniti, quam legitimi.

Sed

479 Sed Inquires. Quando patris statua cõburitur, filij incurrunt pœnas? Affirmant aliqui apud *Sanchez, & Hurt.* citatos, nisi pater neiciuit, vel non potuit se purgare à crimine falso obiecto. Sed *Gigas tract. de crimine læsæ Maiestatis lib. 3. q. 13. num. 3.* dicit: Quod si ex processu constet crimen planè probatum, sentẽtia lata in patrem, etiam pertinget ad filios: si autem tale non constet, sed propter contumaciam meram, pater habeatur pro confesso, & damnetur, pœna non transibit ad filios. Placet tamen, quod cum alijs dicit Lugo: scilicet, quod in tali casu, filij licèt contrahant pœnam carentiæ hæreditatis paternæ, tamen quoad alias pœnas, illas non contrahunt. Quia ex *lege eius, qui delatorem, ff. de iure fisci.* Ille qui damnatur in contumacia, ita habetur pro confesso, & cõuicto, vt eiusmodi ficta confessio ipsi soli noceat, & non alijs; vtpotè non est nisi præsumpta probatio. Item, quia condemnatio ob contumaciam solum fundatur in delicto cõtumaciæ, quod reuera non est hæresis, sed pœnæ filiorum contrahuntur propter peccatum hæresis: ergo filij in hoc casu, non contrahunt irregularitatem, inhabilitationem, & similes pœnas. Videatur Sanchez citatus.

480 Sed inquires. Filius hæretici, qui ante mortem resipiuit, & obijt Catholicus comprehenditur istis pœnis? Respõdetur, quod non. Ex *cap. 2. stat. de hæreticis in 6.* Imò, vt filij immunes sint à pœnis sufficit, quod pater pœnitentiam iam acceperit, vt colligitur *ex dict. cap.* Sed quæres. Filij relapsorũ, qui vltimo supplicio afficiũtur cõtrahunt illas pœnas, quãdo eorum patres in illo vltimo supplicio ostendunt pœnitentiam? *Hurtad.* affirmat *disp. 88. §. 22.* quod non contrahunt tales pœnas. Sed cõtraria sententia dicit illas pœnas contrahere, cum cõmuni Doctorum, & sequitur *Sanchez num 23. & Suarez disp. 43. de censuris sect. 3. num. 4. & de fide disp. 24. sect. 3. num. 3. Azor, Auila, Palao disp. 7. punct. 2. num. 6.* quos sequitur *Lugo num. 53.* Quia iudicio Ecclesiæ, huiusmodi relapsi, in hæresi mori, præsumuntur, & confessionem eius fictam esse, cum fundamento præsumit in foro externo.

481 Inquires etiam. Filij denuntiantes Inquisitioni proprios parentes hæreticos sunt immunes ab istis pœnis? affirmant aliqui apud *Sanchez numer. 30.* ex constitutione Federici Imperatoris confirmata per plures Pontifices. Et non displicet hæc opinio excepta pœna carentiæ hæreditatis paternæ, & vt benè notat *Hurtad.* secundum æquitatem foret in isto casu, non confiscare omnia bona paterna; ne impossibilis mo-

moraliter redderetur accusatio parentum.

482 Inquires etiam: Filij parētis suspecti de hæresi incurrunt illas pœnas? Affirmat *Azor*, sed *Sanchez cap. 27. num. 29.* & alij communiter negant. Quia suspecti non sunt propriè hæretici, & decreta, loquuntur de filijs hæreticorum: sed dices; si solis filijs, patris hæresis sit nota, sufficiet hoc ad incursum pœnarum? Respondetur negatiuè; & tenet *Hurtado*, quem sequitur *Lugo num. 55.*

Septima Subsectio. *Vtrùm complices hæreticorum, pœnis eorum afficiantur?*

483 SVppono, complices hæreticorum esse in quadruplici differentia. *Credētes, Receptatores, Defensores, & Fautores.* De quibus videātur expositores Bullæ Cœnæ *Sanchez 2. in Decalogū cap. 10. Castro lib. 1. de punitione, cap. 17.* & plures alij apud *Suarez disp. 24. sect. 1. n. 1.* Quas differentias explicare opportet. Nam *Credentes*, vel potest summi per ordinem ad intellectū, (& de his certum est incurrere easdem pœnas, eo modo, & distinctione, supradicta, loquendo de ipsis hæreticis) vel per ordinē ad volūtatem: quia sunt amici, & confidentes, non in rebus cōtra fidē; & de his nihil videtur esse à iure dispositum. Si tamen illa familiaritas, & confidentia sit cum hæretico, vt talis est, iste videtur incurrere præfatas pœnas: de quo videndus est *Sanchez cap. 10. nu. 2. & 3. & Suarez disp. 24. sect. 1. num. 3.* vnde qui venit ad hæreticum gratia discēdi, & audiendi illum paratus credere, si motiua, & rationes illi placeant, iste incurrit pœnas hæreticorum.

484 Idem dicendum est, de receptatore hæretici: etiam si in alienis hospicijs, vel in agro receptet, qualiscumque persona receptor fuerit. Idem in quam dicēdum est, de receptatore hæretici, vt hæreticus est. Vnde si quis recipiat, vel defendat hęreticum non, vt hæreticus est, sed vt amicus, consanguineus, vel proximus indigens, ita quod nō redundet in protectione nominis, vt hęreticus est, id non sufficiet, vt quis incurrat pœnas, cōtra receptatores, & defensores latas à iure. Ita *Suarez sect. 1.* & videtur communis sententia: & *Sanchez nu. 5.* qui dicit esse sententiam Suarij, sed non videtur ita esse. Sed *Eminentiß. de Lugo*, hæc sententia, merito non placet: quia receptator, & defensor hæretici reduplicatiuè, quatenus hæreticus est, plusquam receptator, & defensor hæretici est; quia est etiam hæreticus: vnde parum necessaria erat censura Ecclesiæ contra fautores, & receptatores hæretici, nisi fautores, & receptores intelligantur illi, qui eo ipso non sunt hæ-

re-

retici; dicendum ergo est, illos receptatores, & defensores hæreticorum, comprehēdi pœnis à quibus redundet sua receptatio, & defensio in fauorē hæresis

485 Circa fautores, est dicendum; quod qualitercumque, cū habitudine ad hæresim, aliquis faueat hæreticū, iste dicitur fautor. Et duobus modis potest intelligi: Primo. Committendo, & faciendo aliquid, scilicet dādo consilium, testimonium, dādo arma, pecunias, &c. Secūdo. Omittēdo, vt siquis omittat facere, quod tenetur, vt hæreticus puniatur. Vnde Inquisitor, vel Cōmissarius Inquisitionis omittens operari, vt tenetur, in causa hæretici, erit fautor, & similiter, quicumque officialis Inquisitionis. Similiter Iudex sæcularis, cuius brachio traditur hæreticus, si non puniat, vt oportet. Similiter testis, non deponens contra hæreticum, & non denuncians, cum tenetur: omnes isti sunt fautores hæreticorum. Videatur *Peña 2. & 3. part. commentar.* De his ergo fautoribus dicēdum est, posse puniri ab Ecclesia pœnis hæreticorū. Certū tamen est esse ipso facto excōmunicatos per Bullam Cœnæ. A qua excōmunicatione: vtrū possint absolui ab alio, quam à Pontifice respondetur affirmatiuè. Quia non est talis excommunicatio, qualis hæreticorū, strictè reseruata: vt notant *Sanchez cap. 12. n. 12. Hurtad.* & alij apud *Dianam 1. p. tract. de absolutione ab hæresi, resol. 7. & tract. de Bulla, resol. 29.*

486 Notandū tamē est: quod siquis sit fautor hæretici non ex certa scientia, aut ex ignorantia culpabili mortaliter, non incurrit censurā. Ita *Suarez n. 12.* Secundo, aduertūt aliqui; quod si effectus non obtineatur, nō incurritur censura: v. g. si quis defendit hæreticum quantum potest, ne capiatur, sed non consequutus est, quia tandē captus est hæreticus, iste defensor receptator, aut fautor, non incurrit cēsuram. Ita *Sanch. n. 9.* citans pro se *Suarium.* Sed in meritò, vt ipsemet *Suarez* fatetur *disp. 24. sect. 1. n. 14.* Quare contraria sententia magis placet. Aliàs, qui non denuntiat hæreticum, quando tenetur denuntiare, non erit excōmunicatus, quia alter posteà denuntiauit. Et testis falsus intētans liberare hæreticum, nō erit excōmunicatus; quia hæreticus alijs testibus est conuictus: quod non potest dici. Vltra excōmunicationem sunt aliæ pœnæ cōtra fautores, quas enumerat *Suarez disp. 24. sect. 1. n. 15.* nempè; quod priuentur sepultura sacra, & quod ne fiant pro eis oblationes, nec ab illis recipiātur: item puniūtur pœna priuationis beneficiorum, posteà accipiendorum: de acceptis tamen secus est dicendum; nam ante sententiam, illa beneficia non amittunt, vt tenet *Suarez n. 15.*

cum

cum alijs, *ex cap. Sicut ait, & cap. Excommunicamus §. Credentes de hereticis*: vbi imponitur etiam pœna infamiæ, & inhabilitatis ad officia publica, & aliæ pœnæ imponuntur ibi, quę tamen ipso facto non incurrantur, nisi per annum obdurescant.

487 Ponitur etiam pœna irregularitatis: de qua dubium est, an illam incurrat prædictæ personę *Credentes, Receptores, Defensores, & Fautores* hæreticorum, etiam si non sint notorij, sed occulti, nam *Sanchez dict. lib. 2. cap. 25. num. 7. Auila part. 7. disp. 4. dub. 2. concluſ. 2. de censuris*, vbi *Suarez disp. 43. sect. 2. num. 5.* & alij quos refert *Diana 4. part. tract. 2. resol. 44.* affirmant. Sed *Henriquez, Sà, Torres, Gaspar Hurtado, Cornexo*, apud *Dianam* citatum dicunt, quod quando isti sunt occulti, non contrahūt irregularitatem. Et à fortiori id tenendum est ab omnibus illis affirmantibus, quod hæretici occulti non sunt ipso iure irregulares: pro quo stat *Eminentiſſim. de Lugo.*

Octaua Subsect. *Vtrùm ſuſpecti de hæreſi incurrant hæreticorum pœnas?*

488 Circa hoc notādum est; quod triplex est suspicio. Prima est, modica, seu lęuis. Secunda est grauis, seu vehemēs. Tertia est violēta. Prima procedit ex indicijs, quæ aliquando, sed rarò conuincunt crimē, v.g. contrahere secundas nuptias, viuēte prima vxore. Vehemēs, & grauis dicitur, quæ procedit ex grauibus, & efficacibus indicijs, licèt interdum, nō concludant, vt sunt pactum facere cum Dęmone, actus sectæ damnatæ, aut hæresis merè externa. Violenta dicitur, quæ moraliter æquiualet sufficienti probationi fundata in iure contra quam, rarò admittitur probatio, vt constat *ex cap. contra Christianos, cap. Quicumque, cap. cum cōtumacia, cap. Filij de hæreticis in 6. cap. Excommunicamus, §. Qui autem de hæreticis.* Exempla sunt cōsolationem, vel communionem accipere ab hæreticis; insordescere in excommunicationem per annum, & alia apud *Palaum punct. 1. num. 3.* Secundo noto, quod quęlibet istarum suspicionum potest esse falsa apud Deū.

489 Hoc posito dico primo. Quando aliquis apud Deum verè est innocens quoad culpam hæresis, quantumcunque sit de illa suspectus, non incurrit pœnas hæreticorum: quia re vera, ille non est hæreticus. Si tamen suspicio est publica incurrit irregularitatem propter infamiā, inquit *Thom. Sanchez cap. 25. nu. 10.* purgata tamen suspicione, aufertur infamia, & consequenter irregularitas.

490 Dico secundo. Vehemēter suspectus de hæresi, quāuis de illa conuinci non possit, si reuera interius talis est, incurrit pœ

pœnas hæreticorum. Ita Suarez, & videtur sententia communis quantum ad pœnas spirituales. Quoad pœnas verò temporales, & corporales, non incurret illas: ideſt non punietur illis pœnis hæreticorum: quia nemo ordinaria pœna punitur, nisi confessus, vel conuictus. Vnde suspectus talis, nunquã traditur brachio sæculari, si aliàs se contumacem, non ostendat, nolendo abiurare, vel purgationẽ admittere, neque Ecclesiæ satisfacere: tunc enim habebitur pro conuicto: quia suspicio vehemens transit in violentam; & ita stabilitur in *cap. Ad abolendam; extra de hæreticis; cap. Accusatus, cap. Cũ contumacia, eodem titulo in 6.*

491 Notandum est. Quòd pro suspicione læui non possunt suspecti puniri ordinaria pœna, nec aliqua alia propter hæresim. Ita *Simãcas, Farinacius*, apud *Palaum, num. 4.* Poterit tamen puniri propter illud delictum in quo suspicio hæresis fundatur, si planè probetur, & dignũ sit pœna. Ita *Suarez n. 4. & 5. & Palao punct. 1. à n. 8.* Pœna autem solet esse abiurare de leui, & pœna pecuniaria, vel alia attentis circunstãtijs, criminis, & personæ.

492 Suspectus vehementer, quãdiu delictum non plenè probatur, iam dictum est, quòd non potest puniri pœna ordinaria hæretici. Tamen condemnatur ad abiurationem de vehementi, & ad pœnã correspondentẽ delicto fundantĩ suspicionẽ de hæresi. Ita *Palao à n. 10.* Vnde isti, nõ priuãtur beneficijs obtentis.

493 Sed inquires. Ob suspicionem de hæresi contrahitur irregularitas? Respondeo non contrahere irregularitatem propriam hæreticorum: incurret tamen aliam, si delictum, in quo fundatur suspicium, fuerit fautor hæreticorum, & hoc delictũ fit notorium, etiãque incurret irregularitatem infamiæ: videatur *Diana 3. part. tract. 2. resol. 47. & 48.* Idemque dicendum est de pœna inhabilitatis ad acquirenda noua beneficia; quæ inhabilitas, non contrahitur per meram suspicionem, nisi quatenus contrahitur irregularitas.

494 Inquires etiam. Ob suspicionẽ de hæresi potest aliquis carcerari, & contra ipsum proceedi? Negant *Simancas, & Peña*, apud *Suar. n 4.* etiam si suspicio sit vehemens. Sed alij dicunt, id fieri posse, cum persona vili vel improba, non verò cum homine honesto, nobili, vel religioso. De quo videndus est *Suar.* relatus, & *Palao punct. 1. à n. 5.*

495 Quæres. Qui interfuit hæreticorum concionibus, aut cõuenticulis est suspectus vehementer de hæresi? Nam *Zanchinus*, & alij apud *Dianam 4. part. tract. 8. resolut. 93.* & alij videntur affirmare; sed opposita sententia est verior, nisi ignorãtia,

vel alia circunstantia excuset. Quia talis non denuntiando Inquisitoribus, fit vehementer suspectus de hæresi. Ita *Diana* citans *Suarium disp. 24. sect. 3. n. 3.* Sed fallitur Diana, in primis, in cita, quia *sect. illa 3. n. 3.* nihil de hoc agit Suarez, fortè est error Typographi, & debebat dicere *sect. 1.* Tamen ibi non conuenit *Suarez* cum *Diana*, & miror etiam *Eminentiss. Cardinalē de Lugo*, nō potuisse inuenire Suarij doctrinā, cum mihi non persuadeo, nō vidisse sectionem primam Suarij disputationis 24. vbi inueniret istum casum, sicut inuenit alios, quos Eminentiss. Lugo ex Suario transcripsit.

496 *Suarez* itaque circa præsentē difficultatē *disp. 24. sect. 1. in fine*, cum *Campegio in additionibus ad Zanchinum* dicit; quòd in foro externo debent circunstantiæ considerari, & sic nō sufficere vnam, vel alteram auditionē, sed plures requiri regulariter, vt talis dicatur credens, seu præsumatur, & cōsequentèr (licèt hoc non dicat Suarez, sed colligitur ex eius doctrina) vt iste sit suspectus de hæresi.

497 Inquires: Qui exterius negarunt fidem, firmitèr interius retenta, sunt irregulares? Affirmat *Sanch. cap. 25.* & alij, quos affert *Diana 4. part. tract. 2. resol. 49.* Sed existimo cum *Nauarro*, *Azor*, & alijs apud *Sanchez n. 5.* non esse irregulares, nisi irregularitate orta ex infamia, propter criminis notorietatem.

498 Inquires: Qui prius abiurauit hæresim, & postèà damnatur, vt vehementer de illa suspectus: dicēdus est relapsus? Respondetur, quòd si præcedens abiuratio est tantum de vehementi, subsequens suspicio similis, non sufficit, vt dicatur relapsus. Quia in neutro casu est conuictus de hæresi, nec sufficienter probata est hæresis. Si verò abiuratio præcedens, est de hæresi, de qua conuictus est, vel confessus, videtur sufficere, vt iudicetur relapsus. Quia si præcedat abiuratio de vehementi, & subsequatur damnatio, vt conuictus de hæresi iudicatur relapsus: ergo similiter ordine verso, iudicandus est relapsus. Sed *Suarez disp. 24. sect. 2. in fine*, videtur dicere, quòd propter talem suspicionem, nō est iudicandus relapsus, nisi suspicio fundetur in aliquo crimine, vt est suspicio de fautore hæreticorum. Et hæc de opusculo Fidei dixisse sufficiat: ad laudem Omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Iesu Christi Domini nostri, Beatæ Mariæ semper Virginis, atque omnium Sanctorum, in seruitium Religionis Christianæ, Fidei Catholicæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; cuius pedibus ex animo, & toto corde omnia dicta subijcio, eiusque correctioni, & melioris iudicio.

***

OPVSCVLVM, SIVE COMPENDIVM DE VIRTVTE THEOLOGALI SPE.

AD Tractatum de Fide meritò consequẽter disputant Doctores Scolastici de Spe, cũ Magistro à dist. 26. vbi Princeps Theologorum *Scotus*, *Alensis*, *Angelicus Doctor Sanctus Thom.* & *Seraphicus Doctor S. Bonauentura*, *Suar.* 2. 2. & ibi *Lorca*. Sequunturque omnes *D. Paulum*. & Doctorem gentium, qui 1. *ad Corinth.* 13. inter Fidem, & Charitatem medium constituit Spem. Eius vocis significatio in præsenti est triplex: Prima, supponit pro affectu appetitus sensitiui, vel voluntatis, naturali, vel infuso, seu supernaturali. Secunda, supponit pro ipsis rebus, & obiectis speratis, vt ad *Roman.* 8. *Spes quæ videtur, non est spes*. Et ad *Titum* 3. *Spectantes beatam spem*: & *Psalm.* 90. *Tu es Domine spes mea*. Tertia, supponit pro habitu, vel actu supernaturali, *Iob.* 19. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*: & 1. *ad Corinth.* 13. *Manent tria hæc, fides, spes, &c.* De spe igitur in ista acceptione in præsenti opusculo tractamus: quod duabus disputationibus omnia, quæ in eo solent tractari, comprehendemus. Prima erit speculatiua, & methaphysica; secũda verò moralis.

DISPVTATIO PRIMA.

Speculatiua de Spe.

CAPVT I.

De obiecto virtutis Theologalis Spei.

Sectio 1. *In quo consistat arduitas requisita ex parte obiecti actus Spei?*

1 SVppono ex *Aristotile* 2. *Rethoricorum*, ex Patribus, & Concilijs, *Trident. sess.* 6. *cap.* 6. & 13. quòd obiectum spei debet esse bonum possibile, absens, futurum, & arduum, in quo omnes conueniunt. Vtrùm autem possibilitas, absentia, futuritio, & arduitas sint de ratione obiecti actus spei? Contra aliquos Recentiores, cum *Scoto in* 3. *dist.* 26.

§. *Ad quæstionem*, dico solum esse circunstantias, & cõditiones essentiales necessariò requisitas ex parte obiecti. Sequuntur Scotistę, *Castillo disp.* 1. *q.* 4. *n.* 2. Et probatur: quia, licet obiectum spei, non moueret ad actũ, si possibilitate, absentia, futuritione, & arduitate, nõ esset circundatũ; tamen actus spei, non terminatur ad possibilitatẽ, absentiam, &c. neque ista mouent materialiter, aut formaliter ad actũ spei, sed ipsa bonitas obiecti, possibilitate, absentia, futuritione, & arduitate, circunamicti: non enim ego spero possibilitatem, absentiã, futuritionẽ, aut arduitatem; imò potius illa fugio: ergo ista non sunt de ratione obiecti materialis, aut formalis, actus spei: quia obiectũ, vel determinat, vel mouet ad actum. Et per hoc fit satis ad argumenta Recẽtiorum. Quia Concilia, & Patres solum dicunt illa requiri, nõ vero determinant, qualiter requirantur; an vt conditiones; an verò vt quid intrans rationem obiecti essentialiter.

2 Hoc supposito; quia reliquæ cõditiones sunt claræ, ideò solũ de arduitate est difficultas, in quo consistat? Nã P. Frãciscus del Castillo dicit, cõsistere tantũ in difficultate rei obtinẽdæ orta ex contingentia consequutionis illius; siuè talis cõtingentia oriatur, ex magnitudine, siuè ex distãtia, vel absentia, siuè ex temporis diuturnitate, siuè ex eo quod petat, voluntate propria, vel aliena acquiri bonum. Itaque exclusa contingentia, iste Author non admittit arduitatẽ, & consequenter, neque spem: propterea que in *quæst.* 13. negat in Christo spem respectu gloriæ sui corporis.

3 *Pater Vazquez* 1. *part. disput.* 48. *cap.* 1. *& disp.* 248. *cap.* 4. *& tom.* 2. *disp.* 15. *cap.* 5. *& tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 41. *cap.* 2. constituit arduitatem, in eo quod res sperata obtinenda sit dependenter ab alio. Sequuntur *Torres disput.* 60. *dub.* 1. *Caspar Hurtado disp.* 1. *diff.* 2. & alij Recentiores.

4 A nobis autem tenendum est, arduitatem consistere, in difficultate consequutionis rei speratæ, siuè ista difficultas proueniat ex ipsa rei magnitudine vires nostras superante, siuè proueniat ex distantia, sinè ex contingentia, sinè ex diuturnitate temporis, siuè ex labore, aut impensis, &c. Ita multi ex nostris, præcipuè in *tract. de Incarnatione*, ponentes in Christo D. spem respectu gloriæ sui corporis, quæ respectu Christi D. non est contingens, neque incerta.

5 Probaturq́; cõclusio. Quia *Aristotil.* 2. *Rethor. cap.* 5. *&* 3. *Ethic. cap.* 6. vbi agit de audacia, & spe, nõ distinguit illas, sed arduum per labores, est obiectum audaciæ, siuè sit contingens, siuè nõ: ergo similiter illud sufficit

ad

ad obiectum spei. Sequitur *Suarez disp. 1. de spe, sect. 8. n. 5.* Probaturque secundo. Quia ad spem frustra est contingentia, & incertitudo: quia si quis haberet reuelationē de sua prædestinatione, adhuc iste tenetur sperare Beatitudinē: quia per actus meritorios fidei, spei, & charitatis, illā est consequuturus: ergo contingentia, & incertitudo, nō est de ratione arduitatis, ita quod sine ea contingentia, non sit arduitas.

6 Sed obijcit primo N. Castillus. *Scotum in 3. dist. 26. §. Ad quæstionē*: vbi ponit ex parte obiecti, quod sit à Deo se ipsum nobis liberaliter conferente (ecce contingentiam ex parte Dei) & propter nostra merita, sed nostra merita sunt contingentia, quia libera: ergo ad arduitatem necessariò cōtingentia requiritur. Respondeo, quòd hoc solum probat, esse necessariā contingētiam in sensu diuiso; cū quo stat necessitas, & certitudo in sensu composito: Scotus autem, nec verbū habet, vnde colligamus, necessariò requiri contingentiā, & incertitudinem ad arduitatem requisitam ex parte obiecti actus spei.

7 Obijcit secundo. Vt animus desperati erigatur, debet persuaderi, possibilē sibi esse rei consequutionē: ergo difficultas, quā sentit desperans, est contingentia consequutionis obiecti. Respondeo, quòd ex hoc solum sequitur, aliquando arduitatem consistere in contingentia, non verò semper. Præterea: quia ex hoc argumento, potius Castillo accedit ad nos, quā à nobis recedat: nam si contingentia obiecti est difficultas, propter quam homo desperat, vt ipse ait: ergo difficultas in qua arduitas obiecti spei consistit, nō est cōtingentia manifestè. Quia idem obiectum sub eadē conditione, & circumstantia formali, nō potest specificare actum prosequutionis, & actum fugæ, spei, & desperationis: ergo licèt cōtingentia inducat desperationē, non verò actū spei. Et cōfirmatur: quia sperans respicit obiectū, vt futurū, quod licèt sit cōtingens in sensu diuiso, & antecedenter, tamen consequenter, & in sensu composito est infalibiliter necessariò, & certò futurum: ergo sperans non respicit obiectū contingens, sed potius, vt certum, & infallibile, licèt difficile cōsequi: aliàs actus spei foret, valdè incertus.

8 Obijcit tertio. Spes semper est mixta cū aliquali timore nō consequendi, quod speratur: ergo arduitas est contingentia. Respōdeo: hoc esse per accidens in nobis, qui nescimus certò futuram nostrā Beatitudinem, nō quia talis timor sit necessarius ad actum spei; imò potius animus, quando ad actū spei erigitur, timorem deglutit, seu foras emittit timorem, & sic contingentiam, in sensu composito: nā

requiritur audacia ad sperãdum, quæ timorem repellit, qui esse poterat ante actum spei.

9 Obijcit quarto. Arduitas ex cõtingentia est diuersa specie ab arduitate orta ex laboribus: ergo causant diuersos actus in specie; sed arduitas ex contingẽtia, semper causat actum spei, vt omnes docent: ergo arduitas orta ex laboribus, & non ex cõtingentia causat actũ diuersum ab actu spei. Respondeo: quòd ad actum spei solum requiritur arduitas, quod autẽ ea oriatur ex contingentia, vel ex laboribus, vel ex alijs abstrahit, & est contingens, seu per accidens: sicut visio Angeli, & visio animæ Christi sunt eiusdem speciei, etiã si intellectus, prout Angeli, & prout Christi specie differant, eo quòd in ratione principij intellectiui conueniunt; & sic actus spei circa obiectũ arduũ ex contingentia, vel circa obiectum arduũ propter labores erunt actus spei, & eiusdẽ speciei; quia in ratione formale arduitatis præcisa conueniunt obiecta, quamuis materialiter differant, quod est per accidens, ad rationem actus spei.

10 Tandem obijcit N. Castillo. Spes erigit animum ad efficaciter appetendum bonũ, cuius consequutio nobis est cõtingens; audacia verò, seu fortitudo ad superandos labores, & ad sufferentiam ipsorum: ergo arduitas ad spẽ oritur ex contingẽtia. Et cõfirmant: quia fortitudo differt specie, à spe; quia fortitudo non est Theologalis, sicut spes, sed audacia, aut fortitudo erigit animum circa obiectum laboribus cõsequendũ, v.g. circa martyrium: ergo spes non erigit animum circa tale obiectum præcisè, si non sit contingens. Respondeo negando antecedens in sensu composito loquẽdo, quidquid sit antecedenter, & in sensu diuiso. Ad confirmationem negatur assumptũ: vt patet in prima probatione nostræ sentẽtiæ, ex *Aristotile 2. Ethor. & Ethic. 6.* Etenim sine audacia actus nõ est spei, sed solũ desiderium. Et per hoc patet etiam ad argumenta, quæ pro opinione Vazquecij, fieri contra nos possunt, quę mihi in efficacia videntur.

11 Sed nouiter etiam contra N. Castillum insurgo. Per te arduitas consistit in contingentia, sed opera nostra, respectu Dei, sunt contingentia, & vt sic proponuntur Deo per te *disp. 1. q. 5. n. 13.* ergo vel arduitas non cõsistit in cõtingentia, vel opera nostra respectu Dei sunt ardua, & proponuntur ei, vt ardua (& sic in Deo dabitur spes, & actus spei) quod negat N. Castillo eodem loco citato.

12 Huic obiectoni nullo modo satisfacit Castillo. Quia licèt se citet ad *quæst. 13.* eiusdem disputationis primæ: ibi non respondet. Imò potius ex ibi respõsis, & suppositis, sequitur in eius do-

doctrina inconsequentia maxima. Nam eo dicit ibi, in Deo nō esse actum spei, quia licet nostra opera sint Deo contingentia, tamē, quia habet certitudinē physicam futuritionis eorum, non sunt illi ardua: hæc enim inter se implicāt, certitudo physica euētus, & contingentia, quæ est incertitudo. Et confirmatur: quia *q. 13. n. 5.* dicit in Christo nō esse actū spei, adhuc respectu gloriæ sui corporis, aut glorię aliorum; quia, cum pro primo instāti cōceptionis, cognouit tales glorias certò futuras, non fuerunt respectu ipsius contingentes: ergo similiter debebat dicere, quòd nostra opera, non sunt contingentia respectu Dei, vel si sunt contingentia, erunt ardua, & sic in Deo erit spes respectu nostrorum operum, ex inconsequentia suæ doctrinæ.

Sectio 2. *Quod sit obiectum materiale spei Theologicæ.*

13 SVppono, quòd supernaturalis nostra Beatitudo est obiectū principale spei, iuxta illud *Matthæi 6. Quærite primum Regnum Dei*: & conueniunt omnes in eo. Difficultas est: vtrùm formalis, & obiectiua Beatitudo, simul ex æquo sit obiectum materiale: an verò solum Beatitudo obiectiua, vel solum Beatitudo formalis? *Durand. in 3. dist. 26. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 5. & in 1. dist. 1. q. 2.* tenet, Beatitudinem formalē solā, esse obiectū materiale immediatè; obiectiuā verò indirectè, & mediatè. *Vazquez 1. 2. disput. 25. cap. 2.* cum *Caietan. Maiori, Arimino, & Paludano*, dicit; obiectiuam Beatitudinē esse obiectū materiale immediatū; formalem verò Beatitudinē, esse conditionem. Harum sententiarum fundamenta contra nostrā sententiam, posteà obijciam.

14 Tertia, & nostra sententia dicit; spem directè, & immediatè, vtramque simul formalē, & obiectiuam Beatitudinem attingere; cum hac distinctione, quod formalē attingat, vt finem *quo*, obiectiuam verò, vt finē *qui*. Ita defendunt *Magister Lorca disput. 2. de spe, Suarez disp. 1. sect. 1. & Valencia*; quos sequuntur *Torres disp. 60. dub. 3. Ægidius disp. 9. num. 44. & Granados disp. 1. ex D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 2.* & meo videri potest citari *Scot. in 3. dist. 26. §. Ad quæst.* vbi tenet, quòd Deus, vt bonū nostrū est obiectū spei, & quod actus spei, est desiderare bonū in se infinitū, in esse nobis bonum. Probaturque assertio. Quia spes respicit Beatitudinem, vt bonū sperāti, sed Deus ratione sui, & secluso ordine ad Beatitudinē formalem solum est bonum in se: ergo Deus solum non est immediatum obiectum materiale spei, nisi prout coniungitur cū Beatitudine formali, per quam efficitur, vt mihi bonus.

15 Et confirmatur primo. Nam obiectũ spei debet esse futurum, & absens, sed Deus, nisi per ordinẽ ad Beatitudinẽ formalem, non est futurus, nec absens: nam in se nõ potest, nõ esse existens, & præsens: ergo ex vtroque cõflatur obiectũ materiale spei Theologicę. Cõfirmatur secũdo. Quia nemo desperat Deũ præcisè, sed desperat ipsum esse futurũ obiectũ Beatitudinis formalis sibi, aut desperat, futurã esse sibi Beatitudinẽ respiciẽtem clarè ipsum Deum: ergo, cũ cõtrariorum eadẽ sit ratio, hoc etiam, erit obiectum spei, per modũ prosequutionis, sicut est desperationis per modum fugæ.

16 Confirmatur tertio. Quia immediatum obiectum tristitiæ damnatorum, non est Deus præcisè, nec malũ precisè, sed vtrũque simul, scilicet Deus, vt infligens malum damnatis, vel ipsum malum damnatorũ, vt inflictum à Deo, quod est idem: ergo similiter à contradictorio, Deus præcisè, non est immediatũ obiectum gaudij Beatorum, sed Deus, vt videtur, & amatur, seu vt est bonus Beatis per visionem, & fruitionem sui. At gaudiũ respicit illud obiectũ, quod sperabatur, & iam tenetur, seu possidetur, ita quod gaudium cadat super possessionẽ, & rẽ possessam simul: ergo etiam spes vtrumque ex æquo respicit, scilicet obiectiua m, & formalem Beatitudinem adæquatè: licèt inadęquatè, ordine intentionis, prius tangat Beatitudinẽ obiectiuam, & ordine executionis Beatitudinem formalem; & per hoc patet solutio ad fundamenta aliarum sententiarum, maximè primæ. Vltimo probatur: quia Beatitudo formalis sine obiectiua; & ècontra, nõ est cõpleta Beatitudo, & sic vtrumque simul ex æquo respicit spes.

17 Sed obijcies pro prima sententia argumenta, quæ pro confirmatione nostræ sententiæ iecimus. Verum, quia vt visum est, solum probant, quòd Deus præcisè, secundùm suã bonitatem absolutè consideratam, nõ sit obiectum materiale spei, non verò secundũ suam bonitatẽ, vt referibilẽ nobis, quatenus, terminãdo visionem, & fruitionẽ nostrã, est bonus nobis: ideòque nõ probant cõtra nos, quod solum formalis Beatitudo sit obiectũ materiale spei Theologicæ.

18 Obijcit Vazquez pro secunda opinione sua. Idẽ est obiectum spei in via, quod est delectationis in patria, sed in patria non delectatur voluntas de Beatitudine formali, sed tantum de obiectiua: ergo Beatitudo obiectiua erit obiectũ materiale spei. Et cõfirmatur: quia spes est virtus Theologica: ergo habet pro obiecto solum Deum. Vnde potest confirmari secundo ex *Scoto dist. 26. § Ad quæst. & § Hæc etiã vir-*

virtus; vbi docet, quòd spes respicit Deũ pro obiecto immediato.

19 Respondeo; quòd in patria delectatio respicit, & cadit supra vtrãque Beatitudinẽ adæquatè, & completè: nã delectatio est de obiecto, vt possesso, seu de possessione obiecti. Vnde nego minorẽ illius argumenti Vazquecij. Ad cõfirmationem respondeo, quòd vt sit virtus Theologalis, sufficit, vt motivũ formale, & *quo* sit Deus, vel aliquid Dei, non verò requiritur, quod obiectum materiale adæquatum, sit Deus tantum; & ita debet intelligi Scotus relatus, vt hoc testimonium Scoti conueniens sit, cum citato à nobis, pro nostra sententia.

20 Obijcit secundo Vazquez. Beatitudo formalis terminatur ad Deum tantum, vt ad finẽ vltimum, sed spes tantum respicit vltimum finẽ: ergo non respicit visionem, & fruitionẽ, seu Beatitudinem formalẽ; quia Beatitudo formalis, nõ est vltimus finis. Respondeo; concedo maiorẽ, & distinguo minorẽ, inadæquatè ordine intentionis, concedo; adæquatè, & completè secundùm ordinem intentionis, & executionis, nego. Nam qui sperat, non sperat bonitatem Dei absolutam, & in se præcisè, sed relatiuam bonitatem, & vt nobis bonã, & cõmunicandam per visionem, & frutionem, seu Beatitudinem formalem.

Sectio 3. *Quodnam sit obiectum formale spei Theologicæ?*

21 CIrca hoc multæ circunferũtur opiniones. *Vazquez part. 1. disp. 48. cap. 1. & disput. 235. cap. 4.* dicit, esse Deum, vt est omnipotens, & fidelis in suis promissionibus. *Magist. Lorca disp. 3. memb. 1.* tenet, quòd in spe Theologica, est duplex respectus. Primo in quantũ est quoddam desiderium, & appetitus; & vt sic formale eius obiectum est bonitas obiecti infiniti: nã ab illa mouetur voluntas, vt appetat eius consequutionem, & illã desideret; secundo in quantum est spes, & vt sic habet pro obiecto formali acquisibilitatem illius bonitatis per auxilia diuina, seu viribus supernaturalibus.

22 Parum ab hac sententia differunt *D. Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 1. 2. & 3. Caiet. q. 18. art. 1. Palud. in 3. dist. 26. q. 2. Ricardus art. 1. quæst. 3. Durad. q. 3. Enricus quodlibet. 8. q. 15. D. Bonauentura dist. 26 q. 4. & 5.* & alij, qui omnes videntur tenere, Deum sub absoluta bonitate increata, supernaturali, esse obiectum formale charitatis; sub ratione verò ardui, & excedentis hominis facultatẽ, esse obiectũ formale spei: & sic dicunt, ad charitatem pertinere, amare, & desiderare illud bonũ, ad spem verò, solum sperare: nam charitatem ponere vl-

videntur in cõcupiscibili, & spẽ in irascibili. & hæc sit, quasi tertia sententia.

23 Quarta opinio ait, quòd in spe sunt tres respectus: primus ad rem, quæ speratur: secundus ad personam, à qua speratur: & tertius ad personam ex cuius cõplacentia speratur; & sic obiectũ formale spei dicit esse triplex, aut ex triplici incompleta formalitate: prima est bonitas rei speratæ: secunda est potẽtia personæ, à qua speratur: & bonitatẽ personæ ex cuius complacentia speratur appellat tertiam. Quinta opinio, quòd Deus sub ratione Deitatis, vt sic, est obiectum formale *quod*, & *quo* spei Theologicæ. Ita *P. Castillo disp. 1. q. 7. n. 5.* & citat *Pytig. in 3. dist. 26. art. 6.*

24 Nostra verò cõclusio est. Quòd obiectum formale motivũ spei Theologicæ, nihil aliud est, quam bonitas infinita Dei, prout in esse nobis supernaturaliter potest, seu, vt nobis proficua, seu vt est bona nobis, & quasi nostri commodum supernaturale. Hæc conclusio, nisi fallor, expressissimè *Scoti* mens est *in 3. dist. 26. q. vnic §. Ad quæstionẽ*, vbi probans, quòd spes est vna virtus Theologica à fide, & charitate distincta, sic persuadet: *Experimur in nobis hunc actum, desiderare nobis bonum infinitum, in esse nobis bonũ.* Et *vers. Tertia*, ait: *Potest poni virtus Theologica, quia est circa Deum immediatè, vt circa obiectũ, desiderando ipsum, vt bonũ speranti, & si non sperat illud in se fore, tamen sperat illud fore, sibi sperãti.* ergo summum bonum infinitum secundũ amabilitatẽ concupiscentiæ, & quasi cõmodum supernaturale nostri, est motivũ formale spei, ex *Scoto*. Sequitur *Vazq. sect. 3. n. 4.* citant *D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 8. & 9.* Et *disp. de spe, art. 3. Cajet. art. 5. Gabrielẽ, & Almaynum*, quibus addo *Ægidium disp. 19. & Bañez 2. 2. quæst. 17. artic. 5.* quos sequitur *N. Vrbina q. 6. in manu scriptis.*

25 Et probatur primo. Nã spes est virtus Theologica: ergo debet habere pro obiecto motiuo, & formali immediato ipsum Deũ, vel vt ita dicã, aliquid Dei: in hoc omnes conueniunt. Tunc sic: actus virtutis spei est actus prosequutionis voluntatis rectus (vt videbimus *cap. 2. sect. 1.*) ergo tendit in bonũ: etiã in hoc omnes coueniunt. Tunc sic: omnis actus prosequutionis voluntatis, vel est amor vt sic, vel amor amicitiæ, vel amor concupiscentiæ, sed actus voluntatis in quo consistit spes, nõ est amoris, vt sic, nec amoris amicitiæ: ergo est actus amoris concupiscentiæ; sed motivum formale concupiscentiæ est bonitas obiecti relatiua, & non præcisè bonitas absoluta: ergo motivum formale spei, erit bonitas infinita Dei, non præcisè prout est bona in se, sed prout nobis supernatu-

turaliter bona, & proficua esse potest, & quasi nostri supernaturale commodum.

26 Confirmatur. Quia generaliter illud est obiectum motivum formale alicuius virtutis, quod est causa immediata omnium actuum talis virtutis, & in quo vltimò resoluitur talis virtus, secundū quod talis virtus est, sed bonitas diuina, prout nobis supernaturaliter bona est, est immediata causa omniū actuū virtutis spei Theologicæ, & in ipsa bonitate, vt sic respectiua, vltimò resolvuntur actus huius virtutis, secundū quod talis virtus specialis est: ergo illud erit motivū formale spei, & nō aliud.

27 Minor, in qua est difficultas, probatur: nam si quæramus, quare speremus in Deo? Quare speremus benè operare? Quare speremus auxilia? Quare remissionem peccatorū? Quare mortuorū resurrectionē, & alia similia obiecta spei materialia, quare speremus? Vltimò, licèt non vltimatè, debemus respondere, quia Deus est nostri supernaturale commodum, & quia bonitas infinita Dei est appetibilis, vt nobis bona supernaturaliter, & quia Deus est infinitum bonum amore concupiscentiæ amabile: ergo. Notanter dixi nō vltimatè: quia cum spes, & omnes aliæ virtutes subdantur imperio charitatis, vltimatè omnes virtutes resolvuntur in obiectū formale charitatis; quia illi omnes virtutes sunt subordinatæ: cū quo stat, vt ipsæ virtutes subordinatæ habeant specialia motiua, & obiecta formalia, in quibus, secūdùm quod tales virtutes sunt, vltimò resoluantur, tanquam in causis immediatis actuum ipsarum virtutum.

28 Quod enim ita debeamus philosophare, patet ex toto cōtextu *Matth. cap. 6.* vbi ad spem, & desiderium futurorum bonorum exhortans Christus D. præcepit thesaurizare nobis thesauros in cœlo, *Vbi neque tinea, neque ærugo demolitur; vbi fures, nec effodiunt, nec furantur: vbi enim est thesaurus tuus ibi est cor tuum:* vbi nomine *cordis*, & *thesauri* apprimè virtutē spei, & obiectū motivum formale eius explicuit: sicut enim cor affectu concupiscentiæ tendit in thesaurum; ita volūtas virtute Theologica spei tendit in Deum, & in bonitatem eius, tanquam in thesaurū mihi proficuum bonū, & commodū supernaturale: vnde in oratione Dominica dicitur: *Adveniat Regnū tuū*; & illud, *quærite*, id est desiderate, & sperate *primò Regnū Dei*; quasi dicat, hoc est motivū formale spei Theologicæ: quia omnia alia, quę speratis, propter illud thesaurum, & illud Regnū speratis: vnde addit, & *iustitiam eius*; quia non possumus consequi illud thesaurum, illud Regnum, seu motivū formale spei, nisi

niſi per actus iuſtos, & meritorios, & benè moraliter circunſtantionatos.

29 Sed obijcit prima opinio. Si quis ſperaret Beatitudinẽ ab Angelo, vel homine, illa ſpes nõ foret Theologica, ſed Angelica, aut humana: ergo ex eo Theologica, quia nititur omnipotentiæ, & fidelitati diuinæ, vt obiecto motiuo. Et cõfirmatur: quia ex *Tridentino ſeſſ. 6. cap.* 13. in Dei auxilio debemus collocare, & ponere firmiſsimam ſpem: ergo motivum formale ſpei, eſt omnipotentia, & fidelitas Dei.

30 Pro ſolutione huius argumenti nota, quòd ſicut poſsibilitas, futuritio, abſentia, & arduitas obiecti nõ intrant rationem formalẽ obiecti motiui ſpei, ſed ſunt conditiones, & circunſtãtię neceſſariò requiſitę ad actũ ſpei: ita iudicium firmũ de omnipotentia auxiliatrice diuina, & de fidelitate in ſuis promiſsionibus eſt conditio, & circunſtantia requiſita ad actum ſpei debitæ circunſtantionatũ, vt ſcilicet ſit ſine præſumptione, & vt ſperemus, vltimum ſummũ bonum, ſicut opportet ex meritis auxilio gratię factis conſequendum.

31 Itaque illud ſummũ bonum, vt nobis bonũ eſt motivũ formale, quod primo ſpero, & propter quod ſpero alia, & in Deo, & à Deo. Vnde ſperare in Deo, vel à Deo auxilium, vel fidelitatẽ eius, ſeu adimpletionẽ ſuæ promiſsionis circa auxilia, reſoluitur in diuinum illum theſaurum Regni Dei, tanquam in formale motivũ, & cauſam ſperandi illa, ad hoc, vt actus ſpei circa theſaurum Regni Dei, ſeu circa bonum illud infinitum, vt mihi eſt bonũ, & cõmodum ſupernaturale, ſit ex obiecto, & circunſtãtijs bonus: & propterea dicitur *Matth. 6. Primum quærite Regnũ Dei, & iuſtitiam eius*: quod idẽ dicit *Scot. diſt. 26. §. Ad quæſt. & §. Ad primũ principale, in fine.*

32 Imò vt actus primus circa obiectũ motivum ſpei ſit circũſtãtionatus, & ſine præſumptione, nõ eſt neceſſe, vt in actu exercito explicitè ſperem in Deo, vel à Deo auxilium, & promiſsionẽ ſuæ fidelitatis, ſed ſufficit ſperare in actu ſignato, vt ita dicã, credendo ſcilicet Dei omnipotentiã auxiliatricẽ & eius fidelitatẽ in promiſsionibus ſuis fide diuina, quæ eſt argumentum infallibile, & ſperandarum ſubſtantia rerum: & hoc etiam ſufficit ad confidenter, & erectè ſperandũ Deum, ſeu ad deſiderandum efficaciter Deum, vt mihi bonũ.

33 Hoc ſuppoſito, facilè reſpõdetur ad argumentum: quòd talis actus, ſi aliàs reſpiceret ſummam bonitatẽ Dei, vt nobis, vel illi bonã, & vt cõmodum ſupernaturale ſibi, tanquã rationẽ motiuã ſperandi ab Angelo, vel homine, foret Theologalis, ſed nõ rectè circunſtantionatus circunſtan-

stantia debita; quia solū in Deo, vel à Deo debemus sperare auxilia ad operandū nostrā Beatitudinē, nobis à se promissam. Nisi aliàs Deus ita vellet disponere, fortè in aliorū opinione, vt speremus nostram Beatitudinem ab alijs, dūmodo nō excluderemus formaliter sperare illam à Deo.

34 Ad confirmationē dicimus; quòd Tridentinū solū docet, quòd in auxilio debemus ponere spē firmā, sed nō vt in motiuo formali spei, sed vt in obiectum materiale necessarium: nā in auxilio firmiter spero propter cœleste thesaurū Regni Dei, & propter summū illud bonum, quod mihi cōcupisco, & efficaciter desidero, & vbi est cor meū.

35 Objcit secunda opinio. Obiectum, in quo speramus est mediū, cui spes Theologica innititur: ergo potentia diuina auxiliatrix, est etiā motivū formale spei, prout coniuncta cū summo bono, vt est bonum nostrū. Respondeo distinguendo antecedens; est mediū, cui spes Theologica innititur, vt circunstātiæ, quibus auxilijs, concedo; vt motiuo formali sperandi, nego. Adducit eruditus Lorca plures versus ex Psalmis ad suum intentum; sed iam responsum est.

36 Objcit tertia opinio. Spes formaliter tendit in obiectū arduum: ergo arduitas est motivū formale spei. Respondeo, quòd arduitas, vt probabimus *sect.* 1. nō est nisi conditio necessaria ex parte obiecti motiui, non verò ipsum motivū formale. Quarta opinio, quæ quasi reconciliatiua omnium opinionū esse videtur obijcit. Secundùm omnes illos tres respectus supratactos mouetur voluntas ad actū spei per diuersas bonitates formales: ergo omnes sunt de ratione obiecti formalis. Respōdeo, quòd nō videtur excogitabile, qualiter illi tres respectus, cōueniant in vnū obiectū formale motivū: aliud enim est esse conditionē, & circunstantiā specificantē, & aliud est motivum formale. Fatemur enim respectus ad personam cui speramus, & in quam speramus esse circunstantias, & conditiones necessarias ex parte motiui spei, vt actus spei sit rectè circunstantionatus, vt tetigimus supra *n.* 29. tamen motivum formale est quod asseruimus *num.* 24.

37 Dices: ergo qui speraret in Deo, vel à Deo aliquod bonum creatū, non haberet spē Theologicā. Respondetur, quòd si illud bonū creatū speraret, vt sic præcisè, verum est: si autē illud bonu creatū speraret propter summū bonū consequēdum sibi cōmodum, nego cōsequentiā: tunc enim spes Theologica foret.

38 Objcit P. Franciscus del Castillo pro quinta opinione. Erectè sperare Deū, est distinctus actus, ab actu sperandi in Deum: ergo habent diuersa obiecta formā-

malia præcipuè motiua, sed secundi actus obiectū motivū est diuina promissio, simul cū fidelitate, & omnipotētia: ergò primi actus obiectum motivum solum est Deus sub ratione Deitatis. Antecedens probat exemplo Luciferi, qui præsumptuosè appetiuit, & concupiuit Diuinitatem, dicens: *In cœlum conscendam super astra exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Et similiter Pelagiani, sine meritis ex auxilio gratię appetunt Beatitudinem.

39 Sed bona pace: noster Castillo in primis, argumento isto solum videtur agere cōtra Vazquez, qui omnipotentiam auxiliatricem, & fidelitatē promissionis diuinæ constituebat motivū formale spei Theologicæ; cōtra nos verò minimè facit. Secūdo falsum assumit, quòd actus sperandi in Deum sit distinctus actus, ex parte motiui formalis, ab actu, quo speramus Deū. Nā ideò spero in Deum quia concupisco, & efficaciter desidero mihi Deum, seu spero Deum: ad hoc enim, vt quis erectè speret Deū, sufficit, quòd antecedēter credat fide diuina, Deum esse omnipotentem, & principium auxiliorum, donorumque supernaturalium, & fidelē in suis promissionibus; & hoc assēnsu, & iudicio præeunte, spero Deum, & mihi cōcupisco circunstantionatè: & ex concupiscentia circa Deum, posteà ordinatè spero in Deo, & auxilium ab ipso, vt consequar obiectiuam spem, seu obiectum motivum formale spei: & est doctrina *Tridentin. sess. 6. cap. 6.*

40 Aliud continet Castillo, in probatione sui antecedentis, suppositum plusquā falsum: scilicet, quòd actus inordinatus Luciferi, & Pelagij, & Pelagianorum, quo cōcupiscunt: & appetunt viribus propriis naturæ, Diuinitatem, & Beatitudinē, sit actus spei Theologicę: quod nullus Theologus dicet: sed demus illi esse actum spei Theologicæ, quod negamus firmiter, exinde quid contra nos?

41 Sed obijcies. Deus sub ratione Deitatis, & bonitatis suæ infinitæ est bonus speranti: ergo Deus sub ratione Deitatis est obiectum motivum spei. Et confirmatur; quia Deum esse mihi commodum, & bonum, vel est aliquid superadditum bonitati Dei: & tunc quæro, an sit creatū, vel increatum, hoc nō potest dici, esse superadditum bonitati Dei, & sic, si est increatum non est super additum bonitati Dei, sed est ipsissima bonitas Dei: non potest dici esse creatū; aliàs virtus Theologica haberet pro motiuo aliquid creatum, quod est, secundùm omnes, & nos, falsam: ergo Deus sub ratione Deitatis, & bonitatis suæ præcisè, vt quinta opinio dicit, est motivum formale spei.

Hoc

42 Hoc argumentum, aliquam vim habere videtur, maximè si addamus *Scotum in 3. distinct. 26. §. Ad quæstionē, vers. Hoc falsum est* vbi ait, quòd concupiscere Deum, vt bonum mihi, vel alteri, solum est respectus rationis causatus à potentia collatiua voluntatis: & sic hoc, quod est *mihi, vel alteri, aut cui*, dicit esse conditionem, vel circunstantiā, & hoc non obiecti per se: ergo summa bonitas Dei, vt mihi est bona, & commodum supernaturale, non potest esse obiectum motivum virtutis spei Theologicæ.

43 Nihilominus tamē respōdeo distinguēdo antecedens, incompletè, & inadæquatè, cōcedo; completè, adæquatè, & formaliter, nego; & sic distinguo consequens, incompletè, & inadæquatè, concedo; adæquatè, completè, & formaliter, nego consequentiam. Ad confirmationem dico, Deum esse mihi commodum, & bonum, nihil est additum supra bonitatem Dei, sed aliquid nobis addendū, nobis, vt perfectio formalis inhærens, quod est quid creatum, nempè visio, & fruitio diuinæ essentiæ: & cum dicis, quòd virtus Theologica haberet pro obiecto motiuo aliquid creatum, distinguo; haberet pro obiecto motiuo completo, & adæquato, nego; incompleto, & inadæquato, transeat; quia hoc non est inconueniens, nā ita petit natura virtutis spei, quæ non inclinat præcisè in bonum infinitum secundùm se (sed prout istud tale bonum potest terminare bonitatem, Beatitudinem, & perfectionem formalem supernaturalem sperantis) sed in bonitatē, & formalem perfectionem supernaturalem vltimam sperantis, quæ est nostra completa Beatitudo, quę consurgit ex formali, & obiectiua.

44 Ad illud de Scoto dico: verū esse, quòd appetere Deum, vt bonum mihi, vel alteri, solū est respectus rationis, si *ly*, vt mihi, vel alteri reduplicatiuè sumatur, non verò si sumatur materialiter; quia vt sic est nostra completa perfectio supernaturalis, & completa Beatitudo perfecta. Dices: ergo idē est obiectū materiale primarium, & vt ita dicam, attributionis subiectum spei, ac obiectum formale. Respondeo: concedo.

45 Vltimò obijcies. Desiderare bonitatem Dei, vt mihi bonam, & commodam, cōmutat bonum honestum, in bonum vtile, & sic voluntas sperans est mala, quia vtitur fruendo, referendo illud ad aliud. Respondet Scotus citatus, esse falsum; quia non omnis comparatio vnius obiecti ad aliud, est vsus, nisi quando comparatur, vt minus bonum ordinatum ad aliud, vt ad maius bonum consequendū

per

per illud; sic autem non est in proposito præsenti, sed voluntas comparat summū bonū, vt abundans bonum ad minus bonum, cui liberaliter conceditur, tanquam perficiendum ab eo. Dices: quòd *Scot. §. Ad quæstionem*, in fine dicit; *quòd charitas, & spes, nō distinguuntur ex obiectis*: addens, *esse eandem rationem, formalem vtriusque obiecti, licèt aliquæ conditiones addantur in spe, quæ non adduntur in charitate, ad speciem actus*. Difficilis cōtra nos hic videtur Scotus, & apud neminem vidi citatam hanc authoritatem. Sed potest responderi, consequenter ad ea, quæ diximus Scotum loqui de obiecto motiuo incompletè respectu spei.

CAPVT II.

De actu virtutis spei Theologicæ.

Sectio 1. *Vtrùm actus spei sit voluntatis, vel intellectus, an vtriusque simul?*

46 HÆretici cōfundentes fidem, & spem, dicunt: actum spei, esse actum intellectus ortum, à virtute fidei. Ita Lutherus, & sequuti sunt Lutherum, & hæreticos aliqui Catholici, licèt propter fidem dicant, actum spei, non esse virtutis fidei actum, sed à distincta virtute: conueniunt verò cum hæreticis in eo, quòd actus spei, sit actus intellectus: primus modus hæreticorū est erroneus, & secundus modus appellatur temerarius à *Suario disp. 1. sect. 2. num. 4.* quia nullus Author citatur pro illo: videtur tamen insinuare *Sotus 2. de natur. cap. 7.* & quidam Recentior Complutēsis nomine *Torrexon*, mordicus dum viuebat defensabat. Alius verò moderator Complutensis, qui in pace dormit, nomine *Garbia*, tenuit actū spei, esse intellectus, & voluntatis actum. Alij verò dicunt esse actum voluntatis, sed indistinctum ab actu charitatis.

47 Sed contra omnes istos modos dicendum à nobis est, primo; quòd actus spei est formaliter, & essentialiter distinctus à fidei actu: & consequentèr habitus spei, & fidei realiter, & essentialiter sunt distincti. Ita omnes Catholici, *Scotus dist. 26. §. Ad quæstionem*. Sequunturque omnes eius discipuli, docet *Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 17. art. 1.* vbi omnes eius interpretes, & *Suarez* citatus in suo *num. 2.*

48 Probaturque ex *D. Paul. ad Coriuth. 13. Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, & charitas*. Et *Trident. sess. 6. cap. 6* docet, *quod homo præsuppositā fide diuinā, in spem erigitur*. Et *Aug. cap. 8. Enchir.* ait: *Fides, & spes, non tantum vocabulo, sed rationali differētia, distinguuntur*. Est enim fides de bonis, & malis, præteritis, &

& futuris, ſpes verò ſolum eſt de futuris bonis. Et probatur: quia quis poteſt deſperare retenta fide actuali, & habituali: ergo fides, & ſpes realiter diſtinguuntur. Etenim, ſi ſpes in fidei iudicio conſiſteret, maximè in hoc, *Deus poteſt me ſaluare*, ſed cum illo iudicio poteſt eſſe deſperatio: ergo ſpes, non eſt actus intellectus: alias cum deſperatione poſſet eſſe ſpes, quod implicat.

49 Sed pro hæreticis obijcies. Sperare, nihil aliud eſt, quã credere, hoc fieri poſſe, vel eſſe certò futurum abſolutè, vel ſub conditione, v. g. ſaluabor ſi per me non ſteterit: ergo. Et confirmatur: quia deſperare, non eſt aliud, quam iudicare me non conſequuturum Beatitudinem: non enim eſt deſiderare, me nõ eſſe Beatum: quia qui deſperat, ſæpè vult Beatitudinem, & illã appetit: quia tamen iudicat illã ſibi non futuram, deſperat: ergo in iſto iudicio deſperatio, & ſperatio conſiſtunt. Et vrgetur: quia deſperãtem, non alio modo in ſpem erigimus, quam perſuadendo, vt credat, poſſe ſaluari. Secundo probatur. quia ex ad *Rom.* 8. ſpes debet eſſe certa, & idem eſt ſecunda ad Timoth. ſed certitudo eſt proprietas actus intellectus: ergo. Tandem quia *ad Rom.* 4. *Abraham contra ſpem credidit in ſpem*: ergo ſpes nõ diſtinguitur à fide.

50 Reſpondeo: quod ille actus antecedentis eſt actus fidei in quo fundatur ſpes, & quo erigitur homo ad ſperãdum. Vnde negatur antecedens: & ſic explicatur locus ad *Rom.* 4. de Abraham, vt notaui *Opuſculo de fide in proœmio*. Ad confirmationẽ primã dico: quod qui deſperat, non vult Beatitudinẽ efficaciter, & erectè: quia non credit, ſe poſſe auxilio diuino conſequi Beatitudinem: & ſic licèt in illo iudicio, initiũ deſperationis ſit, tamẽ deſperatio formalis in fuga Beatitudinis conſiſtit, quæ etiam poteſt eſſe abſque illo iudicio. Vnde, & ſi deſperantem, vt non deſperet, perſuademus, quod credat poſſe ſaluari, non eſt, quia in tali credulitate conſiſtat ſpes, ſed quia ſine tali iudicio præſuppoſito, non poteſt moraliter ſperare, & ipſo ſuppoſito, facilè ſperabit; quia fides eſt argumentum, & ſubſtantia rerum ſperandarum. Ad ſecundum argumentum ex ad *Rom.* 8. & 2. *ad Timoth.* 1. dico: quod ſpes dicitur certa, quia nititur vera ratione ſperandi, vel fundamentaliter, & præſuppoſitiuè à fide, qua ſperans prius certificatur, poſsibile eſſe ſibi bonum, quod concupiſcendo ſperat. Ad vltimum iam diximus in proœmio de fide.

51 Dico ſecundo. Actus ſpei nullo modo poteſt poni in intellectu, ſed eſt actus voluntatis tantum. Ita *Scotus* citatus *diſt.* 26. & paſsim repetit; ita vt minus benè *Pater Lorca diſp.* 1. *n.* 2.

quasi oppositam tribuat Scoto; dicendo: non reprobare illam. Hoc enim falsum est: *Nam §. In ista quæstione* in fin. ait: *Via ista non placet, quia obviat authoritatibus Sanctorũ in nitẽtibus dicto Paul. ad Cor. 3.* Estque cõmunis omnium Theologorũ nostra sententia.

52 Probaturque à Suario. Quia si actus spei in intellectu sit, vix, aut nullo modo potest à fide discerni: quia talis actus, si esset intellectus, foret iudicium certum, infallibile, obscurũ, & supernaturale, quæ omnia sunt de ratione fidei; & sic fauetur errori Lutheri, & hæreticorum: ergo ne hoc dicamus, dicẽdum est, quod solum est actus volũtatis. Confirmatur primo. Quia si aliquomodo spectaret ad intellectum, maximè, quia fundatur in fidelitate Dei, iudicando, Deũ futurum esse fidelem in suis promissionibus, sed iudiciũ fundatum in Dei fidelitate, nõ distinguitur à fide: ergo. Probatur minor: quia in Deo fidelitas, & veritas, seu veracitas, completè nõ distinguuntur: nã qui promittit sine intentione adimplẽdi mẽtitur; & similiter, qui bona intentione promittit, sed postea mutatur, deficit, & mentitur; omnia autem hæc sunt contra veritatem: ergo ad oppositum; iudiciũ nitens fidelitati Dei, nititur eoipso veracitati (aliàs fides promissionũ diuinarũ, nõ esset fides, sed spes) igitur nullo modò actus spei est actus intellectus.

53 Confirmatur secundo. Quia iudicare Deum futurum, non esse fidelem, non est desperatio, sed infidelitas, & actus oppositus fidei: ergo iudicare Deũ, futurum esse fidelem, & mihi propicium, proficuum, & auxiliatricem, est assensus fidei: ergo non spei; si aliàs cum Lutheo non sentiamus, quod absit. Nec ob aliud dixit *Paul. ad Rom. 3. Nunquid incredulitas* (idest iudicium contra promissiones Dei, & fidelitati eius oppositũ) *illorum fidem Dei* (idest fidelitatem, & veracitatem diuinarum promissionum) *evacuabit*? ergo iudicium nitẽs promissioni Dei, & fidelitati ipsius, non pertinet ad spem, sed ad fidẽ: & ita spes, nullo modo est in intellectu, sed in voluntate.

54 Tertio confirmatur. Quia non est excogitabile, qualiter actus spei consurgat ex actu intellectus, & voluntatis, cum vnus supponat alium, & non fit aliquid copulativum vtriusque. Deinde actus sperandi includit desiderium efficax boni absentis, & ardui; quia sicut malum futurum timetur, ita bonum speratur: ergo cum actus desiderij pertineat ad voluntatem, sequitur actum spei ad eamdem potentiam pertinere, & non ad aliam.

55 Sed obijcies pro tertia opinione. Actus spei includit certitudinem intellectus, & desiderium voluntatis: ergo spes

est

est aggregatio ex fide, & charitate, & sic actus spei, erit actus pertinens ad vtramque potentiam. Et confirmatur: quia veracitas diuina, est aliquod vnum attributum, quasi, vt ita dicam, consurgens ex duobus, nimirū ex sapientia, & bonitatə attributali, quorum vnum ad intellectum, & alterum ad voluntatem spectat: ergo similiter spes poterit esse vna quædam virtus consurgens ex fide, & charitate; & sic eius actus erit vtriusque potentiæ, scilicet intellectus, & voluntatis.

56 Respondeo: quod actus spei non includit, sed præsupponit certitudinem intellectus, & solum includit desiderium, seu est ipsum desiderium voluntatis; actus autem charitatis, non potest esse desiderium, licet possit illud imperare: & sic intellecto antecedenti negatur consequentia.

57 Ad confirmationem respondeo: quod summa veracitas, & infinita Dei authoritas consurgit ex duplici attributo non per modum actus, sed per modum obiecti motivi complecti respectu fidei; ex duplici incompleto obiecto autem potest consurgere vnum completum obiectum formale motivum; sed ex duplici actu distinctarum potentiarum, vnum actum mixtum cōsurgere, nullus intelligit, qualiter fieri potest, nisi detur tertia potentia mixta ex intellectu, & voluntate: & sic cum talis non detur, actus solum poterit esse, vel tantum intellectus, vel voluntatis tantum præsupponens actum intellectus. Vnde concluditur, quod cum spes non sit actus intellectus, sequitur fore voluntatis tantum.

Sectio. 2. *In quo actu voluntatis cōsistat actus virtutis spei Theologicæ?*

58 TRiplex est actus prosequutionis in voluntate. Primus dicitur fruitio. Secundus est amor, qui abstrahit ab obiecto præsenti, & absenti. Tertius est desiderium circa obiectum bonum absens adipiscendum. Certum ergo est, quod actus spei, non est actus fruitionis: quia fruitio est de obiecto præsenti, & possesso, & spes de obiecto futuro possidendo. Neque similiter est actus amoris propriè dicti; quia hic actus abstrahit à circunstantia futuritionis, vel præsentiæ obiecti, à qua non abstrahit actus spei. Quare relinquitur, quod actus spei consistat in desiderio.

59 Difficultas ergo est: vtrùm actus sperandi addat aliquod supra id, quod sufficit ad desideriū efficax boni futuri? *Mag. Lorca disp. 1. n. 14. 15. 16. & 17.* defen-

dit, spem differre essentialiter à desiderio efficaci. Sed cõtradicitur *Lorca* cum his, quæ docet *disp. 6. n. 10.* quia omnia quæ ibi dicit, firmant sententiam nostrã, & reddunt falsam sententiam, & doctrinam suam relatã. Sequitur *P. Castill. disp. 1. q. 2. n. 4.* citãs pro se *Torres*, *Ægid.* & *Suarium disp. 1. sect. 3.* sed quãtum attinet ad Suarium apertè fallitur Castillo, vt videbimus: citat etiam Scotum, sed falso fundamento.

60 Alij verò vt *Almayn. Gabriel*, & *Caiet.* cum aliis absolutè, & sine distinctione videtur sentire, quod actus sperãdi nihil addit supra desideriũ boni futuri, siuè hoc desiderium boni futuri, sit desiderium inefficax, siuè sit actus desiderij efficacis.

61 A nobis autem videtur dicendum: quod actus Theologicus sperandi non distinguitur essentialiter à desiderio efficaci boni supernaturalis nobis futuri: neque potest esse aliqua differẽtia essentialis inter tale desideriũ, & actũ spei, sed adinuicẽ cõuertuntur, ita quod sit verum dicere, est desideriũ efficax boni supernaturalis nobis futuri, circunstantijs debitis circunstãtionatum: ergo est spes, & ècõtra, fateor, desiderium in communi latius protrahi, & sic licèt valeat dicere est spes: ergo desiderium, non tamen ècontra; est desiderium: ergo spes: quia desiderium inefficax non potest esse verè spes: omne tamen desiderium efficax circa possibile futurum, videtur mihi actus sperandi. Hæc, nisallor, est *Scoti* mens *dist. 26.* locis citatis. Sequunturquè Nominales, & *Suarez disp. 1. de spe sect. 3. à num. 10. & num. 11. citat Caiet.*

62 Probaturquè nostra cõclusio. Primo ex Sanctis Patribus: *Aug. cap. 8. Enchirid. Gregor. hom. 17. in Ezechiel, Chrisost. hom. de Fide, Spe*, & alij, qui tractantes de spe solum per desiderium eam definiunt, neque aliquid assignant, quo spes à desiderio differat. Eodemquè modo *Arist. 2. Rethor.* per desiderium efficax boni futuri possibilis definit: ergo actus sperandi bonum possibile supernaturale nobis futurum nihil addit supra desiderium de tali bono, sed sunt idem realiter, & formaliter. Quod autem respondet *Lorca num 21.* & ex illo *Castillus num. 6.* scilicet Sanctos PP. loqui de spe secundum rationem genericam, & non intendisse definire exactè naturam spei, volutaria solutio videtur; cum illi PP. Sancti, specialiter tractabant de illis virtutibus, & de distinctione earum per suos actus. Quare secũdo videntur respõdere, quod non tacuerunt nomen ardui, seu rationem ardui, licèt non isto nomine, sed alio synonimo: quia ita dicebant spem, esse de-

si-

siderium, vt dicerent, esse circa obiectum bonum possibile futurum contingēter, in quo ponit Castillo arduitatem necessariò requisitam ad spem. Ad Aristotilem respōdet Lorca, quod non excluſit arduum, nec omisſit: quia dicit, obiectum spei, esse quod contraponitur obiecto timoris; in quo rationem ardui, & terribilis paulò antea constituit Aristotiles.

63 Sed contra. Eo ipso, quod desideramus aliquod obiectum possibile futurum, nobis efficaciter cōsequi, eo ipso tale obiectum est arduum: ergo eo ipso, quod aliquis actus voluntatis est desiderium efficax alicuius obiecti possibilis, sibi futuri, eo ipso est spes. Antecedēs probo; quia, vt diximus cum veriori sententia, *cap. 1. sect. 1.* arduitas cōsistit in difficultate consequutionis rei speratæ; quod enim ista difficultas proueniat ex magnitudine rei speratæ, vel ex distantia, vel ex tēporis diuturnitate, vel ex laboribus, vel ex impensis, sine cōtingētia, & incertitudine, sed cum certitudine euentus est arduitati per accidens; quia hoc solum facit obiectū magis, vel minus arduum, quod non variat rationem specificam ardui, sed eo ipso, quod desideramus aliquid efficaciter consequi nobis possibile, & futurū saltim ex diuturnitate tēporis, est difficilis consequutio, maximè in nostro proposito, desiderādo nostram Beatitudinē, vt oportet, cuius cōsequutio, ex magnitudine obiecti desiderati, supra nostras vires est: ergo eo præcisè, quatenus desiderium efficax est talis obiecti, est spes: ergo spes Theologalis nihil addit supra desiderium efficax rectè circunstantionatum circa Beatitudinem supernaturalem.

64 Sed obijcit contra nos Castillo. De ratione intrinseca actus spei est quædā animi erectio, & voluntatis animatio, & animosus voluntatis motus, & asurrectio circa obiectum bonum consequutione arduum, sed de ratione desiderij efficacis non est talis erectio, asurrectio, & animatio: quandoquidem potest quis desiderare aliquid efficaciter sibi futurum certò, sed non arduum: ergo. Confirmat exēplo Christi. D. qui *Matt. 22.* dixit: *Desiderio desideraui, hoc Pascha māducare vobiscum*; quod Christo nullo modo erat arduum: ergo spes distinguitur essentialiter à desiderio efficaci, & supra ipsum aliquid speciale addit, sicut includens supra inclusum.

65 Sed respondeo negando minorem huius argumenti: nā eo ipso quod, quis efficaciter desiderat cōsequi aliquid possibile sibi futurū, desiderat arduū, & difficile secundū magis, vel minus, quod nō variat speciem

ardui, & difficilis, difficultate proueniente saltem ex diuturnitate temporis, etiam si nulla sit contingentia, & incertitudo in futuritione euentus. Ad vltimam confirmationem de exēplo Christi D. negatur suppositum: quia satis nobis ipsa verba explicant, quod in Christo fuerit spes manducandi illud Pascha, dicendo: *Desiderio desideraui*: per quod explicuit vehementē animi erectionem, & voluntatis Christi, animationem, & animosum voluntatis eius motum circa obiectum ex diuturnitate temporis saltim sibi arduum, & difficilè, quamuis sibi constabat certo de certitudine euentus. Ferè eodem modo obijcit *Lorcanu.* 14. sed ex dictis facilè eius obiectiones soluuntur.

Sectio. 3. *Vtrùm actus Spei sit prosequutio ex affectu amicitiæ, an verò ex affectu concupiscentiæ?*

66 VIdetur quod actus spei sit prosequutio amicitiæ, & non concupiscentiæ isto argumento de mente *Scoti in 2. dist. 6 quæst. 2. §. In ista quæstione, vers. Istorum autem.* Omne nolle, præsupponit velle: ergo in voluntate, secundum Scotum, primo est velle, quam nolle, sed ex duobus actibus velle amicitiæ, & cōcupiscentiæ, prius est actus amicitiæ, quam concupiscentiæ, ex *Scoto* ibi: ergo actus spei, est prosequutionis amicitiæ, & non concupiscentiæ; quia originatur, & specificatur ab affectu amicitiæ; vel saltim, vnus, & idem actus, vtrumque affectum includit.

67 Declaratur amplius circa subiectam materiam in actu spei. Nam quando per actum spei prosequor mihi Beatitudinem, illam appetendo, & desirando, vel illam desidero, & appeto, ordinatè, vel inordinatè, & quomodocumque illam mihi appetam, ex affectu amicitię appeto, & prosequor: nam si appeto ordinatè, illam debeo appetere ex complacentia Dei, & ex dilectione ipsius, vt est in se; & sic ex affectu amicitiæ, & amoris, seu charitatis erga Deū. Si inordinatè, ex complacentia mei, & ex affectu amicitiæ, sistendo in me, appeto: ergo actus spei, est actus prosequutionis amicitiæ, vel saltim imbibit vtrumque amicitiæ, & concupiscentiæ respectum. Non enim appetimus nostram beatitudinem, nisi propter Deum, & quia affectu amicitiæ prosequimur Deum: vel inordinatè propter nos, quia affectu amicitiæ nos metipsos prosequimur: ergo, &c.

68 Difficultatem præseferre videtur ista dubitandi ratio. Et potest vrgeri iterum: nam desiderare alijs bona, vt illis bona

na sunt, scilicet Beatitudinem, est opus charitatis ex affectu amicitiæ consequenter: igitur, & sperare nobis Beatitudinem erit opus charitatis, & ortum ex affectu amicitiæ erga nos. Vel vltimo, & ordinatè, & sicut oportet erga Deum: aliàs nostra spes esset opus inordinatum, & nullius momenti: igitur actus spei est actus prosequutionis ex affectu amicitiæ.

69 Nihilominus: quod actus spei, sit actus prosequutionis, concupiscentiæ solius, non tam probant, quàm supponunt omnes Doctores & Scotus citatus *in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem.* Sequitur *Lorca à disput. 1. ad 3. Suarez disp. 1. à num. 2.* sed præcipuè *nu. 10. & 13. & Castillo quæst. 3. nu. 11.* Probant aliqui. Quia actu prosequutionis amicitiæ prosequimur bonum personæ propriam propter se, & non propter aliud, actu verò concupiscētiæ prosequimur bonum propter aliud. Sed ista ratio est falsa: quia dilectio proximi est actus prosequutionis amicitiæ, & tamen illo actu, non prosequimur proximum propter se, sed propter alium, scilicet propter Deū. Secundo: amor mediorum, est prosequutio boni propter aliud, & tamē talis amor non est prosequutio concupiscentiæ, sed eiusdē speciei, ac est prosequutio finis *qui*: ergo.

70 Quod si dicatur: quod in quolibet actu prosequutionis voluntatis reperitur affectus cōcupiscentiæ, & amicitiæ, nam ex complacentia personæ, cui volumus bonum, ei tale bonū volumus. Contra est: quia licèt hoc fieri posset per actum antecedentem, sed non præcisè, & formaliter, per actum, quo volumus illi bonum: & sic actus, quo volumus alicui bonum, præcisè consideratus, non est prosequutio amicitiæ, licèt oriatur interdum ab eo, vel aliquem amorem amicitiæ supponat. Præterea; quia si hoc fieri posset aliqualiter verum, frustra ponerēmus, secundum fidem, tres habitus per se infusos, sed sufficeret habitus fidei in intellectu, & in voluntate habitus charitatis, ad sperandum, & amandum: ergo si fides ponit tres habitus realiter distinctos, etiam tres actus distinctos realiter debemus nos ponere, & sic actum prosequutionis concupiscentiæ in quo collocetur spes, absque eo quod includat formaliter affectum prosequutionis amicitiæ.

71 Quare aliter Thomistæ, & aliqui Scotistæ respondent, & probant. Quia prosequutio amicitiæ respicit alienam personam; spes autem respicit propriam personam, non verò alienam: prosequutio verò concupiscentiæ respicit propriam personam; & sic spes est actus prosequutionis concupis-

centiæ, & non amicitiæ. Assumptum probāt ex *Aristotile* 8. *Ethicor. cap.* 4. docente: *Quod amicitia est mutuus amor inter diuersas personas: & Gregor. homil.* 17. *in Euangelia*, alt: *Quod charitas ad minus, debet esse inter duos.*

72 Sed ista ratio etiam est falsa. Et in primis contra omnes stat illa regula generalis ex Euangelio desumpta, *quod charitas incipit à se ipso*: & sic respectu propriæ personæ est prosequutio amicitiæ. Contra Scotistas verò, adest *Scotus in* 2. *distinct.* 6. *quæstio.* 2. §. *In ista quæstione, versic. Sequitur igitur, & versic. Neque est verisimile*: vbi primum Luciferi peccatum docet fuisse velle inordinatum amicitiæ respectu sui ipsius, quod fuit prima radix Ciuitatis diaboli, vsque ad contemptum Dei, ex *Aug.* 14. *de Ciuitate.*

73 Aristotiles enim, & Gregor. loquebantur de amore amicitiæ, non vt sic, sed iuxta subiectam, & de amore reciproco. Vnde non placet, quod *num.* 4. dicit *Castillo*: scilicet, quod *Aristotiles, & Gregor.* loquuntur de amore amicitiæ oppositio inimicitiæ odio; non placet inquam; quia sicut est amicitia circa propriam personam, cur non sit etiam inimicitia? illud autem quod dicunt, concupiscentiam respicere solum propriam personam, etiam est falsum: quia, vt videbimus, alijs possumus sperare, & tamen actus spei supponitur esse concupiscentiæ: ergo, &c.

74 Nostra verò ratio est. Quia actus prosequutionis concupiscentiæ est, quo volumus bonum, non solum in bonitate eius præcisè sistendo, sed prout est bonum mihi (si ex affectione commodi prosequor) vel alijs (si ex affectione iustitiæ) actus verò prosequutionis amicitiæ est, quo volumus bonitatem personæ absolutam, non referēdo illam ad aliud, sed potius prosequendo cætera propter talem bonitatem ex complacentia formali, in ipsam; sed actu spei volumus bonum, quod desideramus, non sistendo precisè in eius bonitate, sed prout nobis bonū est: ergo est actus prosequutionis concupiscentiæ, & non amicitiæ. Confirmatur: quia, vt benè tenet *N. Felix in sua tentatiua, to.* 1. *tract. de Beatitudine, cap.* 2. *diff.* 8. *n.* 1. *cum Scot.* actus amicitiæ, & concupiscentiæ realiter distinguuntur sicut causa, & effectus: nam ab amore amicitiæ causatur velle concupiscētiæ: ergo nullus actus potest esse simul actus prosequutionis concupiscētiæ, & amicitiæ, sed actus spei nō est prosequutionis amicitiæ tantū: ergo solius concupiscentiæ prosequutionis est actus: aliàs idem habitus infusus sufficeret pro sperare, & amare, quod nō potest dici à Catholico.

Ex

75 Ex his patet solutio ad rationem dubitandi. Fateor enim illum ordinē, inter velle, & nolle, & inter velle amicitiæ, & cōcupiscentiæ; quod amicitiæ sit prior: exinde nō sequitur, quod actus spei sit prosequutionis amicitiæ, nec simul amicitiæ, & cōcupiscentiæ formaliter, sed ad summum concupiscentiæ formaliter, & interpretatiuè, seu virtualiter amicitiæ, aut præsuppositiuè, per alium actum distinctū; & sic ordinatè appeto Beatitudinem supernaturalem mihi, illam sperando, nō solum ex affectu commodi, sed etiam ex affectu iustitiæ, sequendo regulam fidei, aut aliud supernaturale dictamen, ex affectu amicitiæ erga Deum, & ex complacentia Dei per actum charitatis antecedētem, saltim ex auxilio supernaturali elicitum, ad hoc, vt actus spei sit formatus, & non vitietur, non verò, quia id requiratur ad rationem formalē spei. Ad aliud patebit *sect.* 5.

Sectio. 4. *Vtrùm actus Spei procedat à voluntate vt concupiscibili, an vt iracibili?*

76 ALiqui affirmant, pertinere ad iracibilem: citātur *Henric. de Gandabo quodlib.* 8. *q.* 15. *S. Thom.* 1. 2. *q.* 40. *& 2. 2. q.* 16. Quem sequuntur eius discipuli. Cuius fundamentum est: quia obiectū affectionis iracibilis est arduum, sed obiectum spei est arduum: ergo actus spei prouenit à voluntate secundum passionem iracibilis.

77 Sed pro nostra sententia nota, quod licèt in sensibus isti appetitus iracibilis, & concupiscibilis distinguantur magis, quam in voluntate: quia in sensibus est organum diuersum pro iracibili, ab organo diuerso pro concupiscibili, & in voluntate, non sunt organa, sed ad summum, portio inferior, & superior; tamen similes passiones sunt in voluntate: quę passiones distinguuntur inter se: quia concupiscibilis respicit primum appetibile, & fugibile, idest, quod primum natum est, esse conueniens, vel disconueniens: nā in voluntate, secundum partē cōcupiscibilis, sunt duo actus, vnus prosequutionis circa bonum, vt mihi bonum, & alios fugæ circa malum, vt mihi malum, vel alteri. Iracibilis autem respicit, quod secundariò est conueniēs, vel disconueniens, v.g. Cibus est primum appetibile à concupiscibili canis, & carentia cibi est primum fugibile ab eadem cōcupiscibili canis, per quasi velle circa cibum, & per quasi nolle circa carentiam cibi. Impediens consequutionem cibi, vel cibum est secundum fugibile, & ablatio talis impedimenti, vel impediētis est secūdum appetibile ab iracibili canis, per nolle cir-

circa impedimenta, vel impediens cibum, & per quasi velle circa ablationem, & carentiam impedientis.

78 Similiter in voluntatis concupiscibili sunt duo actus: vnus prosequutionis circa primum appetibile, & quod primo natum est, esse nobis conueniens, puta circa Beatitudinem: alter fugæ circa primum fugibile, & quod primo natum est, esse nobis disconueniens, puta carentiam ipsius Beatitudinis. Similiter in irascibili sunt duo actus: vnus fugæ circa illud, quod secundariò est disconueniens, & impediens Beatitudinem, v.g. circa peccata, mundū, dœmonium, & carnem: alter prosequutionis circa illud, quod secundariò est conueniens, v.g. ablationem impedimētorum, & carentiam peccati, &c. Videatur *Scot. in 3. distin. 34. §. His suppositis, & §. Notandum vlterius, & distin. 26. §. Contra illam opinionem.*

79 Hoc posito: dicimus, quod actus spei semper procedit à voluntate, vt concupiscibili, & irascibili. Quod sic ostendo facilè ex dictis; nam omnis, qui sperat Beatitudinem, primo appetit illam, vt primum sibi conueniens, & fugit carētiam Beatitudinis, vt immediatè oppositum malum, primo disconueniens sibi quod pertinet ad partem concupiscibilem; secundariò autem fugit peccata, & impedimenta ad Beatitudinem; & appetit carentiam peccatorū, & cæterorum impedimentorum ad Beatitudinem, quod pertinet ad partē irascibilis: igitur actus spei ferè semper procedit à voluntate, vt concupiscibili, & irascibili. Fundamentum primę opinionis probat, quod cum spes versetur circa bonum arduum (quod consistit formaliter in difficultate, quæ retardat adimpletionem desiderij, seu consequutionem boni concupiti, vt nobis bonum) actū spei prouenire à voluntate, vt irascibili, non verò probat, non prouenire à voluntate etiam, vt concupiscibili. Quia ita prosequor, & concupisco Beatitudinem primo, vt fugiam secundariò impedimenta, quæ difficilem reddunt consequutionem eius. Vel illam reddere possunt difficilem.

80 Vnde adhuc Christus D. secundum portionem superiorem ardenti desiderio mortem Crucis concupiscens, & sperās, secundum portionem inferiorem difficultatem sentiens, hāc infirmitatem carnis promptitudine spiritus vicit; & sic talis actus spei de redemptione futura, vel de morte eius processit à sua voluntate, non solum, vt cōcupiscibili, sed etiam vt irascibili.

81 Ex quo minus verum vi-

videtur mihi placitum nostri *Castilli quæst. 3. num. 13.* dicentis, quod actus spei aliquando procedit à voluntate, vt concupiscibili, & aliquando, vt irascibili: quia vt vidimus semper actus spei procedit à voluntate, vt cõcupiscibili, & irascibili. Si enim ipse ponit arduitatem in contingentia, & incertitudine euẽtus, quæ est conditio includens aliquid mali, quod pronocat ad fugam, in quantum retardat consequutionem rei concupitæ, & quasi illam impediunt, & reddunt difficilem: ergo necessariò est ad actum spei, vincere istam difficultatem erectione animi fugiendo, & paruipendẽdo illam voluntatis animatione, & quædam spirituali à surrectione, vt ipsemet ait *q. 2. n. 5.* igitur actus spei semper procedit à concupiscibili, & irascibili.

Sectio. 5. *Vtrùm actus Spei infusæ sit certus, & quomodo?*

82 CIrca hanc difficultatem cõueniunt omnes, quod actus spei sit certus non rigorosa, & propria certitudine, sed fundamentali, & præsuppositiuè; quia nititur iudicio fidei infusæ infallibili, & certo. Est ergo difficultas: Vtrùm spes certa sit, quia nitatur iudicio fidei de possibilitate tãtum obiecti sperati, an quia nitatur iudicio fidei de futuritione Beatitudinis promissæ à Deo. Nam Valencia, & alij docent primũ, sed sine fundamento. Quare nos dicimus, cum communi sententia, secũdum, ita *Lorca disp. 9. Suarez disp. 1. sect. 7. Torres disput. 64. dub. 2. Ægidius disp. 19. dub. 7. Pityg. in 3. dist. 26. art. 1.*

83 Et probatur: quia desperatio non est de obiecto, quia est impossibile, sed de obiecto, quia non persuadetur, vt futurum aliqua via: ergo à contrario, spes nititur iudicio de futuritione obiecti promissi à Deo: no enim erigitur animus ad sperandum, eo præcisè, quia præsupponitur obiectum merè possibile, sed quia proponitur, vt futurum: ergo actus spei est certus, & firmus, quia nititur assensu fidei de obiecto futuro, & à Deo promisso.

84 Maior difficultas est. An illud iudicium de futuritione obiecti sperabilis sit absolutum, an verò conditionatum? Nam Lutherani dicunt, præcedere hoc iudicium absolutum de absoluta futuritione obiecti sperabilis; *ego saluabor.* Sed hoc est dãnatum: quia nullus est certus de sua fide, nec de sua spe, nec de sua gratia, neque de sua prædestinatione, absque speciali reuelatione.

85 *Almaynus autem lib. 2. moral. cap. 3.* ait, quod requiritur ad sperandum illud iudicium, *ego saluabor*; dicit tamen, non esse

esse supernaturale, nec fidei infusæ. Fundamentum esse videtur, etiam Lutheranorum. Quia nullus desperat, nisi, quia habet hoc iudiciũ, scilicet *non saluabor*. Sed contra obijcit *Suarez sect. 7. num. 2.* Quia illud iudicium est naturale: ergo est impossibile, quod fundet spem firmam, & supernaturalem. Et confirmatur; quia tale iudicium potest esse temerarium, & frequenter imprudens: ergo spes in eo fundata esset temeraria, imprudẽs, & præsumptuosa, falsa, & formidolosa, & sic non firma.

86 Quare *Vazquez 1.2. disp. 210. cap. 4. & 5.* ait, vtramque certitudinem requiri, saltem in prima hominis iustificatione, & sic ad spem ponit duo iudicia; vnum fidei Catholicæ, quo conditionatè iudicamus diuinas promissiones nobis fore adimplendas, si per nos non steterit; & aliud ex fide particulari, quo credimus certò, & absolutè, Deum nobis daturum auxilia congrua, & sufficientia ad consequendam Beatitudinem, & in istis duobus iudicijs fundatur certitudo absoluta ipsius spei. Ferè eodem modo philosophare, videtur *Suarez disp. 1. sect. 7. à num. 3. & Lorca disp. 19. num. 5.* in fine. Itaque secundum istos Authores, iudicium, à quo spes habet certitudinem, est absolutè certum, quoad medium sufficiens consequutionis obiectiuæ spei, & conditionatum respectu consequutionis absolutè obiecti spei.

87 Quod si obijciamus eis; non esse de fide, quod auxilium sufficiens datur omnibus indifferenter, quia est sub opinione positum: ergo adhuc respectu auxilij sufficientis illud iudiciũ non est absolutum, seu absolutè certum: nam si respondeatur, esse certissimũ, & de fide, quod non denegatur facienti, quod est in se. Contra est: quia in primis, non est certum absolutè, & indifferenter homines facere, quod est in se. Secundo: quia faciẽti, quod est in se ex auxilio gratiæ, certum est, Deum non negare auxilium aut gratiam: tamen nullus certo scit, an ex auxilio gratiæ faciat, quod est in se: ergo, adhuc respectu auxilij sufficientis, illud iudicium, non est certum absolutè, sed conditionatè, si fecerim, quod in me est. Respondet *Suarez num. 4.* esse de fide, concedi omnibus indifferenter, auxilia sufficientia, vt si velint, possint certam facere suam salutem; quia nisi quis prius Deum deserat, Deus non deserit ex Tridentino.

88 Sed obijciamus eis. Auxilia sufficientia dantur ad posse, cum eis tamen non operabitur: ergo ex iudicio de futuritione absoluta eorum, non efficitur satis firma, & certa nostra spes: siquidem illis solis positis non

non operabitur infallibiliter, & certo consequutio nostræ Beatitudinis: quia solum dat posse, & nō operari; & sic fides, in qua spes fundatur, tantum videtur respicere euentum, & obiectum spei, vt possibile, non verò, vt futurum, vt dixit Valencia.

89 Quare à nobis videtur dicendum; quod ad spem, & ad certitudinem eius firmam, & infallibilem, solum requiritur illud iudicium secundum certitudinē, infallibilitatem, & firmitatem, quæ per fidem infusam præstari potest. Cum autem certitudo hæc sit non omnino absoluta, sed conditionalis; hinc fit, quod spes est certa, quatenus nititur, & fundatur in iudicio, & assensu fidei absolutè certo de futuritione (& non solum de possibilitate) conditionata obiecti spei. Nam Deus, nō promisit absolutè dare nobis Beatitudinem, remissionē peccatorum, gratiam, &c. sed conditionatè: ergo quando speramus Beatitudinem, licèt firmiter illam speremus, non tamen certo absolute futuram esse nobis, nisi sub conditione illa inclusa in iudicio, & assensu fidei absolutè certo, quo assentimur, & credimus, promissionem reuelatam nobis à Deo daturum se nobis Beatitudinem, si mandata eius custodiamus: in quo iudicio firmatur spes: aliàs infructuosè doceret *Paul. ad Philipenses 2. Vt metu, & tremore operemur nostram salutem.* Legatur *Tridentinum sess. 6. cap. 13. 15. & can. 16. & 23.*

CAPVT III.

De virtute, seu habitu Theologali Spei.

Sectio. 1. *Vtrùm Spes sit verè, & propriè virtus infusa, & Theologica?*

90 CONueniūt omnes Catholici, & firmiter de fide tenent. Habitum, seu principium spei esse verè, & propriè virtutē Theologicam à fide, & charitate distinctam. Ita *Scot. in 3. dist. 26 §. Ad quæstionem.* Licèt non defuerint hæretici, qui negauerint talem virtutem; eo quod dicebant actum, spei esse vitiosum, inordinatum, & sine honestate. Ita *Vigantius Cathaloniæ, Lutherus,* & alij sequaces, vt refert *Bellarmin. 6. de iustific. cap. 8.* atque inter Catholicos *Durand. in 3. dist. 2.* asserens spē, non esse rigorosè virtutem, sed generali quadam ratione, quatenus principium actus boni; & fauent omnes illi, qui ad bonitatem cuiuscunque actus requirunt informationem charitatis, & sic actus spei non est actus virtutis secundum istos, per ordinem ad habitum spei, sed per ordinem ad habitū charitatis,

à

à qua informantur actus spei. Ita Ariminensis, vt refert *Lorca*.

91 Cæterum; pro resolutione nostræ difficultatis dico primo cõtra illos hæreticos. De fide est, actum spei, quo speramus Beatitudinem esse bonum, & honestum, & intuitu retributionis speratæ operari, licitum esse, & pium. Ita definit *Trident. sess. 6. cap. 11. & can. 31.* his verbis. *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema sit.* Aliàs *David Psalm. 118.* Malè feciſſet inclinando cor suum ad faciendas iustificationes propter retributionem: & mala foret Dominica oratio, vbi dicimus: *Adueniat Regnum tuum.* Item ad *Galat. 6.* exhortamur, *vt bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus*, & ad *Colosens. 3. Quodcumque facitis, ex animo operamini scientes, quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Et Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum, & cap. 6.* per totũ, vbi dicitur: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.*

92 Et ratio est clara, & euidens de se. Quia honestum, & bonum est ex suo genere, velle mihi salutem corporalem ordinatè, & illam procurare, operarique intuitu eius. Imò est obligatio: ergo multo magis erit bonum honestum, & obligatorium, velle nobis vitam, & salutem spiritualem æternam, & intuitu illius operari, eo modo, & medijs sicut oportet, & vt Deus ipse decreuit, dare nobis. Ita probat *Scot. in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem*, vbi mouet, & resoluit nostrum dubium.

93 Sed obijciunt hæretici: quod *Ioann. 10.* reprehenduntur mercenarij, sed qui spe mercedis operantur, mercenarij sunt: ergo actus spei vitiosus, reprehensibilis, & inhonestus est, & consequenter spes non est virtus. Et confirmant ex *Bernardo lib. de diligendo Deum*, vbi docet: quod vera charitas, nõ est mercenaria: omnis enim actus honestus debet fieri, propter gloriam Dei, vt inquit *Trident. sess. 6. cap. 11.* illis verbis: *Vt in primis glorificetur Deus*: sed actus spei consistit in bonum, & commodum nostri: ergo nõ est moraliter bonus: ergo spes non est virtus. Vtimur enim Deo, per actũ spei, quo frui debemus, sed vti fruendis est vitium: ergo etiam actus spei: ergo habitus ad illud inclinans non est virtus.

94 Sed respondeo: quod loco Ioan. citato reprehẽdũtur mercenarij, qui operantur mercedẽ, non sicut oportet, sed, vt fures, & latrones, magis quærentes gloriam suam, quã gloriam Dei: imò gloriam suam externã, & temporalem vanitatẽ, magis, quam vitam, & gloriam æternam; non verò de mercenarijs, qui

qui intuitu mercedis æternæ operantur sicut oportet.

95 Ad confirmationes respõdeo: verum esse, quod, vt actus spei sit honestus ex omni circũstãtia; debet dicere ordinem ad charitatẽ, & ad primum obiectum charitatis; sed iste ordo est duplex: vnus formalis, & expressus: alter virtualis: primus, est maximæ perfectionis, sed non necessitatis; sufficit enim secũdus, vt actus sit perfectè circunstantionatus. Qui ergo expresso affectu Dei glorificationem excludit, appetendo scilicet magis suã Beatitudinẽ propter cõmodum sui, quã propter glorificationem Dei, & propter Deum; ita, vt si merces, non esset, non custodiret leges Dei, iste inordinatè speraret, vitiosè, & non ex virtute. Si verò appetat Beatitudinẽ, sine illo expresso affectu, aut sine aliqua circũstantia, quæ desiderium detrahat à tali ordine, honestè, & benè moraliter sperat, & ex opere operato, vt ita dicam, ordinatè; quia talis actus ex sua natura, est bonus, & intrinsecè ordinatus ad bonum finem.

96 Vnde Bernardus; solũ vult, quod actus charitatis, non est mercenarius, ideſt, non est actus spei: & sic solum vult distinguere spem à charitate, quod charitas nulli ordinatur, aut subordinatur, sicut merces, & spes: non tamen vult dicere, actũ spei esse vitiosum: & quando Tridentinum vult, *vt in primis glorificetur Deus*; nõ exigit expressum charitatis affectũ, sed prohibet expressum affectum, & aliam circunstantiã, quibus merces præferatur gloriæ Dei: quia sic, vtimur fruẽdis, non verò aliter, vt docet *Scot. dist. 26. §. Respondeo non omnis.*

97 Dico secũdo. Habitus spei est propriè, & verè virtus infusa, & Theologica, distincta à fide, & charitate. Ita omnes cũ *Magistro in 3. dist. 26. vbi Scot.* citatus. Et quod sit vera, & propriè virtus, probatur contra Durandũ. Quia actus spei est bonus, & honestus: ergo procedit ab aliquo habitu, & principio, quod verè virtus sit. Consequentia est legitima: antecedens solum negant hæretici: ergo Catholici tenemur fateri consequentiam.

98 Sed obijcit Durãd. Quia virtus vera, & propria, est principium optimi actus possibilis, sed sic nõ est spes: ergo nõ est virtus. Maiorem probat *Durand. ex Aristotil. 2. de cœlo cap. 11. vbi* ait: *Virtus est vltimum potentiæ, & 7. Physicorum text. 17. Virtus est dispositio perfecti ad optimum*: ergo virtus propria debet esse principiũ disponẽs subiectũ in vltima perfectione possibili ad vltimum actũ, qualiter non est spes.

99 Respondeo: quod ista opinio est improbabilis: quia singularis, & ex ea sequitur, solã cha-

charitatem esse virtutem: imò in via nulla esset vera, & propria virtus: quia in via nulla disponit subiectum in vltima perfectione possibili, sicut lumen gloriæ in Patria: & sic non esset virtus iustitiæ, temperantiæ, castitatis, &c. Falsa igitur est maior argumenti Durandi. Aristotiles autem, in primo loco, loquitur, de virtute, non pro habitu, sed pro potentia naturali. In secundo loco, interpretandus est *ly ad optimum*, non absolutè superlatiuè, sed respectiuè, & comparatione actus in tali genere, & specie eliciti, sine tali virtute, & habitu.

100 Quod autem sit Theologica, & infusa, patet ex dictis: quia est principium actus, qui viribus naturæ non potest elici ab homine, & inhæret animæ circa obiectum, quod est ipse Deus immediatè, vt dixi supra *cap. 1. sect. 3.*

Sectio. 2. *Qualiter Spes comparanda sit cum Fide, & Charitate?*

101 CIrca hoc dubiũ omitto plura, quæ ex dictis *Opusculo de fide 1. part. disp. 3. cap. 1. sect. 3.* resoluta manent. Et sic breuiter dicẽdum est; virtutem spei, ordine perfectionis, esse priorẽ omnibus virtutibus moralibus; propter ipsius supernaturalitatem, & ex suo genere, seu obiecto. Et similiter est perfectior fide infusa. Quia ista inclinat ad actus intellectus, spes verò, ad actus voluntatis, qui sunt perfectiores. Non est tamẽ, prioritate ista, prior charitate. Quia ista respicit Deum, vt in se bonum, & spes, vt nobis commodum, & bonum. Ordine autẽ generationis fides est prior, & posterior charitas, & spes tenet medium. Itaque in prima iustificationis infusione omnes simul infunduntur cum illo ordine.

102 Quod non est ita ex natura rei, vt aliter à Deo non possit disponi. Post iustificationem autem possunt manere fides, & similiter spes, sine charitate: quamuis charitas, & spes, non possint manere sine fide; quia earum fundamentum: potest tamen manere fides amissa spe: quia spes amittitur peccato desperationis, & fides peccato infidelitatis; & potest quis credere, & desperare per positiuã nolitionem Beatitudinis. In his omnibus conueniunt Scholastici, quæ magis supponunt, quam disputẽt. De augmento autem, & corruptione virtutis spei, eodem modo proportionaliter dicendum est, ac diximus de habitu fidei *1. part. disp. 3. cap. 1. sect. 6. & 7.* videantur.

Se-

Sectio 3. *In quo examinantur aliqua dubia, & difficultates circa præsens caput?*

103 PRima difficultas est: circa honestatem, & bonitatē spei. An spes vitiari possit? Respondeo; posse vitiari, saltim aliqua circunstātia extrinseca: imò ex fine, & circunstantijs, v.g. si quis, quando tenetur audire cōfessiones, vel dare operam rei sibi, hic, & nunc præceptę incompossibili cum actu fidei, seu spei, omitteret rem præceptam, vt eliceret actum spei: vel si quis cum aliquali pręsumptione speraret, vitiosè speraret.

104 Secunda difficultas est. Vtrùm primus actus spei causetur ab ipso habitu, in homine, qui illum non habeat? Respondeo, quòd non: sed causatur ab auxilio: vt in simili dixi *tract. de Fide*, loco supra citato, *sect.* 4.

105 Tertia difficultas est. Qualiter charitas sit forma spei? Et respondeo sicut dixi loquendo de fide, quòd solum est forma moralis: quatenus per ordinē ad charitatē habet acceptabilitatē. Quarta difficultas est: vtrùm spes possit esse informis? Et respondeo affirmatiuè: vt patet in homine peccatore, qui verè sperat, sed tamen non habet charitatē.

106 Quinta difficultas est. An detur spes acquisita diuina, distincta à spe infusa? Respondeo affirmatiuè: & videtur satis expressum in *Scoto 3. dist. 26. §. Ad quæstionē, vers. Tertia immediatè.* Vbi nō solum fidē diuinam acquisitā, sed spem acquisitam diuinā ponit. Vtrùm autē spes acquisita diuina generetur ex actibus fidei infusę; seu ex repetitione talium actuum: an verò ex repetitione actuum naturalīū circa obiectū formale ipsius habitus per se infusi spei? *Lorca* negat *disp. 5. n. 5.* quia actus supernaturales, nō sunt apti ad generandū habitū; & actus naturales, qui de istis obiectis possūnt fieri, sunt inefficaces. Cęterum Lorca gratis hoc profert, & sine fundamēto: nā licèt actus fidei infusæ, seu spei infusæ non sint apti ad generandum habitum eiusdem rationis, & naturæ cum illo, à quo ipsi eliciuntur actus, possunt tamen generare habitum acquisitū imperfectioris naturæ. Deinde si Lorca fatetur, posse dari actum naturalem circa obiecta formalia virtutū Theologalīū; quare non concedat etiam habitū, cum vtrobique sit eadē ratio, & difficultas? Et si dicas, quòd tunc fides, & spes diuina acquisita, foret virtus Theologalis. Respondet Scotus; quòd vt aliqua virtus, sit Theologalis, requiritur, quòd sit per se infusa, & quòd aliter non possit haberi, nisi per infusionem immediatè à Deo.

107 Sexta difficultas est: vtrū spes circa creaturas sit honesta;

ideſt, vtrùm ſperare in alijs, præterquam in Deo, ſit licitum? Negant hæretici Recentiores ex illo *Hieremiæ* 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine. Lorca disp. 5. n. 6.* ait, eſſe habitum ſpei acquiſitæ circa obiecta naturalia, quæ ſecundùm rectam rationem intra ordinē naturæ, à Deo, vel ab hominibus poſſunt ſperari honeſtate. Vnde ſecundùm Lorcām; ſpes circa creaturas, nō eſt infuſa, ſed acquiſita; ſed non videtur inconueniens, quòd ſpe infuſa ſperemus licitè, & honeſtè, conſequi à Sanctis Beatitudinem: taliter, quòd non ſperemus præmium, ſeu Beatitudinem ab eis, vt à cauſa principali Beatitunis, ſed vt ab inſtrumentis impetrantibus; & ſic ſperamus in interceſsionibus B. V. Mariæ, & Sanctorum, & in prædicatione, & in adminiſtratione Sacramētorum à miniſtris eorum vitam æternam. Imò in noſtris meritis, vt ſic erit licitū, ſperare præmium cum metu, & tremore, & humilitate. Ad fundamentum hæreticorum reſpondeo, quòd Hieremias eſt intelligendus de confidentia præmij in homine, vt in principali cauſa præmij; nō verò, vt in cauſa inſtrumentali, & impetratoria ad ipſum Deū; quia hoc modo ſperare, non eſt preferre creaturam Deo, ſed potius recognoſcere ſupremam Dei virtutem, & omnipotentiam.

Sectio 4. *Vtrùm virtute ſpei, poſsimus bona alijs, ſperare?*

108 QVamquam, vt vidimus *cap. 1.* æterna Beatitudo ſit obiectum primarium ſpei; nihilominus ad alia obiecta hæc virtus extenditur, quæ ſecundaria, & minus principalia ſunt, & ratione Beatitudinis appetūtur, & ſperātur. Quæ obiecta ad duo genera reduci poſſunt. In primo cōtinentur omnia dona gratiæ, quæ ſunt propriè media, quibus conſequimur obiectum primarium ſpei; in quo genere præcipuè continetur remiſsio peccatorum per Chriſtum, vt cōmemorat Tridentinū *ſeſs. 6. cap. 6.* In ſecūdo genere ſunt dona naturalia, & temporalia bona, in quantū ordinari poſſunt, vt prędeſtinationis effectus, & vt ſic pertinere poſſunt ad obiectū materiale ſpei acceptæ in tota ſua latitudine, & extenſione. Vnde *Aug.* primam partem orationis Dominicæ ad bona temporalia etiam accommodat, & ad virtutem ſpei in *Enchiridio cap. 14.* De his ergo bonis abſolutè quærimus: vtrùm virtute ſpei poſsimus ea alijs ſperare?

109 Nam prima ſententia negat, dicens: quòd ſperare alijs, vel deſiderare bona alijs, pertinet ad virtutem charitatis, vel beneuolētiæ ſupernaturalis, quæ eſt amor erga proximum charitate inferior. Huius ſententiæ

ſunt

unt *Vazquez 3. part. disput. 43. n. 6. Becan. cap. 17. q. 2. Hurtado Complutensis, disput. 1. diff. 5. Ægidius disp. 19 dub. 5.* Tenet *Suarez*, licèt non absolutè *disp. 1. sect. 3. à n. 16.* Tenentque aliqui Scotistæ citantes Scotũ, sed non benè, inter quos *Vrbina cõtrouers. 1. q. 7.*

110 A nobis tenendum est: quòd virtute spei, verè, & propriè possumus sperare alijs bona. Est expressissima mens *Scoti in 3. dist. 26. q. vnic. §. Ad quæst.* vbi spei actum definit; *esse desiderare bonũ infinitũ in esse nobis*: vbi explicans illud *in esse nobis bonũ*, dicit, quòd est circunstantia debita *cui, quia istud bonum est debitũ illi, cui appetitur, esse bonum*: vbi nõ restringit circunstantiam *cui*, & *nobis*, sed indifferentèr supponit, pro me, & pro alijs. Vnde consequenter Scotus, *vers. Hæc etiã virtus*, ait: *Quia enim desidero infinitũ, vt mihi bonũ, vel tali, vel tali, non tollitur, quin desiderẽ illud, vt obiectum spei*: ergo desiderare alijs bona, potest in sententia Scoti expressa, esse actus spei. Legatur *Vers. Respõdeo nõ omnis*, legatur etiã *§. Ad argumenta pro prima via, ve §. Sed tunc obijcitur*: vbi ex sua doctrina infert Scot. legitimè hãc cõsequẽtiã, *igitur desiderare alterum proximo bonũ erit actus spei eiusdẽ rationis.*

111 Respondent Scotistæ, quòd Scotus prosequitur illã illationẽ, dicens: *Imò quòd plus est, velle bonũ præsens eiusdem rationis B. Petro, erit actus spei, quod est absurdũ*: & sic tota illatio est absurda, inquiunt Scotistæ in sentẽtia Scoti. Sed certè ly *quod est absurdũ*, solũ appellat supra secundam partẽ illationis: quia cum vna ex cõditionibus requisitis ad obiectũ spei est, quòd sit futurum, & arduũ, quod non potest verificari de bono præsenti, & possesso; hinc absurdum est, dicere, quod velle bonũ præsens, & possessum ab aliquo illi sit actus spei. Vnde, quia responsio erat facilis, cõcedendo primam partem sequelæ, & negando secundam ex dictis ab ipso: ideò dicit ibi Scotus: *Responsionem quære.* Cætera autem, quæ sequũtur, vsque ad *§. Ad primũ principale*, est additio aliorũ.

112 Nostrã sententiã sequũtur *Lorca disp. 2. dub. incident. n. 3. cũ D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 3. & 4. & de virtutibus art 4. §. 4. & 3. p. quæst. 3. art. 4.* Et alij Expositores, vt *Caiet.* Sequitur *Almain. 2. Moral. cap. 7.* Ex nostris *Castillo q. 8. n. 4.* Et probatur ratione euidẽti à paritate. Quia virtute fidei credimus eadem, quæ ad nos, & ad proximos pertinent: & eadẽ virtute charitatis, diligimus proximos, & nos metipsos: ergo eadẽ virtute spei, nobis, & proximis sperare possumus, vel reddatur discriminis ratio? vt inquit *Doctissim. Lorca.*

113 Poterit respõdere Scotista, *quòd charitas perficit voluntatẽ, in quantũ est affectiua affectione iustitiæ, & spes in quantũ est affectiua affectione cõmodi*: secundũ quã affectionẽ, appeto bonũ, vt solũ mi-

mihi bonum, non verò, vt alijs bonũ, vt inquit *Scot. §. Ad quæstionem, vers. Dico igitur in 3. dist.* 26. Latuit ferè omnes Scotistas hæc solutio, & apud neminẽ vidi. Sed contra: quia Doctor Subtilis hic no loquitur de istis affectionibus secundũ modum cõmunem intelligendi eas, sed in quodam lato modo, & in quantũ affectio iustitiæ indicat charitatis inclinationem; quæ (vt ait Apostolus 1. *ad Corinth.* 13.) benigna est, patiens, non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, no est ambitiosa, sed in bonitate absoluta summi boni iustit, nõ referendo illam ad aliud. & hoc est, charitatem perficere *voluntatem, in quantum est affectiua affectione iustitiæ.*

114 Per affectionem autem cõmodi indicare vult Scot. (nõ illã, qua voluntas aliquid appetit præcisè, prout est, quidam appetitus intellectualis, similis appetitui sensitiuo, quo solũ appetitur, quod sibi soli est cõueniens, sicut vitus, solũ sibi appetit pulchrum, & gustus dulce: alias actus spei inordinatus foret, quia non sequeretur regulã infusam) propriam virtutis spei inclinationẽ, quæ respicit summum bonum, vt commodum, seu bonum alijs (licèt ex imperio charitatis per actum distinctum referatur hæc bonitas relatiua ad ipsam bonitatem absolutam in se) & hoc est, spem perficere voluntatẽ, in quantum est affectiua affectione commodi, quia per hoc sufficiẽter erunt distinctæ charitas, & spes. Vnde argumentum manet in suo robore: quod sicut virtute charitatis diligimus proximos, & nos, ita virtute spei desideramus, quod nobis, & alijs est conueniens, bonum, & commodum, & fugimus oppositum.

115 Secundo probatur nostra cõclusio. Nam actus, quo desideramus alijs Beatitudinem, est supernaturalis: ergo pertinet ad aliquã virtutem infusam: non ad fidẽ, vt satis cõtra hæreticos probatum est; non ad charitatẽ: quia homo existens in peccato, potest sperare, & desiderare efficaciter alijs Beatitudinẽ actu supernaturali, & non per hoc iustificatur ille homo, sed manet in peccato: ergo non est actus charitatis: quia actus charitatis est vltima dispositio ad iustificationẽ. Dicere autẽ quòd est actus virtutis beneuolẽtiæ inferioris charitate, est multiplicare sine causa virtutes infusas Theologales, & contra Paul. & Concilia, maximè Tridentinum: ergo dicendum est, quòd sit actus propriè, & verè virtutis spei.

116 Et confirmatur: quia 2. *ad Corinth.* 1. dicit Paulus: *Spes nostra firma est pro vobis, scientes, quòd sicut socij passionum estis, sic eritis, & consolationis*, scilicet Beatitudinis æternæ: & ad *Philip.* 1. *Confidẽtes hoc ipsum, quia qui*

cæ-

cæpit in vobis bona, perficiet; sed hęc omnia intelligũtur de ſpe ab omnibus: ergo ſunt intelligenda de actu virtutis ſpei verę, & propriæ: quia non eſt manifeſta repugnãtia ex ſentẽtia Auguſtini.

117 Confirmatur ſecundo. Quia ſecundùm *Auguſt. ſerm. 11. de verbis Domin.* de nullius ſalute eſt deſperandum, dum viuit: ergo eo eſt, quia poſsibilis eſt deſperatio de ſalute alicuius: ergo etiã propriè eſt ſpes circa alios: qui enim ſine cauſa de ſalute alicuius, quẽ amat, deſperaret, non peccaret contra charitatem, nec contra fidem, ſed contra ſpẽ directè peccaret: ergo poteſt, conformiter ad virtutem ſpei, & ſecundùm eius inclinationẽ, ſperare alijs bona; quæ ſunt ſpei obiecta.

118 Tandẽ probatur à priori ratione Scoti. Quia actus, quo deſidero mihi Beatitudinem, & quo alijs deſidero, habent idem obiectum formale cum eiſdem ſpecialibus circunſtantijs, & cõditionibus obiectiuis, poſsibilitatis, abſentiæ, futuritionis, & arduitatis; quod enim mihi, vel alijs, tali, vel tali deſiderem, non variat, nec tollit, quin deſiderẽ illud obiectum, vt obiectũ ſpei: ergo virtute ſpei deſiderare poſſumus alijs. Quæro enim ab aduerſarijs, quare deſiderare mihi Beatitudinem, nõ oriatur à charitatis virtute, ſicut, in eorũ ſententia, deſiderare alijs oritur, vel à beneuolentia? Imò magis cum charitas incipiat à ſe ipſo: ergo ſicut deſiderare Beatitudinẽ, vt mihi bonam, eſt actus virtutis ſpei, & non charitatis, etiam ſimiliter reſpectu aliorum.

119 Addo pro confirmatione noſtræ doctrinæ expreſsiſsimè *Scotum in 3. diſt. 26. §. Ad primum principale*; vbi docet: *Quòd voluntas attingit affectione iuſtitiæ immediatè Deum per actum amicitiæ, vt eſt bonum in ſe, & affectione cõmodi per actum concupiſcentiæ, vt eſt bonum huic*: ergo affectione commodi, non ſolum mihi, ſed & alijs poſſum deſiderare, & ſperare *ordinatè*, vt ait *Scot.* infra immediatè, *verſ. Ad quartum dico*.

120 Sed obijciunt contra nos Authores oppoſiti. Primò *Aug.* qui *cap. 3. Enchiridij*, ait: *Spes non eſt, niſi earum rerum, ad eum pertinentium, qui earum ſpem genere perhibetur*. Reſpondeo: quòd *Auguſt.* per hoc ſolum intendit, quòd nõ poſſumus ſperare alijs, id quod nobis nõ poſſumus ſperare, non verò vult abſolutè, quod alijs nõ poſsimus ſperare. Obijciunt ſecũdo. Velle alicui bonũ, eſt actus amicitiæ: ergo nõ eſt actus ſpei, ſed charitatis, aut beneuolentiæ. Reſpõdeo, quòd antecedens eſt falſum, ſicut falſum eſt, quod, velle mihi bonum eſt actus amicitiæ, prout præcisè terminatur ad bonum, vt mihi, & alicui bonum eſt.

121 Dices: ex complacentia personæ proximi, vel ipsius bonitatis Dei, desidero, & volo proximo Beatitudinem, scilicet propter Deum, sed hic actus est charitatis: ergo. Respõdeo, quòd hic sunt duo actus; vnus quo volo, velle proximo Beatitudinẽ, vt bonum ei, propter Deum, & hic actus est charitatis, imperans actum spei: alter est, velle ipsum Beatitudinis, vt bonæ proximo, & iste est spei: aliàs, nec mihi possem sperare: quia idem fieri potest argumentum respectu mei, ac respectu aliorum, qui non sunt ego; nam ex complacentia Dei, etiam mihi volo Beatitudinem.

122 Obijciunt tertio. Per quodcumque desperationis peccatum amittitur spes, sed desperãdo de salute aliorum nõ amittitur virtus spei, dum quis non desperet de propria salute: ergo est: quia virtute spei alijs nõ speramus. Respõdeo concedo maiorem, & nego minorem; nam desperando de salute aliorum, spes de propria salute, non est ex virtute spei supernaturali, sed spe acquisita, & solum humana, incerta, & falsa.

*
*****
****
*****
*

CAPVT IV.

De subiecto in quo datur Spes Theologalis.

Sectio 1. *Vtrùm in Beatis detur Spes Theologalis?*

123 SVpponitur in præsenti capite, quòd in Deo non est spes, quia nullum obiectum est illi arduum, sed omnia possidet, vt Dominus omnium. In viatoribus autem Catholicis dari etiam, supponitur: loquendo verè de viatoribus hæreticis magis certum est ipsos esse mercenarios, & non habere actum, nec habitum spei Theologalẽ; quia de facto non habent fundamentum fidei, in qua spes solidatur; quamuis sperent spe aliqua acquisita: imò poterit esse, quod faciant ex auxilio Dei aliquando aliquem actum spei supernaturalẽ. Dices: Deo est difficile consequi à nobis bona nostra opera, quæ desiderat fore, sed arduitas in difficultate, orta saltim ex diuturnitate temporis consistit: & præterea nobis desiderat Beatitudinem Deus, vt nobis bona est, & consequenda per opera meritoria nobis difficilia: ergo in Deo datur spes. Respondeo, quòd nihil eorum respectu Dei, est difficile: quia ita omnia subsunt suæ potestati, vt quomodo vellit, & quando vellit, illa esse, erunt:

erunt: & si sunt futura, est, quia ipse vult, & si sunt nobis difficilia, respectu nostri erunt ardua, non verò respectu Dei, qui omnibus dat ad superandas difficultates.

124 Tertio supponitur: quòd in Beatis circa gloriam essentialem animæ, non est spes. Quia de re possessa præsenti, non potest esse spes: vt potè deficiunt omnes circunstatiæ, & conditiones, requisitæ, & necessariæ ad actum virtutis spei, ex ad *Rom.* 8. vnde consequenter, cum ab instanti primo conceptionis, Christus D. fuerit Beatus secundùm animā; dicendum est, quòd Christus D. non habuit spem respectu gloriæ suæ animæ. Quare difficultas est de Beatis, circa gloriam corporis proprij, vel circa gloriam animę, & corporis aliorum, & circa alia bona aliorū? atque de Christo D. similiter circa gloriā corporis, sui nominis exaltationē, & consummationē Sanctorum, &c? Negant *Lorca dissut.* 7. *Ægidius, Granados*, cum *Durand. Medina, Bañez & Cajet.* quos sequitur *N. Franciscus del Castillo, q.* 13. *part.* 1. *à num.* 4.

125 Sed à nobis dicendum primo est. In Beatis, & in Christo D. manssile habitum, & actū spei. Ita tenent *Vazquez* 3. *part. disp.* 48. *cap.* 3. ibi *Suarez quæst.* 7. *art.* 4. & in præsenti *disp.* 1. *sect.* 8. *num.* 6. ex nostris *Pityg. in* 3. *distinct.* 3. *quæst.* 2. *art.* 5. *D. Merin. disp.* 12. *de Incarnat.* ex quo *Felix*, & *Delgadillo cap.* 7. *diff.* 4. *à dub.* 2. & multi alij Scoti discipuli. Fundamentum est: quia animę Beatorū, petunt, & desiderant vniri suis corporibus, vt ex gloria animæ refundatur corporibus gloria; quæ gloria corporis sufficiēter est ardua Beatis propter diuturnitatem temporis, & in Christo D. quia præter diuturnitatē temporis, promerenda erat ab eo, & consequenda meritis suæ Passionis, & sic valdè difficilis, & ardua ipsi, etiā si certissimus erat de futuritione illius. Et per hoc solvuntur omnia argumenta contrariæ sententiæ.

126 Dico secundo. In Beatis, & in Christo D. datur habitus, & actus spei circa gloriā animæ, & corporis aliorum. Tenet *Suarez num.* 7. Ratio est: quia desiderant eis talem gloriam, quæ etiam ex diuturnitate temporis est Beatis, & Christo D. ardua, & in alijs Beatis, præterquam in Christo Domino, est alia ratio; quia respectu illorū gloria aliorum potest esse contingens, & incerta: & sic ex isto capite est eis ardua.

127 Sed Authores oppositę sententiæ contra nos obijciunt, *Scotū in* 3. *dist.* 31. vbi docet; habitum spei euacuari in patria, eo quod ibi foret ociosus: ergo in Beatis non datur habitus spei, & consequentèr, neque actus talis virtutis, vt spei est. Respondeo

doctrinam Scoti esse veram, nō absolutè, sed respectiuè, & comparatione ad gloriam, & Beatitudinem essentialē eorum. Sed contra dices: Destructo obiecto formali non datur actus, sed obiectum motivum spei est Beatitudo nostra: ergo si Beati possident hoc obiectum, & Beatitudinem essentialem, non habent motivum spei: ergo neque possunt habere actū, & consequenter, non habent habitū spei. Respondeo, concedo maiorem, & minorem: ad consequens dico, quòd non possident tale obiectum in corpore, & sic habent motivum formale sperandi gloriam corporis.

128 Sed objicies: quòd Sancti PP. ex illo 1. *ad Cor.* 13. *Nunc autem manent fides, spes, & charitas*, colligunt, quòd post hanc vitam, solū manet charitas in Patria, quæ nunquam excidit, sicut fides, & spes: ergo. Respondeo, quòd Patres, & Apostolus intelligendi sunt post diem Iudicij, postquam nihil potest desiderari: quia iam, ex tunc, completa sunt omnia.

129 Objicies tertio: Beati, & Christ. D. habent, & possident causam ineuitabilē, gloriæ suorum corporum: quia gloria corporis ineuitabiliter, vt passio ad essentiam, sequitur ad essentialē gloriā animæ: ergo licèt desiderent illam, illam tamen non sperant: quia ineuitabiliter futura est, ex vi essentialis glorię possessæ. Respondeo primo; quòd hoc facit pro nostra sententia, nam arguit hoc, maiorē arduitatem in obiecto, vt assurgat animus, ad sperandum illud, quod videtur, ineuitabiliter illi deberi, & quasi fit illi violentia, sed ordinata, & recta, nō complendo illis Beatis, vel saltim gloriæ essentiali, gloria corporis; & sic est difficultas in obiecto desiderato, & cōsequenter arduitas.

130 Secundo respōdeo: quòd confirmati in gratia, & animæ Purgatorij, in sententia Authorum primæ sentētiæ, habent veram, & propriā spem circa Beatitudinem animæ, & corporis: cū tamen habent causam ineuitabilem talis gloriæ; nam ad cōfirmationē in gratia ineuitabiliter sequitur Beatitudo: maximè stante promissione diuina: *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.* Respondet *Vrbina controuers. 2. q. 1.* quòd est disparitas: nā gloria corporis sequitur, vt propria passio, ad gloriā animę: at gloria in cōfirmatis in gratia non sequitur, vt propria passio; sed ex promissione diuina. Sed contra: quia etiā ex promissione, & ordinatione diuina, sequitur gloria corporis ex gloria animæ, & nō vt passio: aliàs nullo modo posset dari gloria animę sine gloria corporis; quod falsum esse, euidenter patet in Christo D. Imò magis ineuitabiliter se-

sequitur gloria confirmatis, & decedentibus in gratia, quā gloria corporis ex gloria animę, stādo præcisè in cōnexione vtriusque gloriæ. Quæ autem obijcit Pater Castillo, non habent efficaciam, & ex dictis clarè, & facilè solvuntur.

Sectio 2. *Vtrùm in animabus Purgatorij detur spes infusa, & similiter in damnatis?*

131 DIco igitur: quòd in animabus Purgatorij datur habitus, & actus spei Theologalis infusæ. Ita communis sententia cum *Magistro in 3. dist. 26. & cum D. Thom. 2. 2. q. 18. art. 3.* Tenet Lorca minus consequenter *disp. 9. n. 8.* Fundamentū est primo. Quia Beatitudo non posidetur, sed illis futura est, & sic ex diuturnitate temporis ardua. Secundo: quia per magnos cruciatus est acquirenda ab eis. Tertio, quia Apostolus solā visionē clarā opposuit spei dicens: *Quòd videt quis quid sperat.* Quarto: quia effectus licèt infallibiliter, & certò eueniet, natura tua, verè est cōtingens; & sic illis animabus, nō subtrahitur materia, & motivum spei. Oppositam sententiam consequenter defendit *Castillo part. 2. n. 9.* & objcit contra nos: Arduitas oritur ex contingentia euētus: sed Beatitudo animabus non est, nec proponitur, vt cōtingēter futura, sed potius, vt infallibiliter; & certò futura: ergo. Respōdeo; quòd iam reiecimus hoc, ex dictis immediatè, & *cap. 1. sect. 1.* diximus, ad arduitatem non esse necessariam contingentiam, vt omnes Scotistæ ferunt.

132 Dico secundo. In damnatis non est spes, nec secundùm habitum, nec secundùm actum. Ita omnes Doctores. Fundamētum est. Quia Beatitudo proponitur eis, vt certissimè non futura: ibi enim, illis nulla est redēptio, sed ad spem requiritur, quòd obiectū proponatur vt possibile, & futurū: ergo. Itē: quia damnati sunt indigni, & priuati omni dono supernaturali; & consequēter, nō habent etiam auxilia supernaturalia necessaria ad spē. Imò propter excedentem malitiā eorum, & obstinationem in malo, in eis non admitto complacentiam aliquā, circa Beatitudinē, methaphysicè, sibi possibilē: potius enim ista methaphysica possibilitas causat in eis tristitiā inordinatam, & pœnam: quāquam secundùm *Scotū in 2. dist. 7. §. Quantū ergo*, non repugnent damnatis actus ex suo genere boni: quod etiam obseruauit *Lorca disp. 7. de spe, num. 16.*

Sectio 3. *Vtrùm in Beatis, post diem Iudicij perseuerabit habitus infusus spei?*

133 RAtio dubitandi est. Quia post diem Iudicij nullum fu-

futurum erit desiderium efficax circa aliquod obiectū arduum, & consequēter, nec aliquis actus spei: ergo tunc ociosus, & frustra erit talis habitus: & sic videtur, quòd saltim ex tunc, nō erit habitus spei: quā difficultatē attingit *Scotus in 3. dist. 31. & in 4. distinct. 49. q. 6. §. De secundo principali, vers. Propter argumenta.* Et *D. Thom. 2. 2. q. 16. art. 2.* & idem *Scotus* vltimò citatus, & alibi, in Patria loco habitus spei, subrogare videtur alium habitum, quē appellat, *tentionis*, quo prosequamur, & complaceamus in Patria de nostra Beatitudine completa, prout possessa est bona nobis: ergo ex tunc in Patria, non manet habitus spei.

134 Propterea *Pater Fr. Franciscus del Castillo*, hac dubitandi ratione conuictus, negat ex tunc permansurum habitum spei, & absolutè, in illo in quo, non est actus spei, negat habitum infusum spei *disput. 1. quæst. 13. part. 3. num. 19.* Alij verò tenentes, actū illum complacentiæ Beatorum, de possessione Beatitudinis, vt sibi bona est, elici à natura ipsorum Beatorum ex inclinatione naturali ad proprium bonū inclinata, dicunt; talem actum nō oriri ab habitu, nec tentionis, nec spei; & non videtur alienum à mente Scoti, qui ponit appetitū naturalem in viatoribus circa Beatitudinem supernaturalem: ita philosophatur *Vazquez tom. 1. in 3. part. disp. 43. cap. 2. num. 10.* Vnde consequenter dicit, non solum post diem ludicij, sed absolutè in Beatis, non esse habitū spei; quia actus spei, quos eliciunt Beati oriuntur ab auxilio; in quo vltimò conuenit cū *Caiet. 3. part. q. 7. art. 4.* dicente; quòd ille actus, quo Beati complacent de Beatitudine possessa, vt sibi bona, est actus supernaturalis proueniens ab auxilio, & non ab habitu. Alij verò tenent, talem actum procedere à virtute charitatis; quia Beatus absortus in Dei bonitatem omne quòd vult, vult propter Deum, & ex motiuo formali charitatis. Alij verò dicunt, talem actum elici à virtute morali beneuolentiæ erga se ipsos Beatos.

135 Sed in isto dubio à nobis primo dicendum est, quòd actus tentionis, siue gaudij, aut delectationis, quo quis complacet de Deo consequuto, vt ipsi Beato bonum, & commodum, est actus amoris concupiscentię, & supernaturalis. Est hęc sententia *Scoti in 3. distinct. 26. §. Ad quæstionem, vers. Hoc non videtur probabile; & in 4. distinct. 49. quæst. 6. §. De secundo principali, vers. Propter argumenta*, & etiam *in 3. distinct. 31. §. Sed adhuc restat, vers. Quantum ad aliud.* In quibus locis, satis expresè docet, tentionem Patriæ (quæ loco spei vię illic succedit) & spem respicere Beatitudinem secundùm eandē ra-

rationem formalem motiuam, licèt sub diuersa ratione absentiæ, vel præsentiç obiectiua, istâque tentionem esse in voluntate secundùm partem concupiscibilis. Sequitur *Pater Suarez disput. 1. de spe, sect. 8. n. 5. in medio.*

136 Et probatur clarissimè. Quia in naturalibus, non solum pertinet ad cõcupiscentiã, velle, per modum desiderij aliquid, vt mihi bonum futurum, sed etiam velle, per modum tentionis, & possessionis aliquid, vt mihi bonum præsens, & possessum; licèt vnum velle differat ab alio; quia primum est per modum inquietudinis, & viæ; & secundum, per modum quietis; sicut ad graue, secundùm quod graue pertinet tendere in centrum, & in illo quiescere: & similiter ad leue: igitur in supernaturalibus, velle per modum desiderij, hoc est in via, Beatitudinem supernaturalem, vt nobis bonam futuram, & velle per modum tentionis, & possessionis, hoc est, per modum quietis in Patria, eandem Beatitudinem, vt nobis bonam, præsentialiter possessam, pertinebunt ad voluntatem secundùm affectum concupiscentiæ: igitur ille actus tentionis, & complacentiæ, est actus concupiscentiç, & non amicitiæ, nec beneuolentiæ.

137 Secundo probatur. Quia videtur consentaneum, quòd in Patria voluntas, secundùm omnes suos affectus ordinatè habet actus: ergo in Patria Beati habent velle concupiscentiæ, nõ solum per modum desiderij circa bona futura respectu aliorum, sed etiam circa bona à se possessa, vt bona illis sunt. Quod autẽ iste actus sit supernaturalis manifestum est; & plus in nostra sententia; quæ in actibus, solum supernaturalitatem quoad modum admittit.

138 Dico secundo; quòd iste actus oritur ab habitu infusõ. Ratio non est alia; nisi, quia ita connaturaliter elicitur actus ab habitu, quam sine illo; quæ est ratio cogens in vniuersum ad constituendos habitus, vt eliciantur actus. Dico tertio; quòd iste habitus, non est habitus charitatis. Probatur: quia habitus charitatis, solũ inclinat ad actus prosequutionis amicitiæ, sed prædictus actus est prosequutionis concupiscentiæ: ergo nõ oritur à virtute charitatis. Pro quo videantur supradicta *cap. 2. sect. 3.* quòd enim Beatus absortus in illo summo bono, propter Deũ vellit, omnia quæ vult, non tollit, quod vellit suam Beatitudinem, vt bonum sibi possessum, per alium habitum, & virtutem à charitate distinctam; etiam si per charitatem cõcupiscentiam illam vellit, propter Deum. Vnde manifestum est, quòd neque ab habitu beneuolentiæ; quia iste habitus est chimæra, si est di-

distinctus ab habitu spei, tentionis, vel charitatis, vt notarunt benè, Lorca, & alij.

139 Dico quarto. Quòd habitus, à quo in Beatis oritur ille actus, est, secundùm substãtiam, habitus spei; licèt post diem Iudicij excidet secundùm tale nomen, & appellabitur habitus tẽtionis, siuè concupiscentiæ ordinatæ. In hac conclusione nobiscum sentit *Pater Suarez sect. 8. num. 5.* Insinuatque *D. Thom. 3. part. quæst. 7. art. 4.* estque satis de mente Scoti, si benè perpendantur, & ponderentur textus supra relati. Ratione autem probatur: quia eadem natura, quæ definitur principium motus, definitur principium quietis: idẽque graue, quod secundùm grauitatem mouetur, quasi desiderãdo centrum, in centrum, secundũ eandem grauitatem quiescit, & tenet, seu possidet centrum: ergo idem homo, qui secundùm inclinationẽ supernaturalẽ infusam Theologalem, & secundùm pondus eius, videlicet habitus spei, mouebatur in via per desiderium, in centrum supernaturale Beatitudinis; idem met homo secundùm eandem inclinationem quiescit in Patria in eodem centro per delectationem de eo quod teneat, & possideat centrum.

140 Contra hoc, non video apud Authores rationes vrgẽtes. Solũ potest obijci; quòd *Paul. 1. ad Cor. 13.* dixit: *Charitas nunquã excidit*; vbi Sãcti Patres videntur vniformiter intelligere, quòd in Patria non erit, nisi solus habitus charitatis. Sed respondeo, quòd Apostolus, & Sancti Patres sufficienter intelliguntur de excidio habitus spei secundùm actũ desiderij, nõ verò secundùm omnes suos actus. Dices: ergo idẽ possumus dicere de habitu fidei, manere, scilicet in Patria, nõ secundùm denominationẽ fidei, sed secundũ substantiam, & in quãtum est lumen ex parte intellectus. Respõdeo non esse improbabile: quia multi Sancti PP. tenent, quòd omnes tres virtutes manent in Patria: vt videri est in *Irenæo lib. 4. contra hæres. cap. 25.* & tenet *Tertulian. in lib. de patiẽtia, cap. 12.* Nã non videtur improbabile, quòd habitus, qui in via est fidei lumen, in Patria sit lumẽ gloriæ: nã, quia in via ambulamus *per speculũ in ænigmate*, habitus intellectui infusus, dicitur fidei: *Cum autem venerit, quod perfectum est*, scilicet, Regnũ cœlorum, vbi facie ad faciẽ, & facialiter prætens appareat Deus, *euacuabitur, quod ex parte est*: id est non totum lumẽ fidei, seu habitus infusus intellectui in via, sed quãtum ad ænigma, & obscuritatẽ actus. Vnde concludit Apostolus 1. *ad Corinth. 13 Quòd nunc cognoscimus ex parte* (id est imperfectè, & obscurè per speculũ in ænigmate: & de hoc verificatur,

tur, *euacuabitur, quod ex parte est*) *tunc autem facie ad faciem cognoscam sicut, & cognitus sum*, per habitum, secundùm substantiam, eundem cum habitu fidei; qui tunc dicetur luminis gloriæ, quia obiectū apparet facialiter præsens, & ex parte potentię solū requiritur principium supernaturale eleuans, quod potest præstare habitus fidei secundùm substantiam excisa fidei denominatione.

CAPVT V.

De timore, præsumptione, & desperatione.

Sectio 1. *Quid & quotuplex sit timor?*

141 IN communi timor nihil aliud est, quam potentiæ appetitiuæ fuga alicuius mali. Qui (ex *Magistro in 3. dist. 34.* quē omnes sequūtur, & *D. Thom. in q. 19.* vbi eius Expositores) est quadruplex, *Mūdanus, Seruilis, Filialis, & Initialis.* Sumitur ex Sāctis PP. prædicta diuisio quadrimēbris timoris: præcipuè apud *Aug. tract. 43. in Ioan. & tract. 9. in primam Epist. can. Ioan. serm. 18. de verbis Apostoli*; & in *Psalm. 32.* & *concion. 25. in Psalm. 118.* & *Psal. 127.* & *Epist. 120.* & *lib. 21. de Ciuitate, cap. 24.* quē sequuntur posteriores Patres, maximè *Gregor. 34. Moral. cap. 17.* & *Beda*, vbi de timore *Filiali*, & *Seruili* mentionem faciunt.

142 De timore verò *Mundano*, seu humano, facit *August.* memoriam, *lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 18.* & *lib. 6. qq. Veteris Testam. q. 30. in Iosue.* De timore autem *Initiali*, no faciunt Patres mentionem; sed quia omnes isti timores inueniuntur in Scriptura, talis diuisio admittenda, & probāda est. Nam de timore *Filiali* intelligitur illud ad *Rom. 8. Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, intellige in timore: & ad *Corinth. 10. Qui se existimat, stare, videat*, seu timeat, *ne cadat*: & ad *Philip. 1. Cum timore, & tremore salutē vestrā operamini.* De *Seruili* intelligitur illud ad *Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis, iterū in timore.* Et *Malachiæ 1. Si ego Dominus, vbi est timor meus?* De timore *Mūdano* illud *Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* De timore tandem *Initiali* illud *Psalm. 110. Initium sapientiæ, timor Domini.*

143 Differunt autem inter se isti timores, penes eo quod, timor *Mundanus* est ille, quando quis recedit à lege Dei, vt fugiat aliquod nocumento temporale, v.g. mortem, aut tormenta. Dicitur verò *Seruilis*, quādo quis vt fugiat pœnas impositas à Deo propter peccatum, fugit peccata. Dicitur *Filialis*, quando quis fugit malum culpæ ex complacentia Dei, quia malum culpæ est offensa Dei. Dicitur *Initialis*, vel quo quis incipit, timere ti-

timore seruili, & filiali, ita vt vtrumque timorem habeat pro obiecto, & termino, vel vt dispositio ad ambo, vel quia est timor seruilis cõnotans filialem, aut ècõtra, vt verius iudicat *Lorca disp.* 10. *n.* 5. vel si cum Magistro placet, est timor seruilis connotando filialem: nam timor filialis est sapientia sumpta pro sapore, qua gustatur Deus per amorem, & spiritum adoptionis, secundùm quem, vt filij sapientes lætificamus Deum, vt Patrẽ, cuius initiũ est timor seruilis, qui communiter inuenitur in attritione, & fuga de peccato, vel propter malitiã peccati, vel propter pœnas peccato debitas: & hoc est conforme nostro *Scoto in 3. dist. 34. §. His suppositis, vers. vniuersaliter enim*: & *Trident. sess. 14. cap. 4.* si fortè pro timore initiali non vellis intelligere timorem reuerentialem, de quo infra: & tunc maximè habet locum sententia prima Durandi.

144 Vnde manifesta est differentia horum membrorum. Nam timor mundanus, non est timor Dei, sed potius Deus non timetur. Reliqui verò timores aliquomodo respiciunt Deum, & per ipsos Deus timetur, & præfertur timor Dei timori cuiusvis rei; quod fit à contrario in timore mundano. Ex quo ista diuisio in præsenti videtur analogi, in analogata; quia in præsenti, solum intendimus de timore diuino, & timor mundanus solum per analogiam dici potest timor diuinus, analogia priuationis, & contrarietatis.

145 Præter istos timores alij addunt timorem reuerentialẽ, superfluè quidẽ, nam reducẽdus est ad vnũ ex membris supradictis. Ad quẽ autẽ ex tribus (præter ad mundanum, ad quem non potest reduci) reducatur? Nõ explicant sufficienter Authores: & ferè omnes in explicatum relinquunt. Sed explicemus, quid sit timor reuerentialis? Et exinde explicabitur. Ricardus dicit esse fugam, & auersionem efficacem ab omni peccato cum delectatione, quod in perpetuũ exclusum sit. Sed contra: quia Beatus Petrus ex timore reuerẽtiali dixit: *Exij à me Domine, quia homo peccator sum*: ergo timor reuerentialis non consistit in prædicta fuga.

146 Caietanus autem dicit, esse fugam alicuius mali, non quòd sit futurum absolutè, nec cõditionatè, seu possibile de lege ordinaria, sed possibile, aut cõditionatè futurum de potentia absoluta: quia si Deus vellit sua potentia absoluta vti, Beatis posset positiuè, vel permissiuè inferre malũ, vel priuando Beatitudine, vel permittẽdo eis peccatum. Displicet *Lorca disput. 15.* ista Caietani explicatio; sed mihi, sicut multis alijs, non displicet; quia acutissima, & satis con-

conformis rationi, & vtilis ad præsens intentum.

147 *D. Thom. 2. 2. quæst. 19. art. 11.* dicit; timorem reuerentialem, non respicere aliquod malum possibile in quocumque euentu, sed solũ ipsam Dei eminentiã, & maiestatem, quæ excitat affectum, quo voluntas retrahitur à persõa ita excellẽ, & plenè se illi subijcit. Ad quod probandum adducit illud Petri: *Recede à me Domine, quia homo peccator sum.* Et *Lucæ 7. Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum.* Et *Marc. 9. Videntes autem timuerunt, & glorificaberunt Deũ, dicẽtes: quia vidimus mirabilia.* Et ad *Rom. 13. Reddite cui timorem timorem*: in quibus locis timor reuerentialis nõ respicit aliquod malum, adhuc, vt possibile in aliquo euentu in ferendum. De quo timore 17. *Mralinm, Greg. cap. 15.* intelligit illud *Iob 26. Columnæ Cæli contremiscunt*, id est; Angeli, vel Beati: vbi Gregorius vocat hunc tmorem, admirationem; Damascenus verò, appellat terrorem.

148 Mihi verò dicendũ videtur, posse dici, quòd timor reuerentialis supponit admirationem de eminentia, maiestateq; infinita bonitate, & absoluta omnipotẽtia diuina, quę si velit, potest anihilare Beatos, & infligere eis malum; quæ admiratio est cõparatiua creaturæ ad Creatorem, finiti ad infinitum, defi-cientis, ad indeficiens, & cum minus perfectum respectu summi perfecti sit imperfectum, & vt dici potest, malum, per illam admirationem Beati, comparant se ad Deum, vt imperfectum ad perfectionem, vt malum ad bonum (in sensu, in quo verificari potest) & tunc excitatur in voluntate affectus, quo cõtremiscunt, terrenturque tantam maiestatem, & omnipotẽtiam absolutã, potentẽ eos physicè anihilare, & malè eis inducere, & permittere, & priuare omnibus bonis: eo quod per habitum, siuè donum paupertatis spiritus supernaturale, plenè se humiliter subijciunt Deo per voluntariam anihilationẽ, exinanitionẽque sui, quasi se abijciendo, & fugiendo à se, quasi à minus perfecto, seu ab imperfecto, & sic à malo, vt in summo bono cõplaceant; & sic timent timore reuerentiali: & sic componuntur *Caietan.* cum *D. Thom. Gregor.* cum *Damascen.*

149 Hoc modo videtur, quòd timor reuerentialis potest dici, quòd sit *timor Initialis*; quia affectu paupertatis spiritus, quo se homo Deo Omnipotenti Maximo, humiliat, per sui anihilationem, exinanitionem, & abiectionẽ sui, & omnium bonorũ creationis, ex consideratione illius infinitæ Maiestatis, absolutè potentis, quæ nõ implicant contradictionẽ, quasi connotat

vtrum-

vtrumque timorem, seruilē, scilicet, & filialem: & sic reueretur Deus à Beatis timore initiali, seu reuerētiali, quia sic ponitur initium sapientiæ. Vnde Christus D. dixit: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc* (id est timorē Dei seruilem, & filialem, sapientiā, gustum scilicet, & saporem Dei) *à sapientibus, & prudentibus* (irridendis, arrogātibus, falsò grādibus, verè autem tumentibus, inquit *Aug. serm. 8. de verbis Domini*) *& reuelasti ea parvulis*, id est, humilibus, & pauperibus spiritu: humilitas ergo est initium sapientiæ: ergo timor initialis, est reuerentialis, connotans vtrumque timorem, seruilem, diuinum, & filialem.

150 Dices contra omnem doctrinam huius sectionis. Quilibet habitus virtuosus, sicut inclinat in prosequutionem honestatis, & bonitatis sui obiecti, inclinat in fugam oppositi: ergo pluiquā, quatuor timores sunt; tot scilicet, quot actus virtuosi. sunt non esti, seu habitus virtuosi. Respondeo, verā esse consequētiam, sumpto timore pro fuga mali absolutè: tamen nos agimus hic de timore, prout est speciale donum Spiritus Sancti, & vt sic optimè est diuisio. Sed tunc, dices; quòd timor mundanus, non est donum Spiritus Sancti; fatemur: tamen, quia est oppositus contrariè, priuatiuè, vel contradictoriè (de quo non curamus) ideò numeratur in ista diuisione: quia contraria contrarijs, & oppositis suis magis declarantur.

Sectio 2. *Cuius virtutis actus, sint timor Seruilis, Filialis, & Initialis etiam?*

151 IN præsenti; quia timor filialis, & initialis, non tantum pertinere videntur ad tractatum de spe, à difficultate de illis supersedent Authores: & sic breuitèr de eis loquendo, dicimus; quòd timor filialis oritur ab habitu charitatis: quia est timor, & fuga peccati, ne amittamus amicitiam, charitatem, gratiam, & filiationem adoptiuā Dei: id est fuga peccati propter Deū, quia est offensa Dei, qua perditur amicitia Dei. Et existimo nullum ab ista conclusione discrepare: quæ, quia clara est, non indiget probatione.

152 De timore autē *Initiali* potest dici, aliquādo oriri à charitate, quādo videlicet fit propter motivū charitatis: aliquādo verò oritur à virtute spei, quando scilicet fit propter motivum talis virtutis. Nisi ponamus, vt volunt aliqui, præcipuè Thomistæ cum D. Thom. quòd est vnū donū timoris distinctū ab habitibus fidei, spei, & charitatis (& ipsis excellentius, quod non placet) à quo oriātur isti tres timores, prout trāscēdens per obiecta

isto-

istorum duorum habituũ spei, & charitatis: quod non videtur improbabile. Magis tamen videtur pertinere ad virtutẽ spei: quia est initium sapientię, saporis, gustus, commodi, & concupiscentiæ: quæ magis ad spem pertinere videntur.

153 Circa timorem seruilem dico, quod est actus virtutis spei: quia est actus fugæ circa carentiam Beatitudinis, vt mihi, vel nobis bona est, vel fuga peccati, vt inducit carentiam mercedis meritorum, & Beatitudinis, vt mihi est bona. Sicut enim ad spem pertinet desiderare, & concupiscere Beatitudinem supernaturalem, vt nobis bonam; ita ad eamdem spẽ pertinet fugere talis Beatitudinis carentiam, & omne impeditiuum eiusdem Beatitudinis ex affectu irascibilis. Ita etiam tenet *Suarez 3. part. tom. 4. disp. 5. section. 2. & Lorca disput. 14. de Spe, num. 6.* & est sententia *Scoti in 3. dist. 26. §. Ad primum principale, & D. Thom. quæst. 19. art. 6.* satis clarè.

154 Sed obijcies. Actus timoris non est Theologicus: ergo nõ est actus virtutis Theologicæ spei. Respõdetur: quod est actus Theologicus secundarius, & sic sufficit, vt tẽdat immediatè, licèt non circa Deum positiuè, saltim priuatiuè; quatenus tendit immediatè circa carentiam Beatitudinis completæ. Dices: secundum nos, in Beatis manet habitus spei: ergo in Beatis est timor. Respondeo: quod non est timor, qui est in desiderio (loquendo respectu sui; nam respectu aliorum, fateor posse esse timorem, sed sine imperfectione anxietatis, & angustiæ) est tamẽ timor reuerentialis, & initialis.

155 Inquires: Adueniente incremento charitatis, decrescit timor? Respondeo, quod adueniente incremento charitatis, timor filialis non minuitur, sed potius augetur: quia quãto feruentior est charitas, tanto plus, quis fugit displicere Deum. Ita *D. Thom. art. 10.* De timore autem initiali, mihi videtur idem dicendum. De timore tamen seruili, quantum ad seruilitatem, multo minuitur: quare per hoc potest intelligi illud *Ioann. 4. Charitas foras mittit timorem*: quamuis cum charitate intensissima timor pœnæ compatiatur.

Sectio. 3. *Quotuplex, & quid sit præsumptio?*

156 PRæsumptio, generali nomine sumpta, est modus excedens nimietatem. Quæ primo diuiditur in præsumptionem, quæ est in intellectu, & aliam, quæ est in voluntate. Sed in intellectu est duplex: vna est cogitatio nimia propriæ excel-

lentiæ: altera est, existimatio leuis, vel grauis de aliquo casu, secundum qualitatem coniecturarum absque euidentia; quę dicitur suspicio. In voluntate autem est triplex. Prima: quando quis scienter cognita lege tēdit facere contra illam vltra moralem potestatem: qua ratione prohibetur à iure, dicendo: *Si quis præsumpserit.* Quæ præsumptio erit mortale, vel veniale attentis circunstantijs, & qualitate materiæ. Secunda est, quando quis prætēdit honorem, & dignitatem supra propria merita: estque peccatum superbiæ per excessum, magnanimitati oppositum quod, inquit Pater Castillo, rarissimè est peccatum mortale; sed displicet valdè, cum experientia manifesta cōstet, huiusmodi peccatum, & vitium destruxisse adhuc Religiones, originasse in Ecclesia schismata, & valdè deplorandum in multis communitatibus hisce temporibus: si enim opinio Castilli sequatur, vel Religionibus, Ecclesiæ, & Prælatis.

157 Tertia denique est: quando quis à Deo, vel ab alio inordinatè sperat Beatitudinē, vel aliquid supernaturale. Et de ista præsumptione est in presenti: quia ista est opposita virtuti spei. De hac igitur præsumptione quærimus: an omnis affectus voluntatis, quo quis inordinatè desiderat, & sperat aliquid à Deo, sit oppositus virtuti Theologicæ spei? Respondet *Castillo disp. 2. q. 3. num. 3.* quod non. Sed iuxta dicta *cap. 3. sect. 4. nu. 108.* videtur magis verum oppositū: videlicet, quod talis affectus est oppositus virtuti spei.

158 Et confirmatur ad hominem contra Castillo. Quia secundum ipsum *num. 5.* Calumniatæ sperando à Deo auxilium ad peccandum, quia secundum ipsos non est minus à Deo proditio Iudæ, quam prædestinatio Pauli: & similiter Lutherani sperantes à Deo tantam gloriā, quantam habuit Christus D. & Beata V. Maria, peccant contra virtutem spei: quia sperant inordinatè à Deo aliquid, aliter quam à diuina prouidentia dispositum est: & sic Lutherani, gloriam sine meritis, & delectionem peccatorum sperantes, peccant contra talem virtutem: sicut Pelagiani sperando gloriam viribus proprijs, sine speciali auxilio factis: ergo quilibet inordinatus appetitus, quo quis sperat aliquid à Deo est virtuti spei oppositus: quia omnia possunt reduci, siuè supernaturalia, siuè naturalia ad effectū prædestinationis, & ad media aliqualiter conducentia ad cōsequutionem obiecti spei.

159 Secundo quæritur. An habitus spei deperdatur per præsumptionem? Respondeo: quod si

si præsumptionem præcedat hæresis formalis, destruitur ex ordinatione diuina, ex qua habet fides, esse fundamentum spei: & sic cum per hæresim destruatur fides, similiter per præsumptionem hæreticam. Si verò non præcedat hæresis, certum est, quod ex natura rei non destruitur spei habitus per præsumptionem. Quia præsumptio, nec contrariè, nec contradictoriè opponitur actui spei, sed solum est actus spei malè circunstantionatus, & humanus malè ordinatus: imò neque ex ordinatione diuina destruit præsumptio talis habitum spei: quia de tali ordinatione non constat: & sicut datur leuiter credere, & pertinaciter credere, cum habitu fidei; ita inordinatè sperare, quod est præsumptio, cum habitu spei. Solum enim habitus spei destruitur, per positiuum nolle sperare, seu nolle Beatitudinem supernaturalem sibi. Quia ex tunc ponitur actus contrarius actui spei, & aufertur motiuum formale virtutis. Solum namque ista peccata opponuntur ei ex diametro. Nam præsumptio, & desperatio opponuntur extremè, ista minuendo modum per animi deiectionem, & prostrationem; & illa addit animum per elationem.

160 Sed obijcies. Per quodlibet mortale destruitur charitas, etiam si aliquomodo opponatur amori diuino: ergo similiter spes destruetur quolibet mortali, quo quomodo ipsi spei opposito. Respondeo: discrimē esse, quod charitas est amor Dei super omnia: qui enim mortaliter peccat, vult aliquid creatum magis, quam voluntatem Dei, & sic destruitur charitas per peccatum mortale, quia ex diametro opponuntur moraliter.

Sectio. 4. *Quid sit, qualis, & propter quid sit desperationis actus?*

161 Dico primo; quod actus desperationis est actus voluntatis. Ita *Scotus in 3. distin. 26. §. Ad argumenta pro prima via*, sequuntur Scotistæ *Pytigian. Castillo disp. 2. quæst. 2. num. 3.* docet *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 20. artic. 1. & 1. 2. q 40. art. 4.* sequitur *Lorc. disp. 6. Suarez disp. 2 sect. 2. Ægid. & alij.* Et probatur. Quia sperare est actus voluntatis, vt probauimus *cap. 2. sect. 1.* ergo etiam desperare, erit actus voluntatis: quia est extremum oppositum desperatio actui spei, qui est medium inter desperare, & præsumptuosè sperare. Quāquā certum est, ad actū desperationis debere precedere actū intellectus, & iudiciū practicū de difficultate, aut impossibilitate, seu nō futuritione Beatitudinis, aut remissionis peccatorum, quod est imprudens semper, &

falsum, cui infallibiliter coniungitur desperationis actus, in quo est peccatum oppositum spei, & non in iudicio formaliter, sed initiatiuè; licèt ad desperãdum sufficeret simplex apprehensio composita ex parte termini apprehẽsi, vt colligitur ex doctrina *Scoti in 2. dist. 6. q. 1.*

162 Sed *Almaynus*, & cum eo alij tenent, quod desperatio est, etiam in illo actu intellectus, præciso voluntatis actu: & sic obijciunt contra nos. Posito illo iudicio, nequit quis sperare, nec media ponere ad consequutionem Beatitudinis: ergo per talem actum præcisè desperat formaliter. Respondeo quod si hoc argumentũ valeret, sequeretur, quod quodliber peccatũ foret desperatio; quia ipso existente, nequit quis sperare, nec media ponere ad consequutionem Beatitudinis; & sic ex illo argumẽto solum sequitur, quod non adimpleretur præceptum positivum sperandi; non tamen fieret contra præceptum negativum, non desperandi, actu, & formaliter, licèt foret initiatiuè, & prę̃suppositiuè. Et per hoc patet ad primum dubij.

163 Circa secundum conueniunt omnes, quod actus desperationis non est pura omissio actus spei, sed quod sit actus positivus contrarius actui spei, cõtra præceptum non desperandi negativũ formale, vel interpretativum, de quo posteà in secũda disputatione. Difficultas est: an sit actus prosequutionis, vel fugæ; ideſt propter quid sit desperatio? quod est tertium in dubio petitum. Quod est idem ac si quæramus. Vtrũm actus desperationis sit recessus ab obiecto spei terga vertendo ipsi obiecto per nolitionem talis obiecti: an verò sit tantum recessus recalcitrando à tali obiecto, non quia tale obiectum nolit, sed in quãtum animo remisso, & deiecto, prostrato, & sequestrato appetit, & desiderat.

164 *Doctiss. N. Castillo disp. 2. q. 2. nu. 12.* dicit: quod desperatio formalis est recessus, non terga vertẽdo per modũ fugę, & nolitionis, sed recalcitrãdo à facie obiecti spei, velvt capistrarius à rota per modũ retractionis, & remissionis prosequutionis. Acutissimè prosequitur suę assertionis confirmationem ex authoritate Scoti, & ratione, sed ea omnia cõtra nostrãconclusionẽ infrà adijciemus, & soluemus.

165 Sed primo notandũ est (in quo ipse Castillo debet cõuenire) quod circa idẽ obiectũ formale compatitur volitio efficax, & nolitio inefficax, & ècontra, nolitio efficax, & volitio inefficax, v. g. in Christo D. circa mortem, & Passionẽ eius, secũdum portionem inferiorẽ, erat nolitio inefficax: at verò secũdum portionem superiorẽ erat

erat voluntas efficax moriendi. Similiter ille, qui proijcit merces in mari efficaciter vult proijcere; & sic efficaciter, actu, & formaliter non vult merces, cum quo compatitur, quod inefficaciter velit illas. Similiter, qui sciret, vnicum solum esse medium ad salutem corporis consequendam, v.g. potionem amaram, aut venæ scissionem, ita, quod aliter sit impossibilis salus; si nolet pati scissionem, vel potionem sumere, actu, & formaliter terga vertit saluti, ipsam efficaciter nolendo, etiam si illam inefficaciter appetat.

166 Hoc supposito; dicendum à nobis est, quod actus desperationis formaliter formalis est recessus per modum fugæ, & nolitionis tergavertendo obiecto spei. Hæc est communis omnium sententia; quam non tam probant, quam supponant Doctores: tenent *Suarez disp. 2. sect. 2. num. 1.* ita, vt appellet per se notam, *Lorca disp. 16.* communiterque omnes Scotistæ, ita vt meritò in hac parte omnes derelinquant nostrum Castillo: docet *S. Thom. 2. 2. q. 20. art. 1. & 1. 2. q. 23. art. 2. ad 2.*

167 Et probatur: quia desperatio formaliter formalis nō est actus contradictoriè oppositus actui spei, sed est actus positivus contrarius formaliter, & directè actui spei, sed actus spei, est actus positivus prosequutionis sui obiecti: ergo actus desperationis formalis formaliter, est actus positivus fugę eiusdem obiecti. Respondet *Castillo*: quod desperatio nō contrariatur cōtrarietate obiectiua. Sed contra: quia si non contrariatur cōtrarietate obiectiua, nō est formalis desperatio formaliter, sed tantum interpretatiua: & tunc adhuc contrariari debent spes, & desperatio contrarietate obiectiua interpretatiuè: ergo sem per per modum fugæ desperatio respicit obiectum spei, & nullo modo per modum prosequutionis, quatenus formaliter, formalis desperatio est: quia contradictionem manifestam involuere videtur.

168 Nunc videamus argumenta Patris Francisci del Castillo contra nos. Primo sic objicit *nu. 13.* Desperatio includit aliquale desiderium rei, quæ desperatur: quia desperatio est de bono, & non de malo, sed istud desiderium non includit præsuppositiuè: ergo formaliter: at desiderium, non est fuga, sed prosequutio: ergo desperatio formaliter non est fuga, sed prosequutio. Minorem probat; quia intellecto tali desiderio aliquali, tanquam quodam animo, affectu deficienti, prostrato, & destituto circa consequutionē obiecti, intelligitur omne, quod requiritur ad rationē formalem desperationis: ergo.

169 Respondeo N. Castillum esse valdè paralogizatum in inteligentia desperationis. Desperatio enim, non includit illud desiderium aliquale rei, quæ desperatur, neque per se, neque per accidens, ideſt vt cõditio necessaria: imò potius desperatio formalis, quantum est ex se formaliter, opponitur omni desiderio rei, quæ desperatur: quia tamen est inefficax, & remissum, ideò non excludit illud desperatio formaliter formalis. Et sic neque præsuppositiuè desperatio formaliter formalis includit illud aliquale desiderium. Vnde in forma negatur maior argumẽti: & licèt demus; ad minorẽ dicimus, quod neque præsuppositiuè, neque formaliter includit, sed contingenter coniungitur tale desiderium cum desperatione formali. Ad probationem minoris, negamus illam. Exinde enim, solum interpretamur, & interpretatiua desperatio colligitur, non verò totum illud sufficit ad desperationem formalem, formaliter, & actu: imò ex desiderio illo impeditur animus ad determinandam desperationem, seu interpretandam.

170 Obijcit secundo *num.* 14. Ante omnem nolitionem intelligitur desperatio formalis: ergo desperatio non est per modum fugæ: sed per modum prosequutionis remissioris. Antecedens probat: quia si aliqua, esset circa obiectum spei, quod aliàs appetit remissè, vel circa prosequutionem mediorum necessariorum ad consequutionem Beatitudinis, vel quia nolit sperare; sed non est prima, quia hoc nõ est desperare, sed contẽnere, & contemnere non est formaliter desperare: deinde talis nolitio, vel est obiecti, quia boni, & hoc non, quia bonitas obiecti non potest esse ratio odij, vel est obiecti, quia mali: & neque hoc; quia fugere obiectũ; quia malum, nõ est desperare, sed prudẽter agere, & debito modo procedere voluntatem: ergo ante illam nolitionem, intelligitur desperatio formalis. Quod etiam ante secundam probat: quia nolitio prosequutionis mediorum supponit desperationem finis, sicut spes mediorum supponit spem finis: ergo nolitio mediorum, non est desperatio. Quod autẽ desperatio sit ante tertiam nolitionem probat similiter, sicut de secunda: quia sperare est medium: ergo ante nolle sperare, solum est nolle consequutionẽ mediorum, sed ante hoc nolle supponitur desperatio: ergo solum restat, quod formalis desperatio formaliter consistat in illo remisso desiderio Beatitudinis inefficaci, quo remissè, & inefficaciter spei obiectum prosequitur.

Res-

171 Respondeo: quod similiter in hoc argumento paralogizatur N. Castillo, & meo videri raphanum, vt dici vulgariter solet folijs accipit: nam quod causaliter est desperatio, ipse formalem desperationem esse vult. Totum enim illud in quo ponit formalem desperationē, solum est occasionaliter desperatio, & proxima, vltimaque dispositio ad desperationē formalem; imò non totum, quia illud desiderium, in quantum habet prosequutionis, non disponit; sed in quantum habet carentiam intensionis prosequutionis, quia vt sic receditur ab obiecto spei, & secundum quod habet prosequutionis ad spei obiectum accedit: sed vsque tunc, non est formaliter desperatio, sed interpretatiuè, & indirectè, vt solet dici in causa. Vnde nego antecedens, loquēdo de desperatione formali formaliter, & actu.

172 Ad probationē antecedētis dicimus; quod intercedere potest triplex illa nolitio: nā desperās supponit, vel ex sua malitia, vel alia inordinata cōsideratione, obiectum spei, sibi nō esse posibile futurum bonum; ex quo sequestratur animus, & tunc voluntas, vel omittit desiderare obiectum, vel si desiderat prostrate, valde remisse, & inefficaciter desiderat: & hucusque nō est formalis desperatio actu, & formaliter, est tamen vltima desperationis formalis dispositio: nam ex quo voluntas est propositione illius iudicij, & sequestratione affecta ad vnam ex triplici nolitione relata, se determinat, vel nolendo obiectum spei, vt sibi bonum; quod non est propriè contemnere: nā contēnere est, ita nolle aliquid, vt præsupponat iudicium proponens illud, quod contemnitur, vt facilè cōsequi; & ad istud nolle Beatitudinis, vt sibi bonæ, præsupponitur iudicium proponens Beatitudinem impossibile fore sibi bonam: potest tamen dici contemnere, extendo vocabulum: nego tamen, quod contemnere hoc modo, non sit propriè, & formaliter desperare. Imò si qua ratione, istud nolle est contemnere, non sit desperatio apud N. Castillo, minus poterit esse desperatio, illa remissio prosequutio, & illud sequestratum velle, quia est facie ad faciem contemnere, & illud est contemnere fugiendo, & vertendo terga, quod videtur minus contemnere.

173 Vel secundo se determinat, nollendo apponere media necessaria ad consequutionē Beatitudinis ex præsuppositio iudicio de eius nō futuritione, aut nō posibilitate respectu sui: & cum dicit Castillo, quod nolitio prosequutionis mediorum supponit desperationem

finis. Respondeo primo: quod illud axioma volitio finis supponitur ad volitionem mediorum, & nolitio finis ad nolitionem mediorum, intelligitur verum in volentibus, & nolentibus ordinatè, non verò in voluntate inordinata, qualis est desperantis voluntas.

174 Secundo respondeo: sufficere, quod nolitio formalis mediorum supponat desperationem finis interpretatiuam indirectam, & in causa, sicut accideret in præsenti. Tertio respondetur, quod in ipsa nolitione mediorum interpretatur nolitio, & desperatio finis. Quarto: quia hic desperat in executione, & ordine executionis media, sunt priora fine.

175 Tamen potest desperare nolendo sperare, nec desiderare Beatitudinem firmiter, erectè, certò, & animosè. Ad id autem, quod contra obijcit Castillo, iam supra immediatè respondi: nolendo enim sperare consequenter non vult Beatitudinem absolutè sibi: sicut qui proijcit merces in mari, etiam si inefficaciter velit illas, absolutè illas non vult.

176 Ad illud, quod dicebat Castillo: scilicet, talis nolitio, vel est obiecti: quia boni, vel quia mali. Dico ergo: vtrumque esse probabile: quia in sententia Scoti voluntas potest nolle bonum, sub ratione boni, & velle malum sub ratione mali. Et cum dicit bonitas obiecti non potest esse ratio odij. Respondeo: sequendo affectionē iustitiæ verum: sequendo affectionem inordinatam commodi, falsum. Cum autem dicit: fugere obiectum, quia malum, non est desperare; distinguo: quia malum in se, concedo: quia malum respectiuè; pro quanto iudico, impossibile mihi bonum, & commodum, & sic non mihi conueniens, nego.

177 Tertio obijcit. In illo desiderio remisso propter non futuritionem obiecti verificantur omnia, quæ dicuntur de desperatione: ergo in eo consistit formaliter. Nam reperitur sequestratio, deiectio, & deficientia, quæ opponitur erectioni actus spei, etiam reperitur, desistere à prosequutione mediorū, vt talia sunt, in quo opponitur actus spei, ad quē sequitur mediorum prosequutio, vt talia sunt: item reperitur mœstus, & tristitia, in quo opponitur actus spei, ad quē sequitur gaudium, & inchoata lętitia; sed hęc sunt, quæ verificantur de desperatione: ergo.

178 Respondeo, quod hæc omnia, non sunt omnia, quæ verificantur de desperatione, sed restat, quod sit recessus actu, & formaliter oppositus contrariè accessui actus spei, & iste recessus, & fuga sequitur ad illam se-

sequestrationem animi, sicut ad erectionem, & animosum motum, actus spei. Desistere autem à prosequutione mediorum est per nolitionem obiectorũ materialium spei; & sic in illa nolitione est desperatio; & vsque intelligatur nolitio, non est desperatio, sed solum dispositio ad desperationem.

179 Tandem obijci. Deiectè, & deficienter sperare obiectum bonum infinitum, est cõtra virtutem spei; sed non est contra ipsam per modum timoris, nec per modum præsumptionis, nec per modum nolitionis: ergo solum restat, quod sit per modum desperationis. Respondeo, distinguendo maiorem; est contra virtutem spei ex diametro, & contrariè, nego; extremè, & per defactum, transeat: & omitto minorem: ad consequentiam permitto illam; quia cũ sit dispositio ad desperationem, parum refert, fateri, quod opponatur per modum dispositionis: nam dispositio ad formam opponitur formę oppositæ non formaliter, sed dispositiuè. Ex Scoto autem, quem adducit Castillo, nihil potest colligi in fauorem eius, vt patebit legenti Scotum.

SECVNDA PARS.

TRACTATVS MORALIS

DE SPE.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Doctrina Morali huius Opusculi.

CAPVT I.

De Doctrina morali circa actum sperandi.

Sectio. 1. *Vtrùm actus spei Theologicæ sit necessarius necessitate medij ad salutem?*

1 DIsputatione 1. cap. 3. section. 1. contra Luthæranos ostendimus, actum spei honestum esse: nunc autem supponimus esse vtilem, & saltim opus Concilij ex illo *Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & ad Rom. 8. Spe salui facti sumus, & 1. Ioann. 3. Qui habet hanc spem sanctificat se. Et Prouerb. 8. Qui sperat in Domino sanabitur, & Psalm. 90. Quoniam sperauit in me liberabo eum.*

Dif-

2 Difficultas est an sit necessarius necessitate medij? Negarũt *Vega lib. 6. in Trident. cap. 27.* vterque *Soto, Valencia tom. 2. disp. 8. quæst. 5. punct. 4.* cum alijs. Alij verò, in prima hominis iustificatione, sic esse necessarium affirmant, non verò deinceps, ita *Suarez tom. 2. de gratia lib. 8. cap. 19. & Torres disp. 61. dub. 1. N. Castillo disp. 1. quæst. 12. num. 4.* cum prima sentẽtia tenet; quod si homini nõ proponatur, quãdo iustificatur, obiectum spei, non est necessarius actus explicitus, sed sufficit implicitus, & in voto, contentus in alijs dispositionibus ad iustificationẽ: si verò proponatur, inquit esse necessarium necessitate medij actum explicitum spei, siuè ille, qui incipit iustificari, aliquando fuerit iniustitia, siuè aliquando non fuerit in ea.

3 A nobis autem dicendum venit. Actum spei esse necessarium in re, vel in voto, necessitate medij, quotiescumque de statu peccati ad statum iustitiæ transit homo. Hæc conclusio probatur primo. Quia est doctrina magis conformis *Trident. sess. 6. cap. 6.* vbi numerans dispositiones necessarias ad iustificationem, actum spei numerat. Secundo probatur. Quia, vt inquit *Ambros. lib. 1. de pœnit. nemo potest agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Vnde *Paralipom. 10.* inter peccata Saulis, numeratur, *quod non speravit in Domino. Et Sapientiæ 2.* Reprehenduntur, vt impij, *qui non speraverunt, mercedem iustitiæ.* Quare *Bernard. serm. 3. de Assumpt.* inquit: *Sola spes apud te miserationis obtinet locum; nec oleum misericordiæ, nisi in vasa fiduciæ, ponis:* & *Aug. lib. de catechizandis rudibus* docet: *A fide domus Dei fundatur, sperando erigitur, diligendo, perficitur*: ergo actus spei est medium necessarium ad salutem.

4 Probaturque tertio ratione, quæ videtur manifesta, & clara in Theologia. Quia ex diuina ordinatione ad iustificationem adultus debet disponi per propriam dispositionem, vt definit *Tridentin. sess. 6. cap. 5. & 6.* Sed iustificatio completur, ex tribus habitibus suo ordine à solo Deo infusis, scilicet fidei, spei, & charitatis, secundum idem Concilium: ergo quilibet habitus præexigit suam supernaturalem dispositionem ex eadem ordinatione diuina, ita quod sine illa, non operabitur iustificatio.

5 Sed obijcit prima sententia. Illud ex necessitate medij necessarium sine quo, non potest homo iustificari, sed absque actu spei iustificari potest homo: ergo. Probatur minor: quia ad iustificationem sufficit perfecta conuersio ad Deum, & quod homo perfectè diligat Deum super omnia propter se, sed

sed hoc potest contingere absque actu spei: ergo. Et confirmatur: quia actus spei, vel ex natura rei, vel ex diuina ordinatione est medium, sed neutro modo; quia ex nullo capite cōstat: ergo.

6 Respondeo, quod perfecta conuersio ad Deum, virtualiter continet actum spei, & sic nihil arguitur contra nos: imò multoties committatur actus spei formalis, & frequenter; si autem, cum quis possit elicere actū spei omittat, negatur suppositum, scilicet, quod talis cōuersio sit perfecta: nam tunc, sine formali spe, conuersio videtur falsa: nam ex diuina ordinatione, vt ex dictis constat, actus formalis spei est dispositio ad suum habitum; sicut actus primus fidei ad fidei habitum; & actus charitaris, ad charitatis, & gratiæ habitum: & patet ex illo *Matth. 9. Confide fili remittuntur tibi peccata*, & clarissimè ad *Timoth. 2. Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiēs nos, vt abnegantes impietatē, & sæcularia desideria, sobriè, piè, & iustè viuamus in hoc seculo, spectātes beatam spem*: quasi diceret, sine spe illa non possunt fieri.

Sectio. 2. *Vtrùm actus spei sit necessarius ex præcepto?*

7 AFfirmatiua pars est Catholicorum sententia ex illo ad *Timo. cap. 6. Præcipere spe-rare in Deo viuo*; & satis cōfirmatur ex superioribus locis relatis. Expressitquè *Aug. tract. 83. in Ioann.* dicens: *Quam multa nobis mandata sunt de fide, quam multa de spe*: idest, vnum multoties repetitum præceptum, & intimatum; vt *Psalm. 26. Spera in Domino, viriliter age, & Psalm. 40. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.*

8 Probaturque ratione. Quia actus spei est vtilis, & honestus, ita quod eius carentia, & omissio, imputetur nobis ad culpam, & peccatum: ergo est sub præcepto. Est enim ad institutionem vitæ Christianæ necessarissima intentio veri finis vltimi, non solum prout est bonus in se, sed etiā, prout est bonus nobis: nam thesaurus cœlestis, & Regnum Dei, in quo vita perfecta iusti figuratur, fundatur fide, erigitur spe, & perficitur charitate: ergo. Vnde hoc præceptum spei, non solum est positivum, sed naturale diuinum, propter naturalem necessitatē actionis, & vitæ sanctæ, & Christianæ.

9 Difficultas est; quando obligat? sudant in huius difficultatis resolutione Doctores: & adeò in omne latus se vertunt, vt vsque nunc nihil firmum appareat. Quidam enim ad principium vitæ hanc obligationē restringunt, dum primo incipit

vsus

vsus rationis luceſcere, cum quadam morali latitudine, ſcilicet, ſtante ſufficienti inſtructione fidei, & legis diuinæ. Ita *Lorca diſp. 17. num. 10.* Qui dicit, etiam eadem ratione obligare, quoties vita Chriſtiana inchoatur, poſt interruptionem fidei, & ſpei, hoc eſt, poſtquam quis ab infidelitate, & deſperatione reſipiſcit. Alij dicunt, quod quãdo vrget grauis tentatio deſperationis, ad quam vincendam, ſit neceſſarius actus ſpei. Sed cõtra: quia præceptum non deſperandi eſt negativum, & ſic per omiſsionem deſperationis ſufficienter adimpletur, & tentatio vincitur.

10 Alij verò dicunt, quod quando vrget aliquod præceptum, ad quod adimplendum ſit neceſſarius actus ſpei. Sed contra: quia hic quæritur de obligatione huius præcepti per ſe, non verò ratione alterius præcepti. Alij verò affirmant, hanc obligationem inſtare, quoties debitum eſt operari ad iuſtificationem: quia eſt neceſſaria diſpoſitio ad ipſam. Sed contra: quia omiſsio actus ſpei tunc, nõ foret peccatum contra ſpem, ſed contra præceptum iuſtificationis: non enim ibi forent duo peccata, ſed vnum, ſcilicet non pœnitendi. Alij verò ad articulum mortis hanc obligationem protrahunt. Et alij ad arbitrium boni viri relinquunt. Vnde, vel omnes Authores ſunt viri boni, vel nullus vir bonus eſt.

11 A nobis tamen, quidquid ſit de probabilitate horum modorum, videtur dicendum, conſequenter ad dicta *Opuſc. de pœnit. virtut. & de fide*, quod hoc præceptum obligat per ſe, quotieſcumque homo adultus ex impietate tenetur trãſire ad iuſtitiam, ſiue anteà extiterit in illa, ſiue non extiterit. Quia tũc vrget iuſtificationis præceptum, & cum in iuſtificatione tria illa ſimul infundantur, ſcilicet, fides, ſpes, & charitas habitualis, videtur rationabiliter, illud eſſe tempus, in quo obligãt præcepta fidei, ſpei, & charitatis, & conſequenter actus eius, vt diſpoſitiones propriæ, & neceſſariæ ex opere operantis.

12 Pro decurſu autem vitæ: in quo eſt præcipua difficultas. Dico, obligare quotieſcumque obiectum ſpei debito modo, cum omnibus circunſtantijs, practicè proponitur, vt ſperabile. Quia tunc, arbitrium prudẽtis viri cenſet, obligationem inſtare. Iſta autem propoſitio practica non eſt frequetiſsima, nec ſcrupuloſa, vt minus benè cenſent aliqui, nec oneroſa. Conſtat enim de præcepto per ſcripturam; de determinato autem tempore non conſtat: ergo determinatio debet colligi ex dictamine noſtræ conſcientiæ: ex quo cum conſcientia no-

nostra recta, & prudens dictet obligare, tunc obligabit: sed hoc est, obiectum spei, debito modo, cum omnibus circunstantijs, & practicè proponi, vt sperabile: ergo quoties sic proponatur, obligabit.

CAPVT II.

De Doctrina morali circa Timorē, & Præsumptionem.

Sectio. 1. *Vtrùm Timor mundanus sit semper peccatum mortale?*

13 ALiqui, quos sine nomine refert *Lorca disp. 11. num. 1.* absolutè affirmant, semper esse mortale. Sed à nobis dicendum est: quod cum timor mundanus sit, quando quis, ne amittat bona temporalia, transgreditur præceptum legis, si transgressio legis fuerit grauis, timor erit peccatum mortale; si verò transgressio præcepti legis, fuerit leuis; tunc timor causabit leue peccatū, & veniale. Ita *Lorca* citatus.

14 Vnde fornicari, vel adulterari metu mortis erit mortale; & similiter metu iacturæ famę, aut aliorum bonorum temporalium. Alij verò dicūt; quod si metus cadat in virum constātem, nō imputatur culpa; quod nō benè sonat loquēdo de trāsgressione pręceptorū legis diuinæ, & naturalis: quidquid sit de alijs præceptis positiuis humanis; quæ certè non videtur obligare, cū tanto dispendio. Fateor verò talem timorem minuere voluntarium, vt cum cōmuni omnium sententia dixi *Opuscu-lo de Actibus humanis, & Opuscu-lo de Matrim.* Si verò metu grauis iacturæ temporalis leuiter mentiretur, quis iudicabit illum timorem, esse mortale? nullus certè rationabiliter: aliud est, si mentiatur grauiter, quia tunc mētiri est intrinsecè peccatum mortale. Igitur metus grauis cadens in virum constātem (qualis est metus mortis: aut proprię mutilationis, filiorum, vel aliorum coniunctorum in primo gradu, amissionis omnium bonorum, carceris perpetui, verberū, & similiū) excusat à peccato in his, quæ non sunt intrinsecè mala, & quæ solo humano iure sunt prohibita. De quo possunt videri multi casus in *summ. Dian. verb. Metus excusans.*

15 Difficultas est. An timor, & illud quod fit inordinatè ex timore sint duo peccata? in quo dico cum Lorca primo. Quod timor mundanus, & concupiscentiæ amor illius rei, quā quis timet amittere, non sunt, nisi vnum peccatum; sicut actus interior, & exterior; vel sicut peccatū cum sua circunstātia. Dico secundo. Si amor rei creatæ, quā quis timet amittere, est secundū se

se inordinatus timor amittendi talem rem, erit peccatū mortale, quando ex illo timore aliquod præceptum legis frangatur adhuc leuiter. Quia tunc timor est circunstantia peccati specialis; puta auaritiæ, gulæ, vel ambitionis, &c. & ibi sunt dūo peccata, vnum amor inordinatus rei, quæ timetur amitti, & aliud transgressio præcepti: quæ si sit grauis erit mortale, & si sit leuis veniale.

16 Dico tertio. Si amor rei creatæ, quam quis timet amittere, sit inordinatus, non ex se, sed ex circunstantia effectus, quam timor causat, amor, & timor erunt vnum peccatum mortale, vel veniale eiusdem malitiæ effectus, quem causat, iuxta mensuram peccati, quod inferunt: nam tunc amor, & timor sunt solum peccatum ratione peccati, quod causant: Qualiter autem metus minuat voluntarium dicitur *tract. de actib.* Qualiter autem sit confitēdum peccatum, ex metu graui commissum, dixi *Opusc. de pœnitent. Sacrament.* loquendo de circunstantijs aggrauātibus, vel minuentibus.

Sectio. 2. *Vtrùm Timor seruilis sit honestus, & bonus?*

17 PVnctus istius difficultatis est dogmaticus. Quoniam Lutherus timorem pœnarum reprehensibilem esse, & malum prædicabat, hominemque hypocritam constituere docebat; vt referunt *Belarmin. 2. de pœnit. cap. 17. Rophensis art. 6. & Ruard. art. 5.* Primum Lutheri fundamentum est. Quia qui fugit peccata propter pœnam, plus est odire pœnam ipsam, quam peccatum, quod est inordinatum: ille enim timor, non tā ex odio culpæ oritur, quàm ex amore concupiscentiæ ex affectu commodi circa seipsum: & sic fugere culpam propter timorē pœnarum, est magis diligere seipsum, quam Deum, quod est malum, & reprehensibile: fugere enim peccatum propter pœnā, solum est materialiter odire peccatum; quia non desisteret à culpa, & peccato, si liceret impunè: ergo qui timore pœnæ omittit peccare, iustitiam fingit, quam non habet in corde: & sic est hypocrita.

18 Potestque confirmari ex *Aug. concion. 25. in Psal. 118.* vbi ait: *Timor, quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est: quia carnalis, & ideò non crucifigit carnem, viuit enim peccandi voluntas; & lib. de spirit. & lit. cap. 8.* ait: *Quicumque faciebant, quod lex iubebat non adiubante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore iustitiæ, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate eorum, quod coram hominibus apparebat in opere: & cap. 14. Si mādatum fit timore pœ-*

pœnæ, non amore iustitiæ, seruiliter fit, non liberaliter, & ideò nec fit; non enim fructus est bonus, qui non surgit de radice iustitiæ: & lib. de gratia Christ. cap. 26. & 1. contra duas epistolas cap. 9. & alibi cõtra Pelagianos, præcipuè *cap. 121. Enchirid.* dicit: *Qui timore aliquid facit, & si bonum sit quod facit, nõ tamen benè facit.* Vnde *in decretalibus cap. Qui ex timore, de regul. iuris,* dictum est. *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debet facit, & ideò nec facit*: ergo timor seruilis, non est honestus, nec bonus.

19 Sed timorem seruilem, aut pœnæ æternæ, honestum, & bonum esse firmiter, & constanter cum Ecclesia Catholica tenendum de fide à nobis est. Ita definiunt *Leo X. in Bulla cõtra Luther.* quæ est 40. *Cherubino*: vbi inter alios errores, ille præcipuè damnatus est; & specialiter posteà *Ttidentin. sess. 6. cap. 6. can. 8.* Lutheri errorem sub anathemate damnat, & *sess. 14. cap. 4. can. 5.*

20 Et probatur ex *Malach. 1. Si ego pater, vbi est amor meus, & si ego Dominus, vbi est timor meus?* sed expressius *Matth. 10. Timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehenã: & cap. 3. Quis demonstrabit vos, fugere à ventura ira, &c? Omnis arbor quæ non facit bonum fructum excidetur, & in ignem mittetur*: ergo timore pœnarum, excitabat ad pœnitentiam. Quibus accedunt in terminationes diuini iudicij, & acclamationes seueritatis Dei grauitate pœnarum, & tormentorum gehenæ, frequentissimè in Scriptura. Videantur *nost. Vega lib. 6. super Tridentin. cap. 24. & Bellarmin.* qui multa Scripturæ, & Patrum congesserunt testimonia.

21 Ratione autem euidenti probatur. Quia pœna est malum, quod maximè aduersatur naturæ: ergo est conueniens obiectum fugæ, & timoris: diligere autem seipsum, sine præiudicio dilectionis Dei, nihil habet inordinatum: maximè quando amor nostri eo tendit, vt ordinetur ad dilectionem Dei formaliter, vel virtualiter, expressè, vel implicitè, aut dispositiuè: ergo timor seruilis, & pœnarum fuga nihil reprehensione continet, neque ex parte obiecti, neque ex parte radicis, seu amoris cõcupiscentiæ: ergo est honestus, & laudabilis.

22 Ad argumenta Lutheri respondeo: quod dum expresso affectu, & cõparatione expressa non præferat malum pœnę malo culpæ iudicando malum pœnæ esse maius, malo culpæ, non est magis fugere pœnam, quam culpam, omittere, aut desistare peccatũ ex timore pœnæ. Et licèt illud culpæ odium oriatur

ex-

ex amore concupiscentiæ, non ex affectu præcisè cõmodi, sed etiam ex affectu iustitiæ, sequẽdo regulam infusam fidei, & rectum dictamen rationis, & similiter oritur ex odio ipsius culpæ; quod non est diligere magis seipsum, quam Deum; quia non semper dilectio minoris boni, est cum præiudicio dilectionis boni maioris, nisi quando in ipsa dilectione est expressa prælatio; quod non accidit in Timore seruili, & pœnarum gehenæ.

23 Neque odium peccati propter pœnas est materialiter fugere peccatum, ita quod si nõ essent futuræ pœnæ peccaretur, nisi id expressando fugiat: imò fugere id expressando, non est fugere, nec odire peccatum, sed per in peccato complacentiam: at verò, qui absolutè odit peccatum propter pœnas gehenæ, positiuè non excludendo amorem Dei, & excludendo positiuè omnẽ peccati complacentiam: tunc nihil fictum ostendit: neque aliud ostendit exterius, quod intus habet in corde, & in voluntate: & sic talis nullo modo est hypocrita.

24 Ad August. patet, loqui de illo Timore, non excludenti affectum peccandi, sed potius illum conseruandi. Nam in primo loco addit *viuit enim peccãdi voluntas*. Cum illo Timore, *quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cũ verò pœna creditur sequutura, latenter viuit; viuit tamen: male enim licere, & dolet non licere*, quid clarius, *quod lex vitat*. In secundo autem loco addidit Augustinus: *Potiusque ex illo rei tenebantur, quod nouerat Deus, magis velle cõmittere, si impunè fieri posset*: vbi loquitur de Timore seruili vili, qui non excludit affectum culpæ. Quod etiam denotat in tertio loco per ly *seruiliter*: quia, qui seruiliter timet, pœnam, non ideò fugit peccatum absolutè propter pœnã, sed quia desideràret expressè, non esse pœnam, vt possit committere culpam. Et sic in terpretandus est manifestè Augustinus, in omnibus locis: quia expressissimè Catholicam nostram sententiam docet in alijs.

25 Nam *serm. 18. de verbis Apostoli*, ait: *Cũ ergo Dominus Timorem incusserit, & vehemẽter incusserit, & repetendum verbũ comminantiæ geminauerit dicturus ego sum: malè times? non dicam*. Vnde infrà ait: *Time, nihil enim melius times, nihil est, quod magis timere debeas*: & *Psal. 127*. expressè dicit: *Ille autem Timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet, Timore facit, quidquid facit, Timore patiendi malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in gehenam, timor iste bonus est, vtilis est*: ergo.

De

26 De isto enim timore diuinæ iustitiæ, quo peccatores cõcutiuntur, intelligitur illud *Prouerb.* 14. *Timor Domini fons vitæ*: & illud *Ecclesiast.* 25. *Initium dilectionis*: & *Isaiæ* 26. *A timore tuo, Domine, concepimus, & peperimus spiritũ salutis*: & *Ecclesiast.* 1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non potest iustificari.* Vbi vtilitas, & necessitas timoris Domini demonstratur ad iustificationem: quod nõ esset verum, si timor pœnarum, & seruilis, non esset bonus, & honestus, sed hyprocrisis, vt pertinaciter dixit *Lutherus* solus: quia eius discipuli, cum tot fuerint, in tali errore non fuerunt, vt accuratè adnotauit *Bellarm. illo lib. 2. de Pœnit. cap. 17.*

Sectio 3. *Vtrùm sit speciale præceptum habendi timorem seruilem?*

27 *Diu. Thom. quæst 22. art. 2. in 2. 2.* affirmare videtur esse præceptum, tam de filiali, quàm de seruili: videatur in *solut. ad 2. Thom. Sanchez tom. 1. Sum. lib. 2. cap. 33. num. 4.* negat; dicens esse circunstantiam generalem in omnibus peccatis repertam; orituque ex quocumque præcepto cuiusvis virtus. Ita cum eo sentit *N. Castillo disput. 2. quæst. 1. num. 9.* & videtur idem velle *Lorca disput. 18. in fine tractatus de spe, in commento ad art. 2. Diui Thom.* in quantum dicit, quod præceptum timoris, non inducit speciale peccatum ab eo distinctum, quod defectu timoris admittitur.

28 Ego tamen existimo, esse speciale præceptum timoris seruilis, & filialis: quod satis colligitur ex testimonijs Sacræ Scripturæ allegatis; maximè Ecclesiastici: vbi non solum indicat necessitatem timoris ex præcepto, sed videtur adstruere, esse necessarium necessitate medij. Ratione probo: quia de pœnitentia datur speciale præceptũ, sed pœnitentia, vel est contritio, vel attritio, quæ definiuntur, esse detestationes, & fugas peccatorum, vel propter pœnas, vel propter Deum: ergo timoris filialis, & seruilis, datur speciale præceptum: quòd obligabit, sicut diximus *Opusc. de Pœnitent. vi. tut.* videantur ibi longissimè dicta, sed necessaria.

Sectio 4. *Vtrùm præsumptio sit peccatum mortale?*

29 Respondeo cum omnibus esse ex suo genere mortale. Quia opponitur extremè per excessum virtutis magnæ spei supernaturali Theologicæ, & inducit deordinationem in re magni momenti. Ita *Sanct. Thom. & Lorca in exposit. quæst.* 19. Tripliciter autem potest peccare peccato præsumptionis.

Primo, si speretur à Deo aliud, quam lege diuina statutum est, sperare, v.g. si quis speraret gradus gloriæ, & gratiæ, quos habuit Christus, vel vnionem hypostaticam. Secundo, si quis speraret Beatitudinem aliter, quam à Deo statutum est, v. g. remissionem peccatorum sine pœnitentia, & Sacramentis, & gloriã sine meritis. Tertio; si quis speraret non à Deo, sed à se ipso, vel ab alio, quam à Deo. quomodo sperauere Lucifer, & Angeli eius, Lutherani Pelagiani, Manichęi, & alij hæretici.

30 Sed quæres primo. Erit præsumptio, differre ex animo pœnitẽtiam vsque ad mortem? Non ex abusu diuinæ misericordiæ, sed si fiat ex negligentia, dicit *Castillo disp. 2. quæst. 3. num. 6.* quod non est præsumptio, & citat Azorium. Sed melius videtur dicere esse præsumptionem. Quia si ex animo ita pœnitentiam differat, diuina misericordia abutitur, non solum interpretatiuè, sed etiam actu, & expresse.

31 Quæres secundo. Ad peccata præsumptionis debet præcedere hæresis? Respondeo negatiuè ex *Scoto in 3. distinct. 45. quæst. 1. §. Respondeo, vers. Dico tamen.* Est communis sententia, & probatur. Quia nullo errore precedẽte in intellectu, potest quis, pro sua voluntate, vt Lucifer, appetere vnionem hypostaticam, & tantam gratiam, & gloriam, quantam habuit Christus.

32 Quæres vltimo. Quale est maius peccatum præsumptio, vel desperatio? Respondetur, quòd desperatio; *nam pessimi homines incidunt, in desperationis peccatum*, ait *Augus. de fide ad Petrum.* Quia licèt præsumptio sit mala per nimietatem confidentiæ, seu fiduciæ: desperatio verò est magis mala, quia peiores habet effectus, & quia est recessus à Deo per modum fugæ, in quo maxima ei irrogatur iniuria omnipotentiæ, misericordiæ, & bonitati infinitæ diuinæ. Vnde inquit Augustinus, quòd Iudas desperans facilius cucurrit ad laqueum, quam humiliatus contrita superbia, & præsumptione petierit veniam.

CAPVT III.

Circa doctrinam Moralem de desperatione.

Sectio 1. *Vtrùm sit possibile à Deo fieri alicui absoluta reuelatio de sua damnatione?*

33 DE lege ordinata loquẽdo, conueniunt omnes fieri non posse. Difficultas ergo est de potentia absoluta. In quo sunt tres sententiæ. Prima est Recentiorum, *Lorcæ disp. 18. num. 3. Suarij disput. 2. sect. 2. numer. 6.* & aliorum, quæ est affirma-

matiua. Secunda sententia negat; & illam tenet *D. Bonauentura in 1. distinct. 48.* Exponendo textum Magistri, vbi *Gregorius quæst. vlt.* Cõsentit *Altisiod. lib. 3. tract. 5. cap. 6. quæst. 5. Cartusian. Dialogo de iudicio animæ, art. 5.* Citans *Alensem*, & inclinat *Diu. Thom. in 1. dist. 48. art. 4. ad 2. Pater Castillus disp. 2. quæst. 5. n. 13.* dicit; quod si reuelatio fiat homini, quem Deus vult, perseuerare in vita in communi statu viatoris, implicat fieri talem reuelationem; si verò fiat homini, quem non vult in tali statu perseuerare, licèt vellit perseuerare in vita, tunc possibilis est in casu difficultatis reuelatio absoluta.

34 Vt nostrũ iudicium proferamus, attentè istarum sentẽtiarum fundamenta præscrutemur prius. Est ergo primæ sententiæ fundamentum. Quia Deus optimè nouit futurum euentũ: ergo potest illum manifestare; quia in eo nulla est manifesta contradictio, nec indecentia: sicut, inquit Lorca, nulla fuit, in eo quod reuelaret Christus D. Petro suum futurum negationis peccatum. Imò, addo, Iudæ reuelauit peccatum futurum finalis impœnitentiæ: & sic suã damnationem cum *Marc. 14.* dixit: *Veh homini illi, per quem Filius hominis traddetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*: & *Matth. 26. Luce 22. & Ioan. 13.* cum dixit Iudæ: *Quod facturus es fac citiùs*: & in Sacra Scriptura iã reuelata est damnatio Antichristi; de quo dicitur, *esse filium perditionis*, inquit Suarez: ergo posset Deus ipsi Antichristo reuelare se esse Antichristum, & perditionis filium, sicut potest alteri reuelare: ergo de potentia absoluta non repugnat, quòd alicui fiat reuelatio de sua damnatione.

35 Cæterum præiactũ fundamentum, non ita probat possibilitatẽ reuelationis de damnatione futura absolutè, quin prius, & immediatè ipsa reuelatio cadat supra demerita, propter quæ ipsa damnatio est futura. Et sic, non tam reuelare videtur Deus absolutè damnationem, quam causam ineuitabiliter, cui ineuitabiliter damnatio sequitur: & sic fuit, vel est in exemplis de Iuda, & Antichristo. Et ita ordo iustitiæ postulat, & misericordiæ; quòd sicut neminem reprobat Deus ante præuisa demerita, neminem certificet de sua damnatione, nisi in quantum certificat de peccatis, quæ sunt causæ damnationis. Quòd si dicatur; quòd Deus iure dominij supremi super omnes creaturas, poterit ordinare hominem ad suportandas pœnas, seu tormenta inferni pro tota æternitate, & tunc potest Deus, illi homini hoc reuelare. Respondeo, quòd illud nõ vide-

tur, posse ita absolutè concedi, sentiendo piè de diuina bonitate, iustitia, & infinita misericordia.

36 Secundæ autem sententiæ fundamentum est; quia talis reuelatio esset inutilis; & alias occasio foret multorum malorum, præcipuè in homine viatore; quia constituitur in statu, in quo non posset, cōnari ad suum finem vltimum cōsequendum; quod videtur, cōtradicere rectitudini ordinis sapiētię, & prouidentiæ diuinę. Et tandē sequeretur, quòd talis homo posset velle licitè suam damnationē; quia vt sic, se cōformaret voluntati Dei: & aliàs nō posset, licitè velle talem damnationem; quia hoc esset, velle sua peccata. Hoc argumentum insolutum relinquit Suarez, ex parte cōnatur respodere; sed nulla solutio placet, nec satisfacit. Nam dicere, tale argumentum probare, no posse fieri talem reuelationem de potentia ordinaria; quia talia sequerentur; non explicat, quomodo, in hypothesi de potentia absoluta, eadē incouenientia nō sequātur. Illud autē, quòd Lorca dicit ad vitandā perplexitatem; scilicet, quòd in tali casu tenere tur homo, conformare se cū tali volūtate diuina, videtur falsum; & omnia, quæ ibi dicit pro solutione rationum D. Thomæ sunt parui momenti.

37 Tertiæ sententiæ fundamentum est. Quia eo ipso quòd homo viuat, vt viator, debet habere pro termino præfixo Beatitudinem à Deo; nō vtcumque, sed tanquam circa quem possit currere, vel vt in præmium, & brabiū; at eo ipso, quòd homo haberet talem reuelationē, nequiret homo, currere proprio, & vero affectu ad brabium, & præmium: ergo si Deus vult, quòd homo permaneat in vita, vt viator, implicat talis reuelatio, vt à ipso Deo fiat. Si verè Deus velit, talem hominem perseuerare in vita, sed non vt viator, cessat illud incouenies: & sic nō est implicatio, quod vt sic Deus sua potētia absoluta reuelet homini suam absolutā damnationem; & vt sic videtur vera prima sententia, & falsa secunda; & secundùm priorem modum vera secunda, & prima falsa.

38 Sed hoc fundamentum non placet, & potest multis vijs eneruari. Primo: quia Deus vel reuelat homini suā damnationē præuisis demeritis hominis, vel nullo præuiso demerito in homine: nullo præuiso demerito reuelare damnationē, iniustum est, sicut iniustū est, sine peccato castigare, punire, & ad pœnas ita grauissimas damni, & sensus destinare, & damnare hominē sine culpa. Si præuisis demeritis reuelet: ergo stat optimè, quòd Deus reuelet alicui suā damnationē, & quod velit, vt homo perseue-

ret

ret in vita, secundùm statũ viatoris, in quo demereatur Beatitudinem, & eliceat demerita propter quæ damnauit, & decreuit damnationem, quam reuelauit illi homini in primo instãti vsus rationis, in quo nondũ elicuerat in re exhibita peccatũ.

39 Secundo. Eo ipso quòd Deus reuelaret alicui aliquam transgressionem præcepti absolutè futuram, nõ per hoc extrahitur à potestate hominis adimpletio præcepti: ergo eo ipso quod Deus, alicui reuelet suam damnationẽ, nõ per hoc extrahitur ab eius potestate cõsequutio Beatitudinis: ergo quemadmodum stat cum reuelatione de transgressione præcepti, voluntas Dei, qua vult, vt homo se habeat, vt viator iuxta præceptum, ita similiter poterit stare reuelatio damnationis cũ voluntate, vt homo perseueret in vita, vt viator circa præceptum de consequenda Beatitudine: ergo vel teneat cum prima sententia absolutè, vel cum secũda, quia huiusmodi sua illarum duarũ sententiarũ compositio, nõ videtur sufficienti fundamento firmata.

40 A nobis dicendũ est primo: Quòd est impossibilis reuelatio absoluta de damnatione æterna absolutè futura in executione ante præuisa demerita hominis, cui fit talis reuelatio de sua damnatione. Hæc conclusio probatur: quia pœna semper respicit culpã, & infligere pœnam sine culpa iniustũ est: ergo reuelatio de pœna æterna futura supponit aliquã culpam in homine cui fit talis reuelatio: aliàs erit iniusta: & hoc tantum vult secũda sententia, & nihil aliud.

41 Dico secundo: post præuisionẽ demeritorum est à Deo possibilis reuelatio absoluta de cõdemnatione absoluta, & infallibiliter futura alicuius. Hæc cõclusio probatur fundamento adducto, pro prima sententia: & id tantum ostendunt eius argumẽta, & nõ plus. Et probatur. Quia damnatio ad pœnas æternas absolutè futura est iusta præuisis demeritis absolutè futuris: ergo etiam reuelatio absoluta talis damnationis est iusta, & nihil habet indecentiæ ex parte Dei.

42 Dico tertio: de potentia absoluta potest homo, produci in puris naturalibus: ita, quòd neque ordinetur à Deo ad supernaturalẽ Beatitudinẽ, nec ordinetur ad pœnã æternam: & tunc potest hoc à Deo reuelari absolutè ante præuisionẽ meritorũ, vel demeritorũ. Probatur: Quia sicut produxit in puris naturalibus hominem, ita potest conseruare Deus illum hominem in puris naturalibus pro tota æternitate, supposita extra ordinaria potentia absoluta sua: Non enim tenetur Deus ex aliqua obligatione, ad hoc, vt omnes homines ordinet ad illum

felicissimum statum: ergo non ordinando hominem ad talem statum, non faceret iniustitiam illi. Et isto modo potest tertia sententia habere veritatem. In quo casu nulla supernaturali lege teneretur homo: & consequenter, nec peccaret cõtra aliquam.

Sectio 2. *Vtrùm ille, cui facta est absoluta reuelatio suæ damnationis, teneatur sperare?*

43 NEgat communis Recentiorum sententia: vt *Suarez disput. 2. sect. 2. n. 8. Lorca disput. 18.* quamuis non satis clarè, citatur *Vazquez 1. 2. disput. 72. cap. 3.* Sequitur *Torres disput. 65. dub. 2. Ægid. disp. 20. dub. 12.* Tenuerunt *Maior, Gabriel, & Pityg. dist. 26. art. 2.* quos sequitur *N. Castillo disp. 2. q. 5. num. 3.* Sed ista opinio nunquam mihi placuit.

44 Quare à nobis dicendum est: quòd homo certus per reuelationẽ de sua damnatione, non absoluitur ab obligatione sperãdi; & sic, quod tenetur sperare. Ita *Gregor. de Arimino in 1. dist. 48. q. 1. Aragon 2. 2. art. 1. q. 22.* citatur *Victoria*, & tenet *Azor tom. 1. institutionum Moralium, lib. 2. quæst. 3.* & videtur posse *Lorcam*, referri pro ea. Et antequam probemus conclusionem, suppono, conclusionem procedere de reuelatione, non in sensu in tertio dicto sumpta, vt posuimus *num. 42.* sed in alijs, adhuc supposito, quòd prima opinio dubij præcedentis, sit vera.

45 Hoc posito, probo conclusionem. Stante reuelatione hac manet præceptum sperandi: ergo manet obligatio. Probo antecedens: stante reuelatione hac manet obiectũ motivum, & formale spei: ergo etiam manet præceptum sperandi, & obligatio adimpletionis talis præcepti. Probo antecedens: si stante reuelatione, nõ maneret obiectũ formale spei, eo esset, quia obiectum non manet absolutè futurum, sed stante, quod obiectum no sit absolutè futurum, potest manere, & manet obiectum formale motivũ spei: ergo stãte hac reuelatione manet obiectum motivum formale spei. Probo minorem in qua est difficultas: obiectũ reuelationis, non est, non absolutè futurum, propter reuelationem, sed potius reuelatio est propter obiectum absolutè non futurum: igitur reuelatio supponit obiectum nõ absolutè futurum; at ante reuelationem, cum absoluta non futuritione obiecti spei, stabat obiectum motivum spei: ergo stante, quòd obiectum, non sit absolutè futurum, potest manere, & manet obiectum motivum formale spei: ergo etiam posita reuelatione, stat obiectũ formale motivum spei, etiam si obiectum, non sit absolutè futurum: quia, quòd tale obiectum non sit absolutè

solutè futurum, non est in causa, & in culpa reuelationis: sed est in causa nostri, & propter nostra peccata: nam quantū est ex parte obiecti, adhuc posita reuelatione, est sufficientèr futurum, quantum sufficit ex parte sua, ad hoc vt sit motivū formale spei: maximè cum Deus, adhuc posita reuelatione, nō desistat à collatione auxiliorū sufficientium; negare enim auxilium efficax, est propter nostram culpam.

46 Confirmatur: quia vt sit obiectum formale spei, non requiritur, quòd obiectum sit absolutè futurū: aliàs nullus teneretur sperare: ergo sufficit, quòd sit sufficienter futurum; sed posita reuelatione manet sufficienter futura Beatitudo quantum est ex parte Dei, & quantum est ex parte assensus fidei fundantis actum spei: ergo posita reuelatione, manet obiectum formale sperandi, & consequenter præceptum, & obligatio ad actum spei. Confirmatur secundo: quia ex opposita sententia sequeretur, nullum existentem in peccato esse obligatum ad sperandū: quia peccator, qua peccator est, certò cognoscit, sibi non esse futuram Beatitudinem, & per reuelationem scit de fide futuram esse suam damnationem: ergo qui vellet, permanere in peccato, eo ipso non esset obligatus ad sperandum: quia illa voluntate suppositā est certus de Fide de sua damnatione futura; sed hoc dici non potest: ergo quod sit certus de sua damnatione, per istam, vel per aliam viam, scilicet per reuelationem, non tollit obiectum formale motivū spei, nec præceptum, & obligationem sperandi.

47 Item sequeretur, fidei diuinæ, posse subesse falsum. Nam ille, qui sperat, cum alias condemnatus sit, fundat spem suam in fide falsa, nā secundùm oppositam sententiā credit, Beatitudinem esse futuram fide diuina supernaturali, cum tamen reuera, futura non est: ergo ne in hoc inconueniens deueniamus dicēdum est, quòd ad obiectum motivum formale spei, sufficit iudicium, & assensus de futuritione obiecti spei, fundata in fide, sed hæc futuritio eadem manet posita, vel non posita reuelatione: ergo adhuc posita reuelatione manet obiectum formale spei; nam futuritio, quæ sufficit ad spem, fundatur in hoc assensu de fide: *Saluabor, si per me non steterit*, quòd totum manet posita reuelatione, & consequentèr obiectum spei.

48 Secundo probatur nostra sententia. Cū reuelatione omissionis alicuius præcepti absolutè futuræ, stat obligatio ad impletionis talis præcepti, cui illa omissio absolutè futura opponitur: ergo cum reuelatione de damnatione futura absolutè stat

obligatio adimpletionis præcepti spei. Antecedens a nullo negatur: alias neque Petrus negando Christum peccaret, neque Iudas, neque Antichristus: consequentiam probo; cum reuelatione de aliquo peccato stat obligatio adimpletionis præcepti, cui tale peccatū opponitur: ergo cū reuelatione omissionis actus spei stat obligatio adimpletionis præcepti affirmatiui spei; cōsequens est manifestum, tunc sic: ergo cū reuelatione omissionis actus spei vsque ad vltimū instans vitę intrinsecū, & primū mortis extrinsecū, stat obligatio præcepti affirmatiui spei; sed eo ipso quòd tale peccatum sic reuelaret Deus, consequenter reuelaret (imò decretum, & reuelatum esset futurum absolutè æternum damnū) absolutam damnationem illius, qui sic peccat contra præceptum affirmativum spei: igitur reuelatio absoluta de damnatione, nō aufert obligationem sperādi: ergo cui facta est talis reuelatio tenetur sperare.

49 Ex oppositā enim sentētia videtur mihi sequi hominē, cui fieret talis reuelatio, deobligatū esse ad adimplenda omnia mandata Dei. Quia dicit Christus D. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*: ergo si facta reuelatione liceret velle, non velle ingredi in vitam æternam, liceret, non seruare mandata. Illud autem, quòd ad illud vltimum respondet *N. Castillo citatus in suo num.* 5. manifestè contradicit suæ doctrinę: nam *num.* 13. dicit; esse impossibilem reuelationem istam fieri homini perseueranti in statu viatoris, & hic manifestè admittit, hominem esse viatorem, & in tali statu constitutum esse (quia secundùm ipsum habet obligationē seruandi alia mandata, quæ secundùm Doctrinam Iesu Christi D.N. seruātur ad ingrediendam vitam, & brabium, præmiumque consequendum, & simul habere reuelationem de sua damnatione; dicendo quòd talis excusatur ab obligatione præcepti sperandi.

50 Sed videamus nunc, quæ obijciat cōtra nos oppositā opinio. Primo sic obijcit: Facta tali reuelatione deficit iudicium, quo homo apprehendat obiectum spei, non solum, vt possibile, sed etiam, vt futurum, sed hoc requiritur ex parte obiecti motiui spei: ergo deficit motivum; sed deficiente motiuo deficit obligatio actus: ergo, & obligatio præcepti. Et confirmant. Quia spes distinguitur à desiderio inefficaci, sed desiderium inefficax respicit bonum possibile saltim per apprehensionem: ergo desiderium, seu spes respicit obiectum saltim per apprehensionem plusquam possibile, scilicet, vt futurum; quod non potest componi cum reue-

la-

latione absoluta de damnatione absolutè futura.

51 Sed hæc fundamenta omnino inefficacia sunt. Respõdeo ergo distinguendo maiorẽ: quãtum est ex culpa, & ex parte hominis, omitto: quantum est ex parte reuelationis, & obiecti spei, nego. Reuelatio enim non facit obiectum spei non esse futurum, sed illud supponit absolutè non futurum: quia supponit peccata, & demerita hominis absolutè futura: & quòd peccata hominis reddant cõsequutionẽ Beatitudinis absolutè, & infallibiliter non futuram, non auferunt ab eo obligationẽ sperandi. Nam stante reuelatione de absoluta futuritione damnationis, stat futuritio sufficiens Beatitudinis, quia adhuc posita reuelatione permanet verum de fide hoc iudicium, & hic assensus, *Si per me non steterit saluabor.* Præterquamquod in Deo stat iudicium de futuritione Beatitudinis Iudæ decreto absoluto, quo vult ardenti desiderio Iudam saluari, & simul iudiciũ de nõ futuritione absoluta Beatitudinis eiusdem Iudæ: ergo stare poterit in homine iudicium de futura Beatitudine, & iudicium de non futuritione stante reuelatione absoluta de damnatione.

52 Vnde ad confirmationẽ respondetur, quòd non est inculpa reuelationis, quòd homo nõ possit, respicere obiectum Beatitudinis, vt futurũ (præterquãquod falsum est ex dictis immediatè, non posse respicere, hoc obiectum Beatitudinis, vt futurum: nam illa veritas infallibilis fidei, scilicet, si per hominem non steterit, fiet salus eadẽ nunc perseuerat, sicut ante reuelationem, in quo principio firmitas fundatur spei, & certitudo) sed hoc imputet sibi, qui per sua peccata reddit Beatitudinem absolutè sibi non futuram: nam ex parte Beatitudinis sufficiẽter est conditionatè futura, nõ minus, ac ante reuelationem per illud iudicium, & assensum fidei infallibilem: *Si per me non steterit saluabor*; quòd tantum requiritur, vt maneat motivum formale actus spei: nõ verò requiritur, quòd Beatitudo sit absolutè futura, aut non futura iudicetur. Sicut enim in D. Paulo cũ reuelatione absoluta de sua salute futura, stabat timor, & non futuritio conditionata de ipsa salute; ita cum futuritione absoluta de damnatione, stare poterit non futuritio conditionata de damnatione, & futuritio conditionata de Beatitudine, quæ sufficit ad formale motivum actus spei; & sic vt maneat obligatio sperandi in illo, cui facta est reuelatio absoluta de damnatione.

(✝)

Se-

Sectio 3. *Vtrùm homo posita reuelatione teneatur non desperare; an verò possit licitè desperare?*

53 *Noster Castillo*, cum alijs, *disp. 2. quæst. 5. num. 9.* dicit in tali casu licere, desperare. Et quidem si rectè consideretur, magis benè sentit Castillo, quã alij in hac parte. Quia cum ipse dicat, desperationẽ non esse nolitionẽ efficacem Beatitudinis, sed esse per modum inefficacis prosequutionis, & recalcitrando facie ad faciem ab obiecto spei, non videtur ita mala sua sententia, quam aliorũ, qui nobiscum sentiunt, desperationem fieri per modum fugæ, & nolitionis terga vertendo obiecto spei.

54 Sed quidquid sit de hoc, quòd supra impugnatum relinquitur. A nobis dicendum est; quòd non licèt desperare, sed quòd manet obligatio non desperandi. Tenet *Suarez disput. 2. sect. 2. in fine, Azor, Puente Hurtado*, & alij. Et probatur primo ex dictis Sectione præcedenti. Quia manet obligatio sperandi ex præcepto affirmatiuo: ergo multo magis obligatio præcepti negatiui non desperandi. Secundo probatur: quia desperatio, seu desperare in nostra, & omnium sententia est intrinsecè malum: ergo in nullo euentu potest honestari: nam irrogatur iniuria omnipotentiæ diuinæ, credendo de omnipotentia diuinæ misericordię non posse extendi ad remissionem peccatorum desperantis.

55 Etenim odio habere Beatitudinem, & efficaciter desiderare carentiam illius, malum intrinsecè est; quòd omne includit desperatio, vel nolle saltim adimplere mandata Dei, quod nullo modo potest honestari. Illi qui nobiscum tenent desperationẽ esse recessum per modum fugæ, & nolitionis obiecti spei, nullo modo possunt respõdere ad hæc fundamenta. Castillus verò tenens desperationẽ esse recessum, non per modum fugæ, & nolitionis, sed per modũ remissioris prosequutionis respodebit, quòd facta reuelatione non est intrinsecè malũ: quia tunc cessat irrogatio iniuriæ Dei, & eius omnipotentiæ, & misericordiæ: quod enim odio habeatur Beatitudo, & efficaciter desiderare carentiam eius, atque nolle adimplere mandata Dei malum intrinsecum sit, quod non potest honestari; sed negat Castillus, quòd aliquid illorũ includatur in desperatione formaliter; sed hoc iam est impugnatum supra *disput. 1. cap. 5. sect. 4.* nam desperatio formalis formaliter est motus voluntatis actui spei contrarius.

56 Secundo probatur nostra conclusio euidenter: Reuelatio non

non est causa damnationis, sed illam supponit absolutè futurā propter peccata absolutè futura hominis damnati, & reprobi. Sed absoluta damnatio, & reprobatio, potest esse propter solum peccatū, desperationis: ergo si reueletur alicui istius modi futura damnatio sua, tenebitur non desperare. Respondet Castillo; repugnare Deum facere talem reuelationem; quia illa facta, nulla desperatio, vt sic precisè sumpta, esset peccatum: & sic cosequēter propter nullā desperationem posset, homo damnari: & per consequens reuelatio esset falsa, quod repugnat Deo.

57 Sed ista responsio cerebrosa, & falsa est manifestè. Quia omne obiectū, quòd in se est absolutè futurum independenter à reuelatione, & ante reuelationem, sicut Deus cognoscit, esse absolutè futurum, potest Deus reuelare: quia desperationis peccatum nō est absolutè futurum, nec desperatio est absolutè futura ex reuelatione; sed quia desperatio est absolutè futura reuelatur: ergo non obstat reuelatio, vt desperatio peccatum sit, sicut est ante reuelationem, & independenter à reuelatione. Sicut enim Christus Dom. reuelauit Iudæ sū m damnationem, dicendo: *Veh homini illi per quem Filius hominis tradetur*: cur non potuit reuelare illi, quod laqueo se suspensurus erat, cui infallibiliter, & certò sequuta est damnatio, etiam si nullum aliud peccatum haberet Iudas. Sicut enim absoluta reuelatione de fide certum est Antichristum fore damnandum, & reprobatū esse; quid impedit, quod reueletur ipsi Antichristo, esse Antichristum: supponamus, quòd solum haberet desperationis peccatum Antichristus: ergo.

58 Tandē confirmatur nostra sententia. Per reuelationem de fide est certum, quòd per peccatum desperationis, si homo in illo moriatur cōdemnabitur: ergo cum reuelatione de cōdemnatione stat obligatio non desperandi. Patet consequētia. Primo: quia potest Deus reuelare alicui, quod in peccato desperationis moriturus est: ergo consequenter est certus de sua damnatione, & manet obligatio ad nō desperandum. Secundo: Quando quis peccato desperationis se dat præcipitem, certò cognoscit absolutam damnationem sibi futuram infallibiliter, & ineuitabiliter, sicut si sciret per reuelationem particularem sibi factam: quia scit per reuelationem communem, & vniuersalem; sed illa certitudo quam desperatus præceps, vel laqueo suspensus habet de sua damnatione non obest quominus desperatio sit peccatum, nec tollit obligationem præcepti negatiui non desperandi: ergo nec re-

reuelatio particularis facta de damnatione, & reprobatione absolutè futura impedit, vt desperatio nō sit peccatum, nec auferet obligationē præcepti negatiui non desperandi. Vnde cōcluditur euidentèr, quòd adhuc posita reuelatione, non solum erit illicitū, nō sperare, sed multo plus erit illicitum desperare.

Sectio 4. *Vtrùm duellantes peccent contra spem?*

59 VIdebitur alicui quòd sic. Primò: quia licet compaciatur desiderium Beatitudinis in eis, tamen illud est semper inordinatum, vel per excessum, sperando cum tam euidenti periculo moriēdi in peccato mortali Beatitudinem à Deo, quòd videtur præsumptionis peccatū: vel per defectum iudicādo contingentiam, periculi moriendi in peccato, & sic quòd damnabitur, & hoc nō obstante aggredere duellum, quod videtur Beatitudinem contemnere, & per modum fugæ, & nolitionis tendere circa illam, terga vertēdo, vel recalcitrando recedere ab illa per modum inefficacis, & remissioris prosequutionis: quòd in vna, vel altera sententia est desperare, vel peccatum contra virtutem spei per defectum: ergo duellantes peccant, vno ex duplici, vel triplici modo contra virtutem spei.

60 Hoc argumentum maximā vim habere videtur: præcipuè si addamus, quòd ferè semper duellantes, ita se duelli legibus obligant, quòd si illis proponatur periculum suæ condemnationis moraliter certum, & amissio suæ Beatitudinis, Beatitudinem despiciunt, vel inefficaciter desiderant in comparatione duelli, & adimpletionis legū peruersarū eius; quod manifestè videtur contra spem: ergo. Verum his non obstantibus, alicui videbitur, quòd nō, de quo specialiter dicemus opusculo sequenti de Charitate: & ibi præsens dubium resoluetur, & determinabitur ad quòd genus peccati duellum pertinet.

61 Solum enim introduximus præsens dubium: quia retro paucis diebus, quo tempore hæc scribebam, Compluti accidit, quòd duo inter se duellum condixerunt cum omnibus circunstantijs ad duellum requisitis, & deuenientes ad locum pugnæ cōdictum euaginatis, & districtis gladijs, vnus alterum lætali vulnere interfecit, & cadens in terram percussus signa contritionis ostendit, & confessionem petiuit, sed ex defectu Cōfessoris nō est Sacramenteliter absolutus, nec Sacramentalem fecit confessionem; & ita miserabiliter è vita decessit penè exsanguis. Tunc exhortum fuit dubium: an sepeliri possit in loco Sacro

Ec3

Ecclesiæ, & pro eo Missas celebrari?

62 Visum fuit Ordinario cõsultis de hac re huius Vniuersitatis viris, quòd tepeliri posset in loco Sacro Ecclesiæ, & quòd Missæ pro illo celebrarentur. Et sic data opera sepultus est in Cõuentu nostro Sancti Didaci, & ibi Missæ fuerunt celebratæ pro ipso.

63 Potestque huiusmodi factum licitum fuisse, persuaderi; quia licèt mortuus publicè incurrerit excommunicationem, non tamen fuit nominatim declaratus, & denuntiatus, sed secundùm decretum *Martini V.* in *Extrauaganti ad euitanda scandala*, solum notorium Clerici percussorem, & excommunicatum nominatim declaratũ tenemur vitare in communicatione rerũ spiritualium, & temporalium: ergo poterat pro illo celebrari Missa, & in loco Sacro Ecclesiæ sepeliri. Nam pro excommunicato nominatim non declarato possumus orare, vt tradunt Doctores: videatur *Suarez de Religione, tom. 2. lib. 1. cap. 15.* Maximè cum iste non fuerit mortuus clarè in peccato mortali: quia licèt paulò ante in actu duelli erat euidenter in mortali peccato; finito tamẽ duello ingemuit, cõfessionem petijt, & signa contritionis elicuit, per quod mori potuit in gratia, iuxta illud *In quacũque hora ingemuerit peccator*, & iuxta illud Publicani pectus percutientis, & dicentis: *Deus propitius esto mihi peccatori*; per quod descendit iustificatus: ergo ille nõ fuit mortuus in claro peccato mortali: ergo potuit orari pro illo oratione publica, & Missa celebrari pro eo, vt in terminis sentit *Nauarro in Sum. Lat. cap. 27. n. 36. ad 2.* vbi cum *D. Thom.* sentit etiã, quòd talis licitè potest sepeliri, & *tom. 2. cap. 19. de orat. concluſ. 6.* Idem videtur sentire *Reginaldus tom. 2. Sumæ. lib. 32. tract 1. sect. 2. num. 76. Enriquez tom. 2. Summæ, lib. 9. cap. 15. num. 3.* Qui omnes fundantur in *capite à nobis, lege secunda de sentẽtia excommunicationis*: vbi *Innocentius III.* loquens de excommunicato nominatim declarato mortuo, absque absolutione, sed cum signis contritionis, dicit Pontifex, quòd talis, etiã post mortem, possit absolui ab excõmunicatione, quoad effectũ sepulturæ Sacræ, & vt possint fideles orare pro ipso: igitur in Ecclesia vtitur illa benignitate cum excõmunicato nominatim declarato; quare non vtetur cũ isto nostri casus; & potiore ratione, quia non erat nominatim declaratus.

64 Legatur etiam *Nauarrus lib. 5. consil. titulo de sententia excõmunicationis consil. 24. num. 3.* vbi tenet, Canonicum excommu-

municatum, in excommunicatione mortuum, posse sepeliri in loco Sacro, quia non fuit nominatim denuntiatus. Et *consilio* 4. *de sepultura*, ait, sepeliendam fore in loco Sacro fœminam impudicam, quæ inuenta est mortua in domo sui amasij multis confossa vulneribus. Et ad nostrum intentum, pro confirmatione facti, potest videri *Zerola* 1. *part. praxis*, *verbo excommunicatio*, §. *Tertium dubium*. Legatur *consil.* 6. vbi dicit posse sepeliri in sepultura Ecclesiastica Religiosum, qui manè confessus est, & toto letus vesperè extitit, sed sequenti manè est inuentus mortuus in cubiculo ostio clauso cũ laqueo ad collum appenso, quasi genuflexus non pendens.

65 Legatur *Portel in dubijs Regul.* citans *Manuelem Rodriguez*, *Hieronimũ Rodriguez*, *Villalobos tom.* 2. *tract.* 31. *diff.* 3. *n.* 6. quos sequitur, & refert *Diana* 4. *p. tractat.* 4. *resol.* 23. à quibus dicitur; quòd Religiosus, qui ex improuiso mortuus inuentus est in cela cũ marsupio denariorum nõ est priuandus Ecclesiastica sepultura, non obstante *cap. Super quoddam de statu Monachorum*: vbi decernitur, quòd Religiosus proprietarius, si moriatur, priuetur sepultura Ecclesiastica. Excipit Rodriguez Minoritam ob strictiorem Regulæ prohibitionẽ: tamen *Portel*, casũ quòd credere-tur, pecuniam non esse Minoritæ, sed amici, vel consanguinei, vel oblatam ad restituendam, aut in pauperes erogandam, credit non esse priuandum sepultura: imò si pecunia foret sua, sed tamen factum erat omnino occultum, non poterat, ita publicè puniri, & sepultura priuari.

66 Igitur similiter in casu occurrenti debet dici: & sic *Portel in* 1. *part. responsion. Moral. casu* 10. in terminis affert nostrũ casum; & respondet in fauorem defuncti, & Ordinarij concedẽtis licentiam, vt sepeliretur, & vt Missæ celebrentur, declarando posse sepeliri. Quod, si *Trident. sess.* 25. *de reformat. cap.* 19. decernit, quòd moriens in duello non sepeliatur in loco Sacro in pœnam delicti; *N. Portel* relatus inquit, talem legem Concilij esse strictè interpretandam, prout verba eius sonant: quia est pœnalis. Cum autem Concilium dicat morientẽ in duello priuãdum esse sepultura; hinc est, quòd prædictus mortuus nostri casus non comprehenditur in tali lege: quia non est in duello mortuus, sed finito iam duello, & cum signis contritionis: Concilium autem loquitur de mortuo in duello ipso, sine contritionis signis.

67 Verum enim verò, & si quantum ad celebrandum Missas

sas pro eo fatear posse fieri cum *Portel*, *Nauarro*, *Enriquez*, & *Reginaldo* citatis; quibus addo *Dianam* 4. *part. tract.* 4. *resol.* 192. Nihilominus tamen quoad sepeliri in loco Sacro Ecclesiæ, teneo fieri non potuisse cum *Homobono in: Cõsultatio casuum conscient. tom* 2. *part.* 2. *responsion.* 64. vbi citat *Rictium*, quibus addo *Ioannem Sanc. in Select. disput.* 36. *num.* 9. & *Dianam* relatum, atque *Barbosam in Collect. Docto.* super *Trident. sess.* 25. *cap.* 19. *fol. mihi* 688. *num.* 20. *Bonacinam de censurijs extra Bull. disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 48. & alios ipsi referunt.

68 Probatur primo ex *cap.* 1. *de Torneamentis*, vbi sic habetur: *Si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pœnitentia non negetur Ecclesiastica tamen careat sepultura*: ergo multo maiori ratione dicendum est de præsenti duellanti mortuo in ipso duelli conflicto. Vnde contra Portel, Nauarrum, Enriquez, & Reginaldum determinata est hæc nostra resolutio, vt vera in *Rituali Romano Paulo V. in Rubric. de Exequijs*: vbi sic stabilitur: *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint pœnitentiæ signa*: & ita tenet *N. Ausonius Noctinot in Summ. Dian. verbo sepult. num.* 10. Imò Peregrinus censet, non fore sepeliendum, si moreretur vno, vel duobus diebus post duellum ex vulnere læthali accepto in duello; sed ipsi non adhæreo.

69 Secundo probatur nostra resolutio. Quia post Bullas Pontificum sententia Portelij, Nauarri, Reginaldi, & Enriquez, nõ videtur probabilis, & nulla tergiuersatione sustineri potest: nã *Iulius II. Bulla* 19. *Leo X. Bulla* 31. *Pius IV. Bulla* 21. *Greg. XIII. Bulla* 78. Satis expresse prohibent, & priuant Ecclesiastica sepultura morientes in duello. Interpretatio autem Concilij Tridentini, est satis ridicula, nec prudenter sustineri potest. Nam talis mortuus nostri casus in ipso duello mortuus est: quia non potest verificari, quod simul sit mortuus, & duellet: ergo vt moriatur in ipso duello, sufficit, quòd moriatur, vt mortuus est, & non requiritur, quod simul duellet mortuus; quod est irrationabile, & impossibile, & pœnæ Pontificũ, ac Tridentini, in tali casu, nõ poterant poni: ergo Concilium loquitur de duellãte mortuo, vt in nostro casu accidit.

70 Secundo: quia Põtifices, & Tridẽtinum ponunt istã pœnã priuationis sepulturæ, vt nouam: quia etiam si Concilium, & Põtificum Bullæ illã nõ apponerent, si moreretur duellans statim ac vulnus in duello accipit, erat priuatus Ecclesiastica sepultura: quia euidẽter mortuus esset in peccato mortali excommu-

municatus: igitur si non obstante hoc, exprimunt illa pœna debere puniri duellantes, qui in duello moriuntur, plus addunt, scilicet, quòd etiam si signa cõtritionis eliciant, dummodo per pauci temporis spatium corpus reperiatur exanime, non est sepeliendum in Ecclesia: àliàs nunquam daretur casus, in quo possint verificari decreta Concilij, & constitutiones Sũmorum Põtificum, quòd non potest rationabiliter dici, & sustineri: quia vt sic, nunquam consequetur effectus, & finis intentus extirpandi pessimum duellandi vitium desperatorum, qui in tam grauissimo suæ cõdemnationis periculo versantur.

71 Dices: igitur, secundùm nostram sententiam, debet corpus sepultum, & cadauer exhumari, & ab Ecclesia eijci. Respondere possem affirmatiuè; sed propter timorem, qui fortè caderet in virum constantem, potest dici, quòd Ordinarius, Parochus, & Guardianus Conuentus, tunc operati sunt valdè misericorditer extremè, & sequuti sunt opinionem, quæ pro tunc visa fuit illis probabilis, & sic inculpabiliter operati sunt. Deinde: quia corpus est iam in possessione, & si exhumaretur, exoriretur scandalum, & parentibus, & consanguineis foret magnum dedecus, & infamia. Cæterum maius fuit scandalum ex duello ortum, & exhumare posset occultè, nec potest hoc esse tanta infamia, quanta contracta est ex duello; quia est perpetuo infamis, vt decernunt Trident. & Bullæ.

72 Sed obijcies. Defunctus nostri casus in duello, etiam cum excommunicatione, & ab illa non absolutus, potuit gloriam intrare: quia licet excommunicatus è vita decesserit, & nõ fuerit absolutus ab excommunicatione, habuit tamen signa contritionis, qua potuit iustificari apud Deum, vt publicanus. Quòd confirmatur: quia si quis, post incursam excommunicationẽ, vera contritione pœniteat, & proponat procurare absolutionem, statim manet in gratia, vt docet fides: ergo gratia potest esse cum excõmunicatione: igitur si talis, tunc moriatur, sine copia absoluentis, saluabitur nõ obstante excõmunicatione, v.g. misit quis nuntium in Indiam, vt occideret Clericum: ante quam mors exequatur, resipuit mandans, doluit, & Sacramentaliter absolutus est, & in gratia reponitur, humana autẽ via non potest reuocare mandatum mortis, & sic sortitur effectum, & occiditur Clericus: ex tunc mandans est excommunicatus excommunicatione Canonis: *Si quis suadente diabolo*: ergo est in gratia, & simul excommunicatus: moriatur tunc

sine

sine copia Confessoris, saluabitur.

73 Excommunicatio enim, solum impedit, vt illi dentur Sacramenta, non verò gratiam tollit directè: ergo similiter mortuus nostri casus, siquidem contritionis signa fecit, iustificari potuit, & decedere cum excommunicatione ad gloriã. Respondet *Portel. 3. part. Respons. moral. casu* 10. in fine, concedendo totum. Sed tunc: ergo multo magis dicendum est, quod non est priuandus ingressu Ecclesiæ ille mortuus in duello, vt in illa corpus sepeliatur. Respondeo: quod ille decedens cum excommunicatione non intrauit gloriam, quoad vsque auferatur excommunicatio, ab habente potestatem, & manebit in purgatorio, vsque tunc, detentus. & sic si à Summo Pontifice, vel ab habente eius facultatem, non dispensetur in Tridentino, vel Bullis Pontificijs, non potest in Ecclesia sepeliri. Et de isto casu, & Opusculo, tractatus de Spe Theologica dixisse sufficiant ad laudem Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Iesu Christi Domini nostri, & Beatæ Mariæ semper Virginis, sine labe originalis conceptæ, omniumque Sanctorum, & sub correctione Sãctæ Matris Ecclesiæ Romanę.

OPVSCVLVM,
SIVE COMPENDIVM,
TRACTATVS DE VIRTVTE SVPERNATVRALI THEOLOGICA CHARITATE.

POSTQVAM Fidei pretiosam margaritam purissimo spei argento vermiculauimus, Charitatis auro flammanti iam deaurare intendimus. Aggredimur ergo tractare de virtute Charitatis Theologica, postquã de fide, & spe disputauimus, & recto ordine, cũ virtus ista sit alijs generatione posterior, & si perfectione præstantior. De ea tractãt Scholastici cũ *Magistro in* 1. *dist.* 13, & 17. sed principaliter *in tertio à dist.* 27. vsque *ad* 32. vbi *Scot.* & sui discipuli, & *in reportatis eadẽ dist. in quodlib.* 17. & *in* 2. *dist.* 26. Copiosus verò *S. Thom. Doct.* & *Præceptor Angelic.* 2. 2. *à q.* 23. vsque *ad* 46. & etiã *q.* 2. & 3. *de virtutibus*, vbi eius expositores *Lor. Suar.* & alij. Tractat etiã de hoc *D. B. B. Doct. Seraphicus in* 3. *cum Magistro*. In hoc opusculo sic breuiter me geram. Duabus disputationibus omnẽ doctrinã eius comprehẽdã. Prima erit speculatiua, & Methaphysica, in qua de obiecto, actu, & habitu charitatis tractabimus. Secunda erit Moralis, vbi agemus de præceptis charitatis, de peccatisque oppositis illis præceptis, de correctione fraterna, de scandalo, pace, de schismate, & bello.

DISPVTATIO PRIMA.
Speculatiua de virtute Charitatis supernaturali.

CAPVT I.
De materiali, & formali Charitatis obiecto.

Sect. 1. *Quod sit materiale obiectũ Charitatis Theologicæ?*

1 DIco primo. Obiectũ primariũ materiale, & attributionis subiectum charitatis est Deus. Ita *Scot. in* 3. *dist.* 27. §. *Quantum ad istũ articulum, & dist.* 28. §. *De primo*. Sequitur *Suarez disp.* 1. *sect.* 1. *n.* 1. Ex quo *Castillo disp.* 1. *q.* 1. *nu.* 2. & nullus negat. Probat Scotus. Quia charitas est virtus Theologica: ergo habet pro obiecto terminatiuo ipsum Deum: at omnia, quæ ex charitate amantur, ad ipsum Deum referuntur, vt propter quam aman-

amantur: ergo. Patet: quia illud est definitio obiecti primarij attributionis. Est enim Deus amabilis super omnia, & diligibilis propter se: ergo omnia diliguntur propter Deum: igitur cum ordine ad ipsum diliguntur: & ita, erit obiectum materiale primarium. Nunquam enim charitas excidit, sed in Patria erit Deus obiectum materiale primarium: ergo semper.

2 Dico secundo: quod propria vniuscuiusque persona, proximique, necnon bona tam spiritualia, & supernaturalia, quã naturalia præter Deum, etiam sunt obiecta materialia secundaria, ad quæ hæc charitatis virtus se extendit. Primam partem tenet *Scot. in 3. dist. 29. §. Ex dictis*: Secundum autem docet *in 3. dist. 28. §. De primo, ver. Ex hoc patet*. Sequunturque omnes, ita vt nullus sit, qui neget. Et probatur: ex illo *Matth. 19. & 22. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Sed proximum debemus diligere ex charitate, ex illo 1. *Ioann. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum: si diligimus inuicem, charitas eius in nobis est.*

3 Et si obijcias contra hoc. Ex dictis *tractat. de spe disp. 1. cap. 2.* Actus, quo me, & proximum prosequor, vel quo volo mihi, & proximis bona, & nolo in illis mala, sunt actus concupiscentiæ, & non amicitiæ: ergo me, & proximum, non respicio charitate: & sic ego, & proximus, non erunt obiecta materialia charitatis. Et idem argumentum fit de alijs bonis, & donis supernaturalibus, & naturalibus: ergo solus Deus est obiectum charitatis, & non aliud. Respondeo: quod velle bonum mihi, & alijs, scilicet Beatitudinẽ, vt præcisè nobis est bona, est actus concupiscentiæ, & spei: sed rursus illud velle est imperatum à charitate per alium actũ, quo propter Deum voluit illud velle; & sic illud velle mihi, vel alijs Beatitudinem, vt bonam mihi, vel alijs, formaliter vt sic est concupiscentiæ, & spei, non verò amicitiæ; aliud autem velle ordinativum, relativum, & imperativum illius velle, propter Deum, vt propter finem, *qui*, est actus charitatis; & illud respicit propriam personam, vt obiectum materiale secundarium, & aliorum personas similiter, & etiam dona supernaturalia, & naturalia, quatenus per imperium charitatis illa volo, vel diligo ex complacẽtia ipsius Dei, & tanquam media in ordine ad finem, *qui, & cuius gratia*, qui est Deus. Dices: charitas est inter distinctos, & amicitia etiã: ergo propria persona, non potest esse obiectũ charitatis. Respondeo negãdo antecedẽs, qualiter autem Patres, & Aristotiles exponendi sint, iam dixi *opusculo de spe disp. 1. cap. 2. sect. 3. à num. 70.*

4 Difficultas verò in præsenti

est: Quid nomine proximi intelligatur? Aliqui dixerunt; proximum essentialiter constitui per hoc, quod est, esse Dei nobiscum codilectorem; citat Lorca Scotum pro isto modo, sed immerito, & falso. *Lorca verò disp. 23.* proximum constituit per identitatem in natura, & per coniūctionem capacitatis ad Beatitudinem, & dona gratiæ. Vnde secundum Lorcam solum homines sunt proximi. *Suarez* autem *disp. 1. sect. 1. n. 3.* dicit, quòd omnis rationalis creatura capax Beatitudinis est proximus. Vnde secundùm Suarez, Angeli, & Christus, & homines erunt proximi.

5 *N. Castillus disp. 1. q. 1.* dicit, quod potentia actiua ad benefaciendum alteri, & potentia passiua, quæ est indigētia ad benefaciendum ab illo est ratio constitutiua proximi in esse talis: citat *Scotum in 3. dist. 30 §. Ad primum argumentum*, & optimè: quia expressissimè illam sententiam docet, legatur: & hæc sententia est eadem cùm sententia Suarij. Et probatur: quia proximus formaliter est nomen relativum mutuo, nō aliter, ac frater, & amicus in modo cōmuni loquendo, sed secundùm Christi D. testimonium, proximus ex parabola Pharisæi, *Luc. 10.* est benefaciens alteri indigenti: ergo etiam benè paciens ab altero, vt indigens: ergo.

6 Ex quo sequitur dicendum tertiò: quod Angeli sunt proximi. Ita Scotus citatus: & sic sunt obiecta materialia charitatis: similiter Beati, Beatissima Virgo Maria, & humanitas Christi D. quia, vt inquit Scotus relatus, omnes isti possunt, à nobis benepati, siuè passione exteriore, siuè bona dilectione passiua, quæ est motus interior. Ex dilectione autem Dei illi nequit aliquid sibi bonum addi; & sic solus Deus non comprehēditur, vt proximus, sed vt inquit *Suarez* citatus cum *Aug. 1. de doctrina Christiana cap. 23. 26. & 30.* Omnis creatura rationalis capax Beatitudinis.

7 Dico quarto: Quod Angeli mali, peccatores, homines, & damnati, sunt obiecta materialia charitatis, nō quatenus peccatores sunt, sed quatenus bonū aliquid naturale sunt. Ita *Lorc. 1. 2. ad art. 11. & Suarez nu. 4. & 5.* licèt aduertat differentiā inter damnatos, & peccatores, de quibus non scitur certo futurā esse suam damnationem, quod isti sunt diligendi propria, & vera charitate; illi verò nō sunt simpliciter diligendi amore charitatis perfecto; sequitur *N. Castillo n. 17.* Sed ū ad amorem perfectam charitatis requirat Suarez affectum concupiscētiæ, & desideriū Beatitudinis efficax, vt bonæ illis benedicit: Tamen, quia ad actū charitatis perfectū

so-

solum requiratur, vt aliquod obiectum ametur propter Deū, sine aliquo affectu concupiscētiæ, non est inconueniens, dicere, quod reprobi diligantur perfecta charitate, quatenus aliquid bonum sunt ex complacentia Dei.

Sectio. 2. *Quod sit obiectum motivum, & formale quo Charitatis?*

8 PLures circa hoc sunt modi dicendi. Primus est: quod obiectum *quo*, & motivum formale charitatis, sit Deus, vt Creativus, Redemptivus, & Glorificativus. Ita *in 3. dist. 27. §. De secundo dico*, refert *Scotus* dixisse aliquos antiquatos Authores. Secundus dicit: quod Deus, vt est obiectum Beatificū reduplicatiuè. Ita *S. Thom. 1. 2. q. 13. artic. 4.* licèt eius discipuli exponant specificatiuè. Vnde tertius modus dicendi est; quod sit Deus, vt in se, est Vnus, & Trinus. Sequūtur aliqui Recentiores cum *Valenc. disp. 3. q. 1. punct. 4.* Quartus modus dicit: esse diuinam bonitatem sub ratione infinitatis. Ita *D. Bonauētura in 3. dist. 27. q. 2. & Ricard. ibidem ar. 6 q. 1.* Quintus dicit: esse Deum in quantum est summum bonū propter se summè amabile. Ita sequūtur communiter Thomistæ, & sequuntur *Suarez disp. 1. sect. 2. Lor. disp. 5. n. 3. Ægid. disp. 11. dub. 1. n. 12. Torres disp. 66. & Hurt. disp. 3. diff. 1.* Differunt tamen, quod Lorca dicit, hanc bonitatem esse formalem, & attributalem resultantem ex essentia, & reliquis attributis. Suarez verò dicit, esse bonitatem radicalem.

9 Sextus modus dicendi est Scotistarum, qui cum ex natura rei admittant distinctionē formalē ex natura rei inter essentiam diuinam, & attributa mutuam, consequenter admittunt diuersam formalem bonitatem essentiæ diuinæ amabilem à bonitate formali attributorum: & vt sic dicunt, quod bonitas essentiæ diuinæ est formale motivum, & obiectum formale *quo* charitatis, & similiter bonitas cuiuscumque attributi; cum hac distinctione, quod bonitas essentiæ est obiectum primo primum omnimodo primitatis, vt inquit *Scot. in 1. dist. 35. q. 2. & in collat. 20. & q. 3. prolog. §. Contra omnes istas positiones*, & alibi; bonitas verò attributorū est obiectum secundarium.

10 Alij verò Scotistæ nolunt recipere istum sextum modum dicendi Illustriss. N. Merineri: & sic est septimus modus dicendi. Quod motivum formale, & obiectum *quo* charitatis non est bonitas alicuius attributi, vt præcisa, & formaliter distincta, à bonitate essentiæ diuinæ, sed solum est bonitas Dei sub ratione Deitatis precisè,

& vt formaliter distincta ab attributis. Ita ferè omnes Scotistę, & sequitur *Castillo disp. 1. quæst. 2. num* 11. cum *Pytig. dist. 27. quæst. 1. art. 2.* & aliis *in tract. de scientia Dei.* Et istę modus dicendi est idem meo iudicio, cum quinto modo dicendi *Suarij*, *Turriani disp. 6. dub. 1. in 4. obiectione, vers. Demum obijci solet.* & aliorum.

11 Pro à nobis dicendis nota primo: quod vt aliquid sit motivum charitatis, & obiectum formale *quo* debet habere tres conditiones. Prima. quod sit rario propter se amabilis super omnia. Secunda: quod ipsa non sit amabilis propter aliud. Tertia: quod aliud non sit æquè amabile propter se, sicut ipsa est amabilis super omnia. Nota secundo: quod obiectum motivum, aliud est inadæquatum, & incompletum; aliud est adæquatum, & completum ex duplici quasi inadæquato motivo. Hoc patet in motivo fidei, quod completur secundum Scotistas, & plures Thomistas, ex duplici, quasi incompleta veritate, tum in cognoscendo, tum in dicendo: & similiter in obiecto motivo spei; ex Beatitudine obiectiua, & formali, vt similiter tenent multi Scotistæ, & Thomistæ, vt vidimus in suis locis *de spe disp. 1. cap. 1. sect. 3.* & *de fide disp. 1. cap. 2. sect. 1.* Nota tertio: quod vnum infinitum non est maius alio.

12 Vnde, cum quodlibet attributum diuinum sit in suo genere simpliciter infinitum, omnia comparata inter se, nullum est inæqualis perfectionis; quia sunt perfectionis infinitæ; neque æqualis, quia sunt perfectionis infinitę in diuerso genere, loquendo de æqualitate, & inæqualitate rigorosè, & sumptis attributis formaliter. Similiterque essentia diuina, prout præcisa ab attributis, neque est æqualis, nec inæqualis comparata cum quodlibet attributo, vel cum omnibus: quia æqualitas, vel inæqualitas rigorosè est inter res eiusdem generis formaliter, & quæ non sunt infinitæ. Cum autem essentia diuina formaliter sumpta, & similiter attributa formaliter sumpta sint formalitates diuersi generis formaliter, & quodlibet sit infinitum in suo genere, æqualitatis, & inæqualitatis comparatione vera, & rigorosa non possunt comparari.

13 His notatis dico primo. Attributa diuina, & bonitas ipsorum in suo genere, prout præcisa à bonitate essentiæ diuinæ, licèt non sint adæquatum motivum, & completum obiectum formale *quo* charitatis; nihilominus inadæquatè, & incompletè sunt motiva, & obiecta formalia *quo* charitatis. Primam huius assertionis partem, tantum probant argumenta, quæ

quæ ab Scotistis adducuntur ad probandum, quod attributa non sunt motiva. Secundam verò partem, nullatenus impugnant. sed contra illam inefficacia sunt omnia argumenta hucusque ab eis facta.

14 Illam ergo secundam partem sic probo. Quia attributa diuina in suo genere habent infinitam bonitatem, & perfectionem: ergo in suo genere possunt mouere voluntatem ad amorem sui super omnia amabilia in suo genere, ita quod ipsa non sint amabilia propter aliud in eodem genere, neque aliquid aliud sit propter se æquè amabile in eodem genere sicut sunt attributa: igitur attributa saltim incompletè, & inadæquatè sunt obiectum formale *quo*, & motivum charitatis.

15 Secundo probatur. Quia diuina attributa sunt amabilia propter se diuino, & supernaturali amore amicitiæ: ergo Deus non solum diligit se secundum bonitatem essentiæ, sed etiam secundum bonitatem attributorum (Deus enim non diligit adæquata, perfecta, & completa charitate essentiæ suæ bonitatem præcisam ab attributis super attributorum bonitatem, nec intensius, nec appreciatiuè.) Respondet *Castillo num.* 20. concedendo antecedens respectu nostri, non verò respectu Dei. Sed contra primo: ergo saltim respectu nostri attributa erunt obiecta motiva nostræ charitatis, quod nos intendimus.

16 Secundo: Bonitas essentiæ diuinæ non est diligibilis super bonitatem diligibilem attributorum ab ipso Deo: quia hæc charitas, & dilectio foret inordinata: Deinde, quia nullũ est inconueniens, quod Deus, vt misericors, & iustus, &c. diligat se super omnia. Respondet Castillo, esse inconueniens, scilicet, quod essentia diuina, si sola non moueret Deum ad amorẽ sui, & suorum attributorum secundum eorum formales rationes, non esset infinita in virtute continendi omnia motiva, quæ nos possunt mouere ad amandum, & consequenter diuina voluntas dependeret in aliquo, non à diuina essentia, sed ab attributis, quod est omnino falsum.

17 Sed contra: quia etiam si attributa sint obiecta motiva, non per hoc tollitur, quod essentia diuina sit infinita in radice, & virtute continendi omnia motiva; tollitur tamen, quod sit infinita formaliter præcisa ab attributis in ratione formali mouendi in omni genere: quia precisa ab attributis, non continet illa attributa formaliter: & sic non est motivum formale completum in omni genere, sed solum in genere essen-

tiæ, & radicaliter in alijs gentibus. Alias si doctrina, & responsio Castilli valeret, adhuc respectu fidei sola essentia diuina præcisa à veracitate esset motivum formale fidei, & non veracitas, aut authoritas diuina completa ex sapientia, & bonitate attributali, quæ sunt duo attributa diuina: igitur sicut in fide attributa mouent (vt defendit Castillo cum omnibus Scotistis *ex Scoto disp. 1. de fide, quæst. 3. part. 3. num. 47.* cur non respectu charitatis.

18 Objcit Castillo ex alijs Scotistis communiter. Attributum diuinum non allicit voluntatem ad dilectionem Dei super omnia, sed motivum charitatis allicit voluntatem ad dilectionem Dei super omnia: ergo attributa non sunt motiva. Minorem probat: quia Deus, vt iustus, non est diligibilis super Deum, vt misericordem, neque vt Deum: ergo. Facilè respondeo distinguendo minorē: non allicit voluntatem attributum ad dilectionem Dei super omnia creata, vel creabilia, nego; ad dilectionem Dei super omnia, quæ sunt intrinsecè in Deo, nego suppositum: quia neque Deus diligit bonitatem essentiæ suæ diuinæ adhuc vt præcisam ab attributis, super attributa; licèt aliquomodo, & suo genere alliciat ad dilectionem Dei super omnia, in quantum solum mouet ad dilectionem Dei in illo genere, & non in alio. Ad minorem similiter distinguo: motivum charitatis allicit ad dilectionem Dei super omnia creata, vel creabilia, concedo: increata, nego suppositum: quia respectu eorū quæ sunt in Deo, nullum est diligibile super aliud: licèt in suo genere possit dici. Vnde nego consequentiam. Ad probationem maioris, concedo antecedens, sed nego consequentiam: quia etiam bonitas essentiæ diuinæ ab attributis præcisa, non est diligibilis super Deum, vt iustum, &c. & tamen illud ponitur à Castillo, & Scotistis, vt obiectum adæquatum motivum: ergo ly *super omnia* requisitum ad motivum charitatis, solum est comparatione rerum creatarum, vel creabiliū, non verò respectu eorum, quæ sunt de intrinseca perfectione Dei, vt sunt attributa.

19 Objcit secundo. Dilectio Dei, vt misericordis, non vnit nos perfectè cū Deo, sed charitas vnit nos perfectè cū Deo: ergo attributum non est motivū. Respondeo primo negādo antecedens, si per talem dilectionem positiuè non excludam Deum, secundū quod adæquatè est in se. Secundo respondeo, quod vnit nos perfectè cū Deo in suo genere. Vnde distinguo consequentiā; non est motivū

in

in omni genere, siuè adæquatę, & completè transeat; in suo genere, seu incompletè, & inadæquatè, nego.

20 Obijcit tertio. Prius concipimus in Deo charitatem erga suam essentiam, quam erga sua attributa: ergo ista attributa non possunt esse motiva formalia, vt *quo* charitatis. Respõdeo distinguo antecedens conceptu adæquato, & completo prius concipimus in Deo charitatem erga suam essentiam, quã erga sua attributa, nego: cõceptu incompleto, & inadæquato, cõcedo: quia hæc est nostra sententia: & nego consequentiam.

21 Dico secundo. Bonitas essentiæ diuinę, vt pręcisa ab attributis est obiectum motivum formale *quo* non omnino adæquatum charitatis. Ista conclusio sequitur ex dictis: quoniam si attributa sunt saltim inadæquatæ motiva, etiam si secundũ omnes bonitas essentię diuinę sit motivum, tamẽ non omnino adæquatum: quia bonitas essentiæ diuinæ prout præcisa ab attributis, non includit attributa formaliter, sed solum in radice; & sic licèt moueat formaliter ad dilectionem sui, & attributorum in radice, non mouet formaliter ad dilectionẽ eorum, vt sunt formaliter.

22 Dico tandem. Quod obiectum formale *quo* adæquatũ, & completũ motivum charitatis est omnis bonitas Dei, tã essentiæ, quàm attributorũ: ideſt Deus, vt est in se, secundũ bonitatẽ formalẽ infinitam in omni genere, bonus. Hæc cõclusio sequitur ex dictis: & pro ea possunt citari *D. Bonauent. Ricard.* & omnes pro quarta opinione relati, & Lorca pro quinta citatus: & existimo esse expressam sententiam D. Thom. adducti pro tertia opinione.

23 Et quidquid aliqui Scotistæ dicant, satis de mente *Scoti* aliquibus in locis, sed meo videri, expresse *in 3. dist. 27. quæst. vnic. §. Quantum ad istum articulum*: vbi in terminis quærens de ratione formali obiectiua actus, & habitus charitatis, dicit: *Quod hæc ratio est ratio Dei in se, præcisa enim ratio huius essentiæ est ratio terminandi omnẽ actum, & actum Theologicũ.* Circa quæ verba notandũ est, quod per ly *ratio Dei in se*, nõ potest intelligi bonitas sola essentiæ diuinæ præcisa ab attributis, sed omnis bonitas intrinseca, siuè substantialis, siuè attributalis debet intelligi: nam cum dicit Scotus, *Præcisa enim ratio huius essentiæ*, non præscindit ab attributis, sed præscindit à ratione, seu bonitate relatiua, quæ est in Deo adamantem ipsum, in quantum consideratur, vt bonum communicatiuum sui amanti: imò hãc bonitatem relatiuam dicit *Scotus ibi, versicul. Secunda ratio*; esse ali-

aliquomodò ratio obiectiua, seu motiua actus: ergo Scotus non excludit à ratione obiecti motivi, attributa: imò potius omnes Scotistæ debent fateri, illa includere velint, nolint. Quia omnes Scotistæ tenent cum ipso Scoto, quod habitum, & actũ Theologicum fidei ratio terminandi, seu mouendi est authoritas, & veracitas Dei, quæ non est essentia diuina, vt præcisa ab attributis, sed potius est vnum attributum diuinum ex duobus coalescens, & præcisum ab essentia: ergo *ratio Dei in se, & ratio huius essentiæ*, quæ dicitur ab Scoto obiectum motivum charitatis, nõ excludit attributa, nec præscindit ab eis, sed potius bonitatem eorum includit.

24 Ratio enim Scoti, ibi clara, hanc doctrinam manifestans est. Sic ergo arguit *Scotus, vers. Quod probatur. Quia potentia respiciens obiectum in ratione motivi, non potest perfectissimè quietari, nisi in eo solo, in quo est perfectissima ratio obiecti adæquati. Omnis autem potentia intellectiua, & volitiua respicit pro obiecto adæquato totum ens: igitur in nulla natura, siue creata, siue increata potest perfectè quietari, nisi in illo, in quo est perfecta ratio entitatis: tale autem est solum ens primum, non sub ratione aliqua relatiua sed sub ratione quæ est hoc ens.* Tunc sic: non solũ bonitate essentiæ formali, sed bonitate formali attributorum dicitur Deus *hoc ens*: quia indiuiduum, secundum Aristotilem, est: cuius collectio proprietatum, quę in vno est in alio reperiri non possunt: ergo si illa ratio, qua *Deus est in se hoc ens* est, secundum Scotum, motivum charitatis; cum talis ratio compleatur ex bonitate essentiæ, & attributorum, illa perfectissima bonitas formalis in omni genere erit formale motivum, & obiectum *quo* adæquatum charitatis, & non tantum bonitas essentiæ diuinæ, prout præcisa ab attributis.

25 Ponderentur præterea illa verba Scoti: *Potentia volitiua habet pro obiecto adæquato totũ ens*, & rursus: *Igitur in nulla natura, siue increata, potest perfectè quietari, nisi in illa, in qua est perfecta ratio entitatis*; intellige formaliter in omni genere, sed in essentia diuina præcisa ab attributis, & si sit perfecta ratio entitatis formaliter in genere essentiæ, non tamẽ in omni genere formaliter sine attributis: ergo Scotus debet exponi, vt nos exponimus.

26 Probatur tertio ratione; quia illud est obiectũ adæquatũ motivum formale *quo*, quod est ratio propter se amabilis super omnia: ita quod ipsa non sit amabilis propter aliud, neque aliud sit æquè amabile propter se super omnia, sicut ipsa est super omnia propter se amabilis, sed

sed hoc solum conuenit bonitati diuinæ, quæ quasi coalescit ex bonitate essentiæ diuinæ formali, & ex bonitate attributorum, quæ est bonitas formalis diuina in omni genere: igitur illa erit obiectum motivum, & formale *quo* charitatis Theologicæ. Hoc enim est; amare Deũ, sicut est in se adæquatè, & completè, quidquid dicat *N. Castillo num.* 11. vbi argumenta, quæ affert, non sunt efficacia, & ex dictis facilè solui possunt, & sic ab illis abstineo, vt difficiliora cõtra nos proponamus.

27 Solum ergo hic facessere videntur multa Scoti testimonia, quæ congerunt Scotistæ ad probandum, solam essentiam diuinam, vt præcisam ab attributis, esse motivum formale charitatis. Primum est, *ex quæst. 3. prolog. & quæst. 2. Lateral. & q. 1. eiusdem proogl.* vbi docet Scotus, quod respectu nostræ Theologiæ essentia, vt præcisa ab attributis, & prior eis, est obiectum formale motivum, & primariũ omni genere primitatis. Sed respondeo: quod Scotus hic non negat attributis rationem obiecti motivi, sed solum vult, quod respectu Theologiæ, vt est scientia, essentia diuina præcisa ab attributis est medium ad demonstrãdas cõclusiones Theologiæ: cum quo stat, vt respectu intellectus diuini, attributa moueant in suo genere formaliter ad sui cognitionem, & amorem.

28 Secundum testimonium est, *ex 1. dist. 35. quæst. 2. in Report.* vbi ait: *Ideò essentia sub ratione essentiæ est primum obiectum sui intellectus omnimodo primitatis*: & idem habet *dist. 13. ad argumenta, & collat. 20. & in 3. dist. citata, & in 4. dist. 49. quæst. 2. 11. 12. & dist. 50. & in 1. dist. 1. quæst. 1.* sed hęc omnia solvuntur dicendo: quod licèt sit obiectum omnimodo primitatis, sed non adæquatum motivum, sed inadæquatum. Imò ex istis locis colligitur, attributa esse etiam motiva, licèt respectu essentiæ secundaria: tamen tam essentia, quàm attributa, seorsim, sunt inadæquata; & ex illis omnibus coniunctim, vnum adæquatũ motivum consurgit.

29 Nam alibi, & in præcitatis locis Scotus docet; *quod essentia, vt hæc, est obiectum motivũ*: essentia autem, *vt hæc*, non solum includit essentiam, sed attributa. Vnde optimè notauit *Smising. de Deo vno, tract. 3. disp. 2. num. 21. & 28. & disp. 3. num. 14.* hanc quæstionem esse magis de nomine, quam de re, & etiam notauit *Lorca disp. 5. nu. 3.* Nam in re Deus, vt est in se bonus cõpletè formaliter in omni genere, est obiectum formale *quo*, & motivum: est ergo Deus in se bonus formaliter completè, & in omni genere per bonitatem es-

essentiæ, & attributorum: ergo, &c.

30 Objcies primo pro primo dicēdi modo. Charitas est amicitia, sed ista fundatur in communicatione bonorum: ergo Deus, vt Creator, Redemptor, & Glorificator est motivū charitatis. Respōdeo: quod est amicitia perfectissima, quæ solum fundatur in bonitate amici, & non respicit cōmodum amātis ex se, & vt amicitia est.

31 Objcit secundus modus dicendi. Quod *Trid. sess. 6. can. 6.* loquens de charitate, & dispositione proxima ad iustificationem, dicit, esse, qua homo incipit, diligere Deum, vt iustitiæ fontem: ergo Deus, vt beans, seu in ordine ad Beatitudinem est motivum charitatis. Et confirmatur: quia dilectio naturalis Dei in eo distinguitur à supernaturali, quod illa respicit Deū, vt Authorem naturæ: ergo charitas respicit, vt Authorē supernaturalem, & Beatificantē. Respondeo: quod Deus, vt iustitiæ fons, est bonitas intrinseca Dei, essentialis, vel attributalis: & ita dicit nostram sententiam Concilium. Si tamen velit intelligere D. Thom. aliquam bonitatē relatiuam, concedo cum *Scot. dist. 27. §. Quantum ad istud, vers. Secundo*, quod illa ratio antecedit actum charitatis; & aliquomodo est ratio obiectiua actus alliciens ad amandū ipsam bonitatem absolutam intrinsecā Dei, quæ est propria ratio obiectiua formaliter mouens. Scio quod Vazquez, & alij dicunt; Concilium loqui de actu spei, & concupiscentiæ. Ad confirmationem respōdeo: quod illæ dilectiones non distinguuntur ex parte motivi, sed ex diuerso modo tendendi; vt videbimus infrà *sect. 3.*

32 Objcit tertius modus. Beatitudinis obiectū est idē formaliter, ac charitatis, sed obiectum formale Beatitudinis est Deus, vt est in se; & vt sic est Trinus, & Vnus: ergo. Respondeo distinguo minorē, terminativū, cōcedo; motivum, distinguo; Deus, vt est in se secundum bonitatē, & perfectionē simpliciter simplicem, concedo, secundum id quod non includit perfectionē, nego; & sic cum Trinitas formaliter, nec perfectionem, nec imperfectionem dicat, secundū quod Trinitas est; hinc, secundum quod est Trinus, non mouet: quia non sunt Tres infiniti, sed Vnus infinitus. Fundamentum quarti modi coincidit nobiscum. Fundamentum autem quintæ sententiæ, ex parte Lorcæ est nostra sententia, ex parte Suarij conuenit cum Castillo, & alijs Scotistis, & iam solutū est. Tandem fundamentum sexti modi est nostra sententia: ad illud connatur respondere Castillo, sed certè non placent eius so-

solutiones, & ex à nobis dictis sufficienter manent eneruatæ.

Sect. 3. *Vtrùm prædictum motivũ sit motivum dilectionis Dei naturalis super omnia, & dilectionis supernaturalis?*

33 SVppono in præsenti (capite sequenti probandũ contra Vazquez, Hurtado, & alios) dari distinctionẽ charitatis naturalis, & supernaturalis. Difficultas ergo est: an istę charitates differant ex parte motivi; an verò vtriusque sit vnum motivũ formale? Nam Thomistę diuersa motiva formalia, & non vnũ, & idem formale dicunt habere predictos suppositos actus. Nam amoris naturalis ponunt Deum, vt Authorem naturæ specificatiuè; & amoris supernaturalis Deum Authorem supernaturalem specificatiuè, secundum diuersum modum proponendi obiectum; scilicet, vel per rationem naturalem, vel per fidem.

34 Sed contra: quia ratio, vel cognitio naturalis, aut supernaturalis non intrant rationem formalem motivi *quo*, sed tantum possunt esse conditiones ad diuersum modum mouendi: ergo ex parte obiecti vtriusque charitatis vnum, & idem formale motivum est. Respondent *Montesinos* 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 27. *q.* 6. *Lorca disp.* 6. *de charit. Suarez disp.* 1. *sect.* 2. & *lib.* 2. *de necessitate gratiæ cap.* 14. *nu.* 16. & alij, quod ista differentia est ex parte obiecti, secundum distinctionẽ virtualem: quia licèt Deus, vt Author naturæ, & vt Author supernaturalis, sit idem formaliter, tamen virtualiter differunt: & sic amoris naturalis, & supernaturalis non est idem formale motivũ, sed distinctum. Sed contra: quia ex hoc solum sequitur, esse diuersum motivum virtuale, non verò formale: & si est diuersum motivũ formale, Deus, vt mouet ad amorem supernaturalẽ, & vt mouet ad amorem naturalem, non solum virtualiter, sed formaliter debent distingui; sed isti Doctores non admittunt istam distinctionem: ergo secũdum eamdem rationem formalem bonitas diuina est motivum vtriusque charitatis.

35 Quare à nobis dicendum est: quod vtriusque charitatis, siuè dilectionis est vnum, & idẽ motivum formale, & obiectum *quo*. Est sententia *Scot. in quodlib.* 17. & *in* 3. *dist.* 27. *§. Quantum ad illum*, vsque ad argumenta, & *dist.* 26. *§. Ad quæstionem, vers. Si obijciatur contra hoc*, & *in* 4. *dist.* 49. *q.* 5. & *in* 2. *dist.* 26. Sequuntur omnes Scotistæ, & videãtur dicta à nobis *Opuscul. de fide disp.* 2. *cap.* 2. *sect.* 6. Vnde Lorca, & Suarez debent conuenire nobiscum, vel contra dicuntur, quod iudico verum, vt videri est in loco citato *num.* 119. &

num.

num. 129. Inter Scotistas verò est dissensio in assignanda differētia specifica actum (probabiliter enim *Scot. in 4. dist.* 49. dixit illos actus differre specie, & non differre: de quo dicemus *tract. de Beatitudine*, interim tamen videatur *Felix tom. 1. tentativæ cap. 2. diff. 8. à num.* 10.) Nam aliqui solum modalem differentiam ponunt. Alij essentialem, seu substantialem, materialem, seu individualem: aut specificam. Sed quidquid sit de hoc, de quo opusc. de Beatitudine, nostra conclusio probatur.

36 Primo. Quia secundum fidem non est nisi Vnus Deus: ergo non est nisi Vnum diligibile super omnia adæquatè: ergo vtriusque charitatis naturalis, & supernaturalis vnicum est tantum motivum formale. Et confirmatur: quia Deus, non est ideò diligibilis super omnia charitate naturali, vel supernaturali, quia est aptus terminare actū naturalem, vel supernaturalem, sed potius è contra, ea ratione est aptus terminare actum dilectionis, qua est diligibilis super omnia: ergo vtriusque dilectionis Deus est sub eadem ratione formali motivum. Cōfirmatur secundo contra *Montesin. Lorcam, & Suarium.* Quia si distinctio virtualis sufficeret, vt eadem formalitas essentiæ diuinæ moueret ad actum naturalem, & supernaturalem charitatis: ergo similiter propter eandem distinctionem virtualem eadem essentia diuina indiuisa formaliter poterit mouere ad fidem supernaturalem, & naturalem; & similiter ad spem: quod renuunt ipsi concedere. Præterea: quia Deus in se neque est naturalis, nec supernaturalis: ergo. Vltimo confirmatur: quia vt vidimus *tract. de fide disp. 2. cap. 2. sect. 6.* circa obiectum, tam materiale, quàm formale virtutis Theologicæ potest esse actus merè naturalis; & è contra: circa obiectum materiale, & formale virtutis naturalis potest esse actus supernaturalis, vt etiam fatentur *Suarez, Lorca, Molina*, & alij: igitur idem motivum formale charitatis supernaturalis, est etiā charitatis naturalis.

37 Sed Thomistæ obijciunt. Deus, vt Author naturæ, & vt Author supernaturalis, & gratiæ non sunt idem formaliter, sed vt Author naturæ est motivum dilectionis naturalis, & vt Author supernaturalis est motivum dilectionis supernaturalis: ergo vtriusque dilectionis non est idem motivum formale. Respondeo primo: quod Deus non est motivum formale adæquatum charitatis, vt est Author naturæ, vel gratiæ, sed vt est bonus in se formaliter in omni genere: & sic permissa maiori, negamus minorem; ad-

adhuc sumpto ly *Author* non reduplicatiue, sed specificatiuè. Secundo respondeo: quod Author naturæ, & Author supernaturalis, distinguuntur solum ex parte termini, non verò distinguuntur in se; quia ipsissima omnipotentia formaliter, quæ est Author naturæ, ipsissima est Author supernaturalis, & gratiæ.

38 Obijcies. Deus, vt propositus per cognitionem supernaturalem mouet ad amorem supernaturalem, & vt propositus per cognitionem naturalem, mouet ad amorem naturalem, sed vt sic propositus, est diuersum formale motivum: ergo. Respondeo: quod cognitio proponens obiectum, non est ratio motivi formalis, sed conditio, vt obiectum moueat; quod semper est idem formaliter secundum rationem mouendi: nam siuè per cognitionem naturalem, siuè per fidem semper Deus proponitur, vt summum, & infinitum bonum propter se diligibile, vt est in se.

39 Obijciunt Lorca, Montesin. & Suarez. Amor charitatis viæ, & Patriæ differunt specie: ergo non possunt habere idem formale motivum: ergo multo magis charitas naturalis, & supernaturalis. Ferè idem obijcit *Vazquez* 1. 2. *disput.* 11. *cap.* 2 *à num.* 20. Sed respondeo primo dando antecedens, & nego consequentiam. Quia sufficit, quod sit idem motivum formale sub diuersa propositione, vel conditione obiectiua ad specificandos diuersos actus, vel cũ diuerso principio ex parte potentiæ elicientis actum, sicut est in præsenti nostro casu. Respondeo secundo negando antecedens. Dices: ergo amor charitatis naturalis erit Beatitudo saltim imperfecta. Respondeo: quod non videtur inconueniens concedere: tamen, quia amor charitatis naturalis, non tendit in obiectum per modum possessionis, & fruitionis, ideò non est dicenda Beatitudo; de quo in eius speciali tractatu fusiùs.

CAPVT II.

De actu charitatis virtutis Theologicæ.

Sectio. 1. *Qualiter distinguantur affabilitas, beneuolentia, amicitia, & charitas?*

40 COmmuniter confundũtur ista, & quasi synonima apud aliquos habentur. Ita videtur insinuare *Lorca disp.* 2. *de spe, dub. incident. num.* 4. in fine. Sed dico affabilitatem esse, qua homo se exhibet in factis, & dictis benignum, vrbanum, aptũ, & accommodatum humanæ conuersationi. Ita *Aristot.* 4. *Ethi-*

ticorum, cap. 6. estque valdè amicitiæ reconciliatrix; & proinde cũ ea confunditur, *à D. Tho. 2.2. q. 114.* Benevolẽtia autẽ, videtur aliquibus, quod quasi participet ex concupiscentia, & amicitia: nam Lorca citatus ad spẽ adducit. Alij ad amicitiam; nec sufficienter explicatur: nam alij ad pietatem, siuè ad misericordiam reduci indicant. Existimarem ego, quod benevolentia est inclinatio voluntatis ad benè velle simpliciter, prout abstrahit ab eo quod est bonum mihi, vel alicui, vel ex cõplacẽtia personæ, vel propter aliud.

41 Amicitia verò generaliter sumpta, est quidam amor, quo amamus, aliquã personã propter se, vt opponitur amori concupiscentiæ. Hæc autem amicitia potest esse duplex: Altera non mutua: & sic erga me possum habere amicitiam: vt patet in Lucifero. Altera est mutua; ad quam requiritur primo, quod sit amor ex complacentia amati; & propter amatum, non concupiscentiæ. Secundo: quod sit reciprocus ille amor. Tertio: quod sit notus vtrique amanti. Vnde *Aristotil. 8. Ethicor. cap. 2.* sic illam amicitiam reciprocam definit. *Est mutua aliquorum benevolentia, quæ non lateat ipsos amicos, sed sibi invicem sit nota.* Verum ista vltima conditio, & si ad conservationem amicitiæ requiratur, in eius essentia non ingreditur, nec illam in ratione essentiali amicitiæ constituit, vt indicat *D. Thom. q. 23. art. 1. in 2.2.*

42 Deinde amicitia est tripliciter. Primo ex parte obiecti, seu boni, quod amatur in amico. Secundo ex parte personæ, quæ amatur. Tertio ex parte vitę cõmunis, & comercij, quod est fomentum amicitiæ. Ita *Aristot. 8. Ethicor.* Circa primũ dicit: quod amicitia alia respicit bonũ honestum; alia delectabile, alia vtile, licet nõ reduplicatiuè, vt vtile, & delectabile, sed specificatiuè, & materialiter, quatenus illa obiecta sunt conditiones, & occasiones, vt circa aliquem amore amicitiæ versemur. Circa secundum autem dicit, quod amicitia alia est inter personas æquales: alia inter personas inæquales: quia vna est super excellens alteri; & sic amicitia alia est æqualis, & alia super excellentiæ. Circa tertium dicit: quod pro diuersitate societatis diuersa est amicitia. Vnde propter naturæ naturalẽ cõueniẽtiã, & societatem, omnes homines debent esse amici. Secũdo propter conuenientiã in Religione omnes Christiani debent amici esse. Tertio propter conueniẽtiã in domicilio Pater, Mater, Filij, & serui debẽt se mutuo vinculo amicitiæ connecti. Vnde patet, quod amicitia nõ requirat omnimodam formalem similitudinem inter amicos, licèt aliqualis requiratur.

Tan-

43 Tandem charitas sumpta pro actu, secundùm communem Sanctorum Patrū, Scholasticorumque ex Scriptura doctrinam, est, qua per voluntatē prosequimur Deum diligendo ipsum propter se, & super omnia amando, secundùm illud *Deuteronomij 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Ex isto autē actu alij oriuntur, qui sunt etiā charitatis. Primus est, velle Deo bona, tam intrinseca, quàm extrinseca, & nole illi mala opposita: & hoc siuè per desiderium, siuè per tentionem, siuè per delectationem, siuè per gaudium, vel fruitionē, de quibus hic non disputatur, siuè per odium inimicitiæ, seu abominationis.

44 Difficultas tamen est in quo consistat, dilectione in Dei, *esse super omnia?* Et dico cum *Scoto dist. 27. §. De primo dico, vers. De primo membro.* Quòd consistit in eo, vt extensiuè, & appreciatiuè diligatur Deus super omnia obiecta, quæ amari possunt. Cū quo stare potest, vt amor circa aliquam rem distinctam à Deo sit intensior in gradibus, quam amor circa ipsum Deum: non tamen intensior in appreciatione fortitudine, & firmitate: aliàs rarò, aut ferè nunquam daretur vera charitas in hominibus quāquam *Opusculo de Pœnitentia virtute* oppositum defensaui; probando, appreciatiuè diligere, esse diligere intensius; quod potest componi, si intensio non sumatur gradualiter, sed appreciatiter, vt barbaro vtar vocabulo: & sic potest interpretari Scotus illic à nobis relatus.

45 His propositis ad difficultatem sectionis dicimus: quòd actus charitatis nō est actus affabilitatis, nec beneuolentiæ, præcisè, & formaliter sumptæ, sed est actus amicitiæ, prout amicitia opponitur concupiscentiæ. Ita communis omnium sententia: & patet differentia charitatis ab affabilitate, & beneuolentia ex definitione earū: nā quælibet habet suum diuersum motiuū, & vna potest esse sine alia: ergo differunt. De secundo autem patet per se; quia charitas est actus amoris Dei propter se, & vt est in se bonus ex complacentia sui, sed talis actus est amicitiæ, prout opponitur, & distinguitur ab amore concupiscentiæ: ergo, &c.

Sectio 2. *Vtrùm inter Deum, & homines possit amicitia consistere, & istasit charitas?*

46 Conclusio est affirmatiua, & vera inter omnes Catholicos, deducta ex Sāctis Patribus, & expressa in Sacris Literis; scilicet, quòd inter Deum, & homines consistit vera amicitia. Ita *Scotus distinct. 27. §. Ad*

primum. S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. Sequuntur Lorca disp. 2. Castillo ibi quæst. 2. n. 2. dicitur enim Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus*: & Sapient. 7. *Sapientia amicos Dei constituit*. Et Ioan. 10. *Iã non dicam vos seruos, sed amicos*. Et illud: *Vos amici mei estis*; & illud: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animã suam ponat quis pro amicis suis*: ergo. Imò ipse Philosophus 8. *Ethicor. cap.* 10. & 14. & 10. *Ethicor. cap.* 8. admittit expressè. Vnde si aliqualiter videatur oppositum sustinuisse, vel contradicitur Etnicus, vel nõ ex propria sententia dixit, sed disputando, & aliorum opiniones referendo, vt notat *Lorca numer.* 4.

47 Probaturque ratione. Nã inter Deum, & homines inueniuntur omnes coditiones amicitiæ: ergo. Nam inter Deum, & homines est mutuus amor, vt patet *Prouerb* 8. *Ego diligentes me diligo*. Et *Ioan.* 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo*. Secundo; talis amor, & beneuolentia est non latens; quia Deum nihil latere potest; neque nos latet Dei beneuolentia, vt ex effectibus satis clarum est. Tertio inter Deum, & homines est communicatio vitæ, & actionum cõmertium; patet ex tot reuelationibus, non solum *postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus*, vt dicitur *Baruch* 3. sed etiã ante, vt dicitur *Prouer.* 8. *Et delitiæ meæ esse cum filijs hominum*. Vnde hic intelligitur illud *Apocalips.* 4. *Introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*: & *Ioan.* 14. *Ad eũ veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: sed istæ sunt conditiones necessariæ ad amicitiam, & illã constituunt: ergo.

48 Sed obijcies: quod *Daniel.* 2. dicitur: Quòd Deo nulla est cum hominibus conuersatio: ergo. Respondeo; quòd hoc dixerunt Magi Caldæorum, & verum dixerunt, sed non loquendo de Deo vero, sed de Dijs, quos ipsi colebant, falsis. Vnde non benè dixit *Magister Lorca*, aliàs eruditus, quod illa verba nõ sunt Scripturæ. Dices: Omne, quòd Deus vult propter semetipsum vult, etiam si aliqua vellit hominibus, ex illo *Prouerb.* 16. ergo. Respondeo, quòd amor, & amicitia inter Deum, & homines non est inter æquales, sed est excellentiæ amor, qui non propterea desinit, habere illas conditiones, veri amoris amicitiæ, sed potius illas continet perfectiori, & eminentiori modo, quã cõtineat amicitiã inter æquales. Primo eminentia obiecti. Secundo excellentia affectus. Tertio excellentia obsequiorũ, & excellẽtia firmitatis, & diuturnitatis. Cum enim Deus diligẽdo amore amicitiæ homines, diligat, & velit propter se non desinit velle propter homines eminenter, quod

quòd sufficit; imò illa est perfectior amicitia, quã nostra, quia diligit purè propter vnicum formale motivum dilectionis, & amicitiæ, continens in se veram rationem amicitiæ patris ad filios, fratris ad fratrem, viri ad vxorem, Regis ad subditos, & sociorum ad socios, &c.

49 Hinc patet: amicitiam intercedentẽ inter Deum, & homines esse charitatem; quia ista vox *Charitas* non est Latina tantũ, sed Græca, scribitur enim non per *C.* simplex, sed aspiratũ, scilicet per *C.H.* quòd per Græcũ *X.* efformatur: nam sine *H.* nõ significatur dilectio, sed ex vberans rei precium: cum *H.* autem sumitur à verbo *Charizo*: quod est gratiam, & amicitiam in eo; & sic charitas est ipse contractus amicitiæ, & mutua cõiunctio, & correspondentia in amore, id est redamatio, & reciproca amatio seu dilectio, vt cum *Budæo in commentarijs Linguæ Græcæ notat Lorca in præfatione ad tertiam sectionem super 2.2. n.3.* ergo amicitia inter Deum, & homines est charitas.

Sectio 3. *Vtrùm admittendi sint in hominibus respectu Dei, duo amicitiæ amores super omnia, vnus naturalis, & alter supernaturalis?*

50 NEgant *Vazquez 1.2. disput. 198. Aluarez 1. part. tract. 4. q. 14.* indicat *Bellarmin. 6. de gratia, & libero arbitrio cap. 7.* & sequitur *Gaspar Hurtad.* dicentes; nullum esse amorem amicitiæ, qui naturalis dici possit, sed quamis ratione diligatur Deus propter se ipsum super omnia, dilectione, amore, & charitate supernaturali, diligi debet necessario.

51 *Lorca disp. 2. n. 12.* dicit, quod licèt cõsiderando hominẽ impuris naturalibus, possit dari dilectio, amor, & amicitia Dei naturalis: tamen hæc amicitia, & charitas naturalis, ait, nunquã fuit separata à charitate, & amicitia Dei supernaturali. Vnde sola consideratione videtur Lorca distinguere istos amores, & amicitias, minimè verò in re. Vnde meo iudicio incidit in sententiã Vazquecij, quã ipse merito impugnat *disp. 6. à n. 7.* & sic valdè incõsequẽter hic loquitur Lorca.

52 A nobis autẽ dicendũ est primo contra Vazquez. Quòd respectu Dei in hominibus debent admitti duo amores, & actus amicitiæ, siuè charitatis Dei super omnia: vnus naturalis, & alter supernaturalis. Ita Doctor, & Theologorum Princeps *Scotus in 3. dist. 27. art. 3. §. Quantum ad illum:* & *dist. 26. §. Ad quæstionem:* & *quodlibet. 17.* & alijs in locis à nobis relatis *Opusc. de Fide disp. 2. cap. 2 sect. 6.* Sequuntur omnes Scotistæ, *Pityg. Basolis in 3. dist. 29. Castillo disput. 1. quæst. 3.*

num. 2. docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 6. *art.* 3. *& 1. part. q.* 60. *art.* 5. *& 1.* 2. *q.* 109. *art.* 3. *& in* 2. *dist.* 3. *q.* 4. *& de veritat. q.* 2. *art.* 2. *& in quodlibet.* 1. *art.* 8. *D. Bonauent. in* 3. *distinct.* 3. *art.* 3. *q.* 2. *Ricard. ibi art.* 7. *q.* 1. & ante omnes istos omniũ Theologorum *Magister Alensis* 2. *part. quæst.* 13. *memb.* 3. Sequuntur *Sotus*, & ferè omnes Recentiores, *Lorca disp.* 6. *& Suarez lib.* 1. *de gratia, cap.* 3.

53 Probaturque primo. Quia vna ex propositionibus damnatis à *Pio V. & Gregorio XIII.* in Michaele Baio est hæc: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis, quo Deus amatur, vt Author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, vt Beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendũ Sacris Literis excogitata.* Respondet Vazq. damnari propter rigidam censuram, & non propter doctrinam. Sed ista solutio falsa est: quia decreta Pontificum non magis distinguunt de ista propositione 34. Baij, quam de alijs, sed aliæ damnatæ sunt propter doctrinã: ergo & ista. Secundo; quia in tali propositione nulla est censura. Tertio: si, secundùm Vazquez, & eius sequaces, nostra sententia est falsa, & non vera: ergo est vana, & si non est vera, nullum habet fundamentum: ergo commentitia: ergo si illa vtamur ad exponendum scripturas, & testimonia Patrum illis illudimus: ergo sententia Baij per legitimam consequentiam est eadem cum sententia Vazquecij. Quarto: quia ex his omnibus sequitur nostram sententiam, non esse vanam, neque commentitiam; & aliàs est sententia Antiquorum, & Recentiorum: ergo minus benè sensit Vazquez.

54 Respõdet secundo Vazq. illis obiectionibus præsus, quòd distinctio amorum est vera, si intelligatur de amore amicitiæ, & de amore concupiscentiæ; ita quòd amor concupiscentiæ est naturalis, & amicitiæ semper sit supernaturalis; non verò vtrumque membrum de amore amicitiæ. Sed contra primo: quia supradicti Pontifices damnarunt 38. propositionem Baij, quæ est hæc: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, & à Ioanne reprobatur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus Deus amatur*: ergo Baius cõcedebat amorem naturalem concupiscentiæ, & amicitiæ, sed damnatur; quia negat amorem naturalem: ergo quia negat amorem naturalem amicitiæ erga Deum: ergo sententia Baij est eadem cum opinione Vazquecij. Secundo: quia eadẽ est difficultas de amore concupiscentiæ erga Deum, ac de amore amicitiæ. Quia secundùm Vazquez, obiectũ actus spei, qui est concupiscẽtię amor, est Deus vt est in se omnipotens,

&

& in se fidelis in promissionibus, vt vidimus *tract. de Spe disp. 1. cap. 1. sect. 3.* ad quem actum concupiscētiæ eandem gratiam requirunt Concilia, *Arausican. & Trident. sess. 6. cap. 6. can. 3. & 8. & sess. 14. cap. 4. can. 3.* ac ad actum charitatis, & amoris amicitiæ: igitur sicut nō obstante hoc, potest, secundū Vazquez, esse amor concupiscentiæ naturalis erga Deum, etiam poterit esse amor amicitiæ naturalis.

55 Secundo cōtra Vazquez argumentor. Ex ipso, omnis amōr Dei super omnia propter se est supernaturalis; sed secundū ipsum, talis amor iustificat, & est forma sanctificans: ergo homo potest esse certus de sua iustificatione. Quia certus sū ego, quòd diligo nunc Deum super omnia propter se: sed hoc dici non potest; quia est plusquā falsum: ergo. Tandem probatur ratione Scoti. Quia non semper per cognitionem fidei proponitur Deus, vt est in se super omnia amabilis appreciatiuè, sed multoties proponitur per rationem naturalem, & lumine rationis naturali: ergo si tunc diligam, ille amor sequutus ad talem cognitionē erit amor non supernaturalis, sed naturalis. Si enim homo constitueretur in statu puræ naturæ, etiam diligeret Deū, vt est in se, super omnia amore naturali: ergo etiam nunc constitutus in via potest elicere talem amorem.

56 Sed insurgit Vazquez: primo, quia Patres, qui multa de charitate scripserunt, nullus hanc distinctionem amorum, nec insinuauit. Imò potius Augustinus definiens charitatem, dicit, esse amorem Dei propter se ipsum: & idem habetur passim in Scriptura, loquendo de amicitia, & dilectione Dei supernaturali: ergo eo ipso, quòd diligimus Deū propter se ipsum super omnia, est amor supernaturalis ex Patribus, & Scriptura: ergo talis diuisio non est vera. Et confirmatur, quia communis fidelium instructio, & Christiana Catechesis, & vniuersalis Ecclesia nihil aliud docet, quam diligere Deum super omnia propter se, & quòd ita diligere, sit opus charitatis infusæ Theologicæ: ergo amor Dei super omnia, propter se naturalis, nullus est.

57 Respōdeo: hanc esse authoritatē negatiuā, & sufficit, vt nostra diuisio sit conformis Patribus, & Scripturæ, quod approbetur à Pio V. & Gregor. XIII. damnātes oppositū. Neque omnia dixerunt Patres, & Scriptura: nam Sancti Patres, & Scriptura solum loquuntur de amore Dei sicut oportet, & vt est dispositio proxima ad iustificationē: & sic semper loquuntur de amore supernaturali; & ita cum ille amor sit necessarius ad iustificationem, & vitam æternam, nihil mirum, quòd communis

fidelium instructio, Christiana Cathechesis, & Ecclesia solum instruant, diligere Deum super omnia propter se, non absolutè, sed sicut opportet.

58 Sed instat Vazquez. Vbi non est diuersitas obiectorum formalium, non potest esse distinctio actuum, sed hic non est distinctio obiecti formalis: ergo neque distinctio actuū: & sic vel nullus est supernaturalis, quod falsissimum est, vel nullus est naturalis circa idem tale obiectū. Respondeo ex dictis *cap. 1. sect. 3.* quòd circa idem obiectum formale, potest esse actus naturalis, & supernaturalis, etiam si actus differant specie: quia distinctio specifica actus causatur, aliquando ex diuerso modo tendendi, vel medio, tanquam conditione, vel ex diuerso principio ex parte potentiæ: nam ad actum supernaturalem concurrit habitus supernaturalis, & nō ad actū naturalem: præterquamquod actus non est secundùm subtantiam supernaturalis, sed solum secundùm modū, vt dixi *Opusc. de Fide disput. 2. cap. 2. sect. 5.*

59 Sed instat iterum Vazquez: ergo sine charitatis Theologicæ actu poterit homo extra Sacramentum iustificari: quod est contra Concilia, & Fidem. Patet consequentia: quia talis dilectio naturalis est Dei super omnia: ergo proxima, & sufficiens dispositio ad gratiam: quia est sufficiens auersio à bono cōmutabili, & efficax conuersio in Deum. Respondeo nego consequentiā. Ad probationē distinguo antecedens: sicut oportet ex auxilio gratiæ, nego: viribus naturæ tantū ductis lumine naturali rationis, concedo: & sic nego consequentiam: quia ita non est sufficiens auersio à bono cōmutabili, & conuersio ad Deū sicut oportet; aliàs certi essemus de nostra iustificatione, & an odio, vel amore digni essemus. Ergo, vt ista fidei veritas persistat, quod nemo scit vtrum amore, vel odio dignus sit, necessum est fateri distinctionem istorum amorum Mahumethani quandoquidem, & hæretici cognoscunt, Deum esse summū bonum, propter se super omnia diligibile, & sic illum diligunt, sed non sicut oportet. Cætera autem, quæ hic possunt inculcari, *Opusculo de Pœnitent. virtut & Opusc. de Pœnitent. Sacrament* discussi.

60 Tandē obijcit Vazquez. Talis dilectio, & amor naturalis, vel fit solis naturæ viribus, vel fit auxilio indebito, & gratuito adhuc ordinis naturæ, vel indiget supernaturali dono gratiæ: si hoc tertium dicatur, talis diuisio est impertinens, vana, & commentitia: si secundum dicatur, etiam talis actus est supernaturalis; primum autem non potest dici; quia videtur in Pelagio

gio damnatum: ergo. Sed respõdeo, quòd melius posit istud argumentũ conuerti contra *Vazquez*, qui 1. 2. fatetur actum desiderij efficacem, quo appetimus nostram Beatitudinem posse elici viribus naturæ absque auxilio gratiæ ordinis supernaturalis, & disponere ad iustificationem, si eliciatur ex auxilio ordinis naturalis indebito; quòd magis videtur reliquia Pelagij cõtra *Arausicanum cap. 6. & 7.* & *Maleuitanum Epistol. 95.* apud *Aug.* vt optimè probat eruditus *Lorca* 1. 2. *sect. 6. disp. 3. & 7. & in* 2. 2. *sect.* 2. *disput. 6. à num. 3.* Respondeo ergo: Fieri viribus naturæ cum cõcursu Dei naturali, per propositionem talis obiecti ex lumine rationis naturali: negamus tamen hoc esse damnatum in Pelagio: nam in Pelagio, & semipelagianis solum damnatur, negare necessitate gratiæ, & auxiliorum ordinis supernaturalis, & ponere, quòd solis viribus intra naturæ ordinem contentis iustificari poteramus.

61 Ex dictis dico secundo contra Magistrum Lorcam. De facto posse dari amicitiam inter hominem, & Deum, interueniente dilectione charitatis naturalis. Præter dicta probatur. Quia Aristot. vt fatetur *Lorca disput. 2. numer. 4.* cognouit amicitiam inter Deum, & homines: ille autem Ethnicus erat, & non cognoscebat dilectionẽ Dei supernaturalem: ergo. Secundo; secundùm ipsum Lorcam, circa motiuum fidei potest esse assensus naturalis, & similiter circa motiuum spei, spes naturalis: ergo similiter circa motiuum virtutis Theologicæ charitatis infusæ potest esse actus amicitiæ, & dilectionis Dei super omnia naturalis. Tertio; secundùm ipsum *Lorca* 1. 2. *sect. 6. disp. 5. & 7. & 2. 2. disp. 6. sect. 3. n. 23.* vnus, aut alter actus amoris Dei super omnia naturalis, viribus naturæ potest fieri sine auxilio gratiæ, sed solum viribus naturæ: & sic pro paruo tempore totam legẽ naturalem implere, quis potest sine auxilio gratiæ speciali supernaturali: ergo valdè inconsequenter, & falsò negat *Lorca disput. 2. num. 12.* quod *disp. 6.* affirmat, & 1. 2. loco citato. Ex quo inconsideratè notat nostrũ Scotum deceptionis nota.

62 Sed obijcit Lorca. Nunquã fuit, nec erit status puræ naturæ: ergo actus naturalis nunquam potest esse sine supernaturalitate. Respondeo, nego consequentiam; quia non sequitur ex antecedẽti; vt patet ex dictis, & ipse fatetur inconsequentèr loquens. Obijcit secundo. Status de facto repertus, vel est innocẽtiæ, vel lapsus in primo statu natura erat coniuncta cum gratia, & actus semper erant supernaturales: in secundo autem statu nõ potest homo obseruare totã

legem naturalem, sine auxilio supernaturali: ergo actus charitatis, per quē lex impletur, non fit pro isto statu viribus naturæ, sed ex gratiæ auxilio supernaturali. Bona venia hic Magister Lorca incidit manifestè in sententiā Vazquez, quā ipse impugnat *disp.6.* ergo, vel teneat cum Vazquez, vel falsa est ista sua doctrina disputationis secūdę. Respōdeo ergo; quòd cum in vtroq; statu, non fuissemus certi, vtrum odio, vel amore supernaturali digni fuissemus, neque essemus certi de nostra iustificatione, necessariò fatendum est, quòd in vtroque statu, poterat dari dilectio Dei super omnia merè naturalis: aliàs certi essemus de nostra gratia, & iustitia: ergo nostrę cōclusiones magis conformes sunt Patribus, & Scripturę, quam sententiæ Vazquez, & Lorcæ. Et exinde patet vtilitas distinctionis horum amorum contra Baium, & Vazquez.

Sectio 4. *Vtrùm dilectio Dei intuitu mercedis æternæ, vel temporalis, sit actus charitatis?*

63 VIdetur, quòd non. Quia principiū actus recti, est etiā principium actuum reflexorum: ergo si principium actus recti est obiectum, & principium concupiscentiæ, reliqui actus reflexi, & subordinati erunt actus concupiscentiæ, & nō amicitiæ, seu charitatis: at actus respectu mercedis æternæ, vel temporalis, est concupiscentiæ: quia eius formale motivum, & principiū est concupiscentiæ: ergo etiā diligere Deum intuitu mercedis æternæ, erit concupiscentiæ, & nō potest esse charitatis. Propter hanc dubitādi rationē *Lorca disp. 30. n. 2.* negat, licere diligere Deū intuitu mercedis æternæ: & idē repetit *n. 6.* Refertur *Sanct. Thom. 2. 2. q. 27. art. 3.* Et similiter referri potest *Scot. in 3. dist. 26. §. Ad primū horum, vers. Ad primū dico.*

64 Verū *S. Thom. in 3. dist. 29. q. 1. art. 4.* ait, posse amari Deum actu charitatis propter mercedē æternā, nō verò propter temporalē: sequuntur *Capreolus, & Durand.* sed non ita, quòd merces æterna sit finis vltimus: sed partialis. Expressius tamen loquuntur pro hac opinione *S. Bonauēt. dist. 27. art. 2. q. 2.* & sequuntur *Gabriel, Almain,* & alij, apud *Lorcā n. 3.* Quę sententia confirmari potest ex *Scoto in 4. dist. 14. q. 2. vers. Ad illā ergo instantia:* vbi ait; quòd virtus moralis pœnitentiæ potest imperare actū charitatis. Et probatur ratione, & fundamēto firmo. Quia actus charitatis est dispositio proxima ad iustificationē, & vitę æternę, seu mercedis æternæ meritorius actus: ergo potest elici actus charitatis intuitu mercedis æternæ.

65 Pater Franciscus del Castillo *disput. 2. q. 3. n. 5.* dicit; quòd actus charitatis, vt operatio est, &

& secundùm respicientiã, quam habet ad obiectũ ipsius propriũ, nõ potest elici intuitu mercedis æternæ: atverò secundùm quod est effectus, & vt dependet à voluntate efficienti, potest imperari, & eligi intuitu mercedis; & sic componit Scoti loca relata. Primum probat: quia implicat, quòd respicientia alicuius ad aliquid propter se, sit, adhuc extrinsecè, respicientia ad ipsum, propter aliud: aliàs iam nõ esset respicientia ad illud propter se; quia sunt respicientiæ omnino oppositæ, & mutuo se excludentes: ergo. Secundum verò probat: quia actus charitatis, secundùm respicientiam ad efficiens, non habet sibi proprium obiectum: ergo ex alio motiuo potest esse obiectũ materiale volitum.

66 Omnes isti modi videtur probabiles. Sed à nobis dicẽdum est; quòd dilectio Dei super omnia intuitu mercedis æternæ est actus charitatis; nõ solũ summẽdo actũ dilectionis; vt operatio est, & secundùm respicientiam, quam habet ad obiectum ipsius proprium, sed secundũ, quòd est effectus, & vt dependet à voluntate efficienti, si ly *intuitu mercedis æternæ*, solũ summatur dispositiuè, nõ verò summatur, vt motivum formale diligẽdi Deũ super omnia: quia sumendo illud *intuitu mercedis æternæ, vel temporalis*, vt motivũ formale, non potest elici intuitu mercedis æternæ, adhuc secundũ quòd est effectus à voluntate efficienti, & sic manet soluta ratio dubitandi in principio posita, & etiã intellecta manet secunda sententia. imo omnes sententiæ, & Scotus idem dicere videntur; & ita tenet *Lorca* citatus *num.* 7. in fine.

67 Cæterũ dico secũdo: quòd diligere Deum intuitu mercedis æternæ potest dupliciter intelligi: vel reduplicatiuè: vel specificatiuè. Reduplicatiuè; quatenus constituit obiectũ motivũ formale spei. Specificatiuè; non vt constituit obiectũ formale spei, sed quatenus est Beatitudinis obiectũ, vel actus fruitionis Beatitudinis obiectiuè, vel quatenus est vtrumq; simul, scilicet actus, & obiectũ Beatificũ. Si ly *intuitu mercedis æternæ* specificatiuè intelligatur: absolutè dilectio Dei super omnia intuitu mercedis æternæ, est actus charitatis, etiã si secundũ quod est operatio, & secũndũ respicientiã ad proprium obiectũ eius eliciatur illo intuitu mercedis. Ratio mihi est: quia diligere Deũ super omnia sic intuitu mercedis æternæ, semper est diligere Deũ propter se: quia est idẽ, ac dililigere Deum super omnia in via, vt diligamus Deũ super omnia in Patria: sicut qui in via diligeret Deum propter se, super omnia, intuitu diligendi iterũ Deum propter se super omnia, perfectiori modo, quam prima vice; quod non est respicere Deum propter aliud, sed respicere Deum semper propter se.

Si

68 Si verò intelligatur reduplicatiuè adhuc dilectio Dei intuitu mercedis posset esse actus charitatis; quia non tollit, quod ego ordinem dilectionem Dei propter se, & super omnia, vt actum meritorium ad præmiũ vitæ æternæ, illam dilectionem esse actum charitatis; dummodo nõ plus æstimem mercedem, & præmium, quam obiectum actus dilectionis: nam tunc foret frui vtendis, & vti fruendis: & sic diligere Deum, intuitu mercedis, foret diligere Deum propter aliud, & non propter se.

Sectio 5. *Vtrùm actus charitatis viæ, & Patriæ sint eiusdẽ speciei?*

69 QVòd sint diuersæ speciei probatur ab aliquibus Scotistis: *Pityg. in 3. dist. 31. art. 3. Felice tom. 1. tentat. tract. 1. cap. 2. diff. 8. num. 11.* cum *Scoto dist. 49. q. 5. & in 2. dist. 26.* & ferè omnibus Thomistis, ex *Caietan. Suario tom. 1. in 3. part. disput. 39. sect. 2. Ægid.* & alijs. Quoniam charitas Patriæ sequitur ad actum visionis, non verò charitas viæ, sed effectus, qui pertinent diuersam causam in specie, differunt specie: ergo isti actus differunt specie. Respondetur, distinguendo maiorem: quatenus Patriæ est, concedo; quatenus in sua entitate, & substantia est actus charitatis, nego. Nam vt sic indifferenter respicit visionẽ claram, & obscuram, iudicium, vel simplicem apprehensionẽ. Calor enim, qui procedit ab igne, & qui à Sole, sunt eiusdem speciei, etiam si ignis, & Sol specie differant. Et si dicatur esse discrimẽ, quòd actus charitatis Patriæ exigit natura sua visionem claram; & viæ visionem obscuram; at verò calor Solis, non exigit natura sua Solem. Cõtra est: quia actus charitatis Patriæ, & si prout Patriæ, exigat visionem intuitiuam, tamen in actu charitatis, vt actus charitatis est in indiuiduo, hoc quod est esse Patriæ non est differentia intrinseca, nec formalis, nec materialis, sed denominatio extrinseca, & sic ille actus Patriæ ablata visione manere posset idem numero in substantia cum actu viæ.

70 Nec enim visio Beata est causa charitatis Patriæ, sicut nec cognitio Dei in via est charitatis viæ causa, sed potentia volũtatis cum habitu, vel auxilio supernaturali, & in Patria idẽ habitus manet, ac in via. Dices: quòd visio, & fides saltim sunt cõditiones ex parte obiecti, sed diuersæ cõditiones sufficiunt ad diuersificandos effectus in specie stãte eodem obiecto formali, & eadem potentia per diuersos modos tendendi, vt patet in motu recto, & circulari: ergo. Respondeo: quòd illæ conditiones, & si causent diuersum modum tendendi, ex hoc solum sequũ-

quitur, quòd illi actus differant specie quoad modos, non verò quoad substantiam intrinsecam eorum.

71 Ab alijs autem probatur non esse distinctos in specie: & tenent multi Scotistæ etiam cū Scoto citato; & ex Thomistis *Bañez, Medina, Vazquez 3. part. disp. 24. cap. 3. & 1. 2. disp. 11. cap. 2. à n. 23. Lorca 2. 2. disp. 18. sect. 3. Montesinos 1. 2. disp. 3. de Beatitudine, quæst. 3. n. 54.* & alij Recentiores. Primo sic: quia *Paul. 1. ad Corinth. 13.* dicit, quòd *Charitas nunquam excidit*: ergo charitas viæ, & Patriæ, continuantur, & sic sunt eiusdem speciei. Respōdeo, quòd Paul. dicit, charitatē manere in Patria eandē quoad habitum, nō verò quoad actum; quæ respectu fidei dicitur, quòd nunquam excidit, siue sit eiusdē, vel diuersæ speciei actus, de quo non loquitur Apostol. Sed contra: quia vterque actus habent idem obiectum formale motivum, & procedunt ab eadē potentia cum eodem habitum: ergo sunt eiusdem speciei. Respōdeo negando consequentiā: quia eadem voluntas cum eodē habitu circa idem obiectū formale diuerso modo tendit actu charitatis in Patria, quia circa obiectum intuitiuè propositum, ac in via, quia circa obiectum obscurè reuelatum.

72 Sed contra: Quia amor amici præsentis, & amor eiusdē amici absentis, seu amor amici, quem video, & amor eiusdem amici postquam cæcus factus sit amans, sunt eiusdem speciei: ergo charitatis actus circa idē obiectum formale, clarè visum, ab eadem potentia, & habitu, & actus charitatis circa idem obiectum non visum, elicitus ab eadem potentia cum eodem habitu sunt eiusdem speciei. Respondeo cum Felice negando consequentiam, & est discrimen, inquit Felix *num. 13.* quòd amor amici, non petit necessariò visionem claram amici, sicut fruitio, in qua consistit actus charitatis Patriæ, necessariò exigit claram visionem. Sed certè, vel dicēdum est, quòd in constitutiuo Beatitudinis intrat visio Beata, vel paritas tenet omnino. Quare Felix secundo respondet ibi cum Ægidio, negando antecedens: quia amor amici absentis causat desiderium, quod non causat amor amici præsentis, sed potius delectationē; sed ista solutio valdè displicet, aliàs amor viæ esset etiā desiderium, quod non potest dici: vnde argumentum est valdè efficax.

73 Sed nihilominus contra est: quia actus charitatis sequutus ad actum scientiæ, vel cognitionis euidentis in attestante, per speciem impressam Dei in se, & actus charitatis sequutus ad actū fidei, specie non differunt: ergo neque actus charitatis viæ, nec actu-

actus Patriæ, sequutus ad claram visionem. Respondeo cum *Castillo disp. 2. de spe, q. 4. num. 6.* quòd si cognitio sit scientifica per alienam speciem, semper obiectum manet obscurum, & sic erit eiusdem speciei (sed cōtra: quia cognitio est euidens: ergo diuerso modo proponit obiectū, ac per fidem. Hoc euidenter concludit contra ipsum, qui cum scientia non componit fidem, non verò contra nos, qui componimus. Sed etiam cōtra nos habet vim argumentum; quia actus sciētiæ diuerso modo proponit obiectum, ac actus fidei, qui non est euidens: & sic diuersos in specie charitatis actus causabunt) si verò cognitio sit per speciem impressam in attestāte euidens dicit Castillo, quòd actus charitatis erunt distincti in specie. Sed contra: quia ex hoc sequeretur, quòd actus charitatis viæ etiam essent specie diuersi, quod nullus dixit.

74 Tandem contra est. Cognitio clara Patriæ, & cognitio obscura viæ, vel abstractiua, non differunt specie quoad substantiam intrinsecam qualitatis, sed se habent, vt magis, & minus, vt excedens ad excessum, vel ad deficiens, & vt includens ad inclusum; nā, secluſa obscuritatis imperfectione, visio includit totā perfectionē actus obscuri; & hoc est quòd dicit Apostolus quando do dicit: *Euacuabitur, quod ex parte est*, idest obscuritas, non verò positiua entitas assensus, & cognitionis; sed magis, & minus, excedens, & deficiens includens, & inclusum, non variant speciem: ergo neque actus charitatis viæ, & Patriæ differunt specie, adhuc secundùm diuersum modum tendendi, sed solū differunt secundùm magis, & minus, secundùm excessum, seu excedens, & deficiens in modo tendendi, quod non variat tendentias, nec actiones, nec actus. Respondeant Authores primæ sententiæ: quia licèt Scotus vtramque opinionem probabilem teneat, in præsenti inclinat ad secundam.

Sectio 6. *Vtrùm actus charitatis in Patria intensior sit, quam in via, absolutè, vel respectiuè?*

75 NOn est quæstio de potētia absoluta, sed de lege ordinata, & loquendo de charitate viæ sequuta ad actum fidei; supponendo esse eiusdē speciei, cum actu charitatis Patriæ; nam si sint diuersæ speciei, nō est quæstio; quia infimum perfectioris speciei est perfectius supremo speciei inferioris.

76 Hoc posito, dico primo: De lege ordinata in vno quoque homine, semper est intensior, maior, & perfectior actus charitatis Patriæ, quam actus charitatis viæ. Ita cōmunis Antiquorū sen-

sententia, & tenent graviores Recentiores, *Lorca disp.* 18. Probatur primo: quia in Scriptura status viæ comparatur crepusculo, & status Patriæ comparatur perfecto diei; iustorum enim semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem, *Prouerb.* 5. & *Cant.* 6. de Ecclesia Militãti dicitur: *Quasi Aurora consurgene*; in via enim sumus, vel vt parvuli, in Patria autem viri, euaquatis, quæ erant parvuli, *ad Corinth.* 13. *Epist.* 1. sed lux Auroræ, & crepusculi, & si sit eiusdem speciei cum luce diei perfecti, imperfectior, & remissior est, luce perfecti diei: & similiter status pueritiæ imperfectior, & debilior est, statu virili: ergo in vno quoque homine, perfectior est in Patria actus charitatis, quam in via.

77 Cõfirmatur primo. Quia in Patria est præsens obiectum, quod non est in via: ergo efficatius mouet in Patria: ergo potẽtia perfectius amabit illud in Patria, quam in via, in qua tot sunt impedimẽta retardãtia ad amorem, & voluntatis conatum impedientia. Vnde *Augustin.* citatus à *Scoto dist* 27. § *De primo*, docet, quòd illud præceptum *Deuteronomij* 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, fortitudine, & mente, &c.* perfectissimè solum adimpletur in Patria: ergo, &c. Confirmatur secundo, subsidiariè ab *Scoto in* 1. *dist.* 17. § *Sed tunc est, vers. In hoc est.* Quia[a] præmium, lege communi, & ordinata est maius bonum, quam sit meritum, loquendo de præmio Beatitudinis, quod est semper vltra condignum, sed charitas Patriæ est præmium respectu charitatis viæ; quæ est meritum: igitur charitas Patriæ semper est in vno quoque beato maior, quã fuit charitas ipsius in via.

78 Sed opponit nobis *Hurtado Complutensis disput.* 1. *diff.* 3. Quando quis primo iustificatur actu charitatis, & tunc moritur, ille actus elicitur secundùm totam intensionem habitus in via, secundùm quam elicitur in Patria: ergo tunc in illo erit æqualis actus charitatis Patriæ, & viæ. Respõdeo negando antecedens: sed gratis omittamus; nego cõsequentiam: nam in patria efficatius, & feruentius mouet obiectum quam in via, sicut Sol positus ad Zenith, quam in crepusculo, & ignis aproximatus, quam indistans: & sic intensior euadet charitas in Patria: nam intensio actus non tolum summitur ex habitu, sed ex obiecto præsentialiter mouente ad actũ.

79 Sed obijcit N. Pityg. optimè stat, quòd aliquis habeat maiorem Beatitudinem, & minorem charitatem, quam alius, qui habet maiorem charitatẽ. Respondeo, quòd hoc est absolutè falsum; nec potest in aliquo verò sensu explicari: maximè in sen-

ten-

tentia Scotistarum, qui ponunt Beatitudinem in actu voluntatis, charitatis, dilectionis, & fruitionis ipsius Dei, vt est in se facialiter visi.

80 Sed obijciunt Beguardi, & Beguini (vulgò fratricelli, seu bisochi, aut pauperes de Lugduno, quorum Author fuit Hermanus quidam Italus dictus Pangilupus, vt testes sunt Prateolus, Bergomas, Bernardus à Lucemburg, Crantius, Bellarminus, Angelus del Pas, Sanderus, Illescas, Gualterius, Palmerius, & alij multi, quos eruditissimè narrat N. Dermitius Thadæus in sua nunquam satis proclamata Nitella Franciscana, *fol.* mihi 85. vbi contra Obzobianas iniurias, & falsissimas impostura elegantèr, eruditè, & euidenter demonstrat, fratricelos illos non fuisse Franciscanos, *fol.* 108. & sequentibus, nec professores Tertij Ordinis; quin potius Nos Franciscani Fratricelos destruximus, & penitus extirparunt Frater Guillelmus Farinerius, *anno* 1654. N. Ordinis Generalis Minister, Beatus Frater Thomas de Florencia, B. Iacobus à Marchia, siuè de Monte Brandone, Inquisitor Generalis cum plenitudine potestatis cõtra hæreticam prauitatem, & tandem B. Ioannes à Capistrano, etiam Generalis Inquisitor, qui Fratricellorum Pseudo Papã (qui tunc erat Fabrianus) cremari fecit cũ alijs multis, vt habet *fol.* 99. & deinceps) in hac vita potest homo peruenire ad talem perfectionis statum, vltra quem non possit progredi vltra: ergo charitas viæ, & Patriæ sunt æquales in multis; quia sicut charitas Patriæ facit homines impeccabiles, ita, & charitas viæ, dicebant Fratricelli, & isti pauperes de Lugduno.

81 Respondeo: quòd iste error est damnatus in Concilio Vienense, sub *Clemente V.* & anteà etiam cõdemnatus fuit à *Nicolao*, & *Honorio IV.* & *à Bonifat. VIII.* vt refert Nitella *fol.* 85. Quoniam fides docet *Eccles. iastici* 19. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*: & *Apocalip. vltimo*: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: ecce venio citò, & merces mea mecũ est.* Videatur *Lorca disp.* 7. & 12. *sect.* 6. *disp.* 39. Sed obijciunt Beguardi. Si in via charitas crescere possit, magis, ac magis posset homo peruenire ad maiorem charitatem, & gratiam, quam gratia, & charitas Christi. Respondeo, nõ implicare de potentia absoluta; de lege tamen ordinaria nõ perueniret; imò neque ad tantã gratiam quantã habuit Beatissima Mater Dei, & semper V. Maria. Imò in nostra sententia de potentia absoluta, non poterat peruenire ad maiorem charitatem, & gratiam, quam gratia, & charitas Christi; quia vltra summum non est alia possibilis.

Di-

82 Dico secundo, propter eadem fundamenta, cum *Lorca disp.* 18. contra N. Castillo; quòd in vnoquoque Beato perfectior, & intensior est actus charitatis Patriæ, quam actus charitatis viæ, sequutus ad cognitionem fidei, cuiuscumque viatoris. Vnde nec Beatissimæ Virginis Mariæ actus charitatis sequutus ad cognitionem fidei fuit perfectior, & intensior actu charitatis minoris Beati in Patria. Quia tamen piè credendum, & affirmandum est, quod in via videbat intuitiuè assentiam diuinã, vel saltem per speciem impressam quidditatiuam perfectam ipsius Dei, absolutè de Beatissima Maria dicendum est, quòd ipsa habuit perfectiorem actum charitatis in via (& in hoc fuit priuilegium) quam omnes Beati simul in Patria. Et sic philosophãdo, & piè sentiẽdo de aliquibus Sanctis, potest dici, quòd habuerint maioris charitatis actũ in via, quam aliqui Beati habent in Patria, non verò loquendo sine istius modi priuilegiõ, & de actu charitatis sequuto ad actum fidei.

83 Quia Christus Dominus *Matth.* 11. cum de Baptista dixit: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne.* addit, *qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo.* Quem locum ait *Hieronymus super Matthæum: Etsi multi de Saluatore intelligi hoc volunt, quòd qui minor est tempore, maior sit dignitate: nos autem simpliciter intelligimus, quòd omnis Sanctus, qui iam cum Deo est, maior sit illo, quia adhuc consistit in prælio.* Et ita docent *S. Aug. tract. 13. in Ioannem: & lib. 7. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 5. Chrisostom. Anselm. Lyra, & B. Thom.* Neque oppositum vnquam docuit Scotus, nisi loquendo ex speciale prærogatiua, & priuilegio, vt notatum est. Nam, vt Sancti laudentur non est extorquenda Scriptura: quia nulla maior perfectio excogitari potest, quam videndo Deum intuitiuè, illum sic, vt in se est, diligere. Argumenta Castilli sunt parui momenti, vt propter ea Sanctos Patres deseramus.

Sectio 7. *Vtrùm dilectio Dei propter se, & dilectio proximi propter Deum, sint eiusdem speciei?*

84 REspõdeo affirmatiuè: & colligitur ex *Scoto in 3. distinct. 28. §. De primo: & §. Ad primum argumentum.* Nam proximus assignatur obiectum charitatis, vt obiectũ per accidens: & sic, quia vtraque dilectio habent idem, & vnum obiectum formale, & per se, scilicet Deum, vt in se bonum, & propter se, sunt actus eiusdẽ speciei. Sequuntur Scotistæ, *Castillo disput. 2. q. 6. n. 2.* ex aliis *Hurtad. & Torres.* Tenent *Gabr. & Almain.* apud *Lorcam.*

Pro-

Probat Castillo. Quia quando motivum formale alicuius habitus est vnum in specie athoma, etiã actus illius habitus versantes circa tale obiectũ, nisi alias differant ex parte potentiæ, vel modi tendẽdi, sunt eiusdem speciei, sed obiectum motivum charitatis est vnum in specie athoma, & infima: ergo dilectiones prædictæ sunt eiusdem speciei: quia etiam potentia est eadem, & modus tendendi non est diuersus.

85 Dices: quòd est diuersus modus tendendi: nam dilectio proximi propter Deum tendit per modum electionis, & dilectio Dei propter se ipsum tendit per modum intentionis: & sic sicut intentio, & electio sunt actus specie diuersi, ita, & illæ dilectiones: ita obijcit *Lorca disp. 26. n. 10.* Sed bona pace minus rectè hic loquitur Lorca. Primo: quia ipse fatetur nobiscum, actus charitatis, viæ, & Patriæ non distingui specie: ergo consequẽter debebat fateri, prædictos actus dilectionis Dei, & proximi esse eiusdem speciei; quia sunt ab eadem potentia cum eodem habitu, & circa idẽ obiectum motivum formale; quod est fundamentum, propter quod ipse fatetur, actum viæ, & Patriæ esse eiusdem speciei: ergo non est consequens in sua doctrina.

86 Secundo: qua diligere proximum propter Deum, non est tendere, & diligere per modum electionis, & tanquã medium: quia actus charitatis proximi non respicit vtilitatẽ proximi, quam respicit electionis actus in medio respectu finis *qui*; & sic electio habet diuersum motivum formale ab intentione: atverò dilectio proximi propter Deum solum habet pro formali motiuo ipsum Deum propter se. Quod si cognitio principiorum, & cognitio conclusionis differant specie, etiã si cognitio conclusionis sit propter cognitionẽ principiorum, vel propter principia, eo est; quia vtriusque cognitionis non est vnum motivum formale sed vnaquæque habet suum formale motivum; quod non accidit in istis duobus dilectionibus præfatis.

87 Plura alia hic possemus disputare circa actum charitatis, sed quia ex dictis *Opusc. de Fide, disp. 2. & disp. 2. de Spe*, facilè possunt resolui quia vtrorũque eadem est doctrina, ideò omitto, & dictis locis me remitto.

CAPVT III.

De habitu charitatis Theologico.

Sectio 1. *Vtrùm detur habitus charitatis creatus in voluntate?*

88 COmmuniter tribuitur Magistro Sentent. *in 1. dist. 17.* dixisse, nos diligere Deũ cha-

charitate increata, & quod Spiritus Sanctus, qui est amor notionalis, erat nobis pro habitu, & actu charitatis: quamuis aliqui, & ferè omnes excusent illum, quoad actum: nam in nobis erga Deum manifestè fatetur actum charitatis creatum in fine illius distinctionis. Scotus autem benignè interpretatur, dicendo, magistrum solum negare habitum charitatis creatum distinctum ab ipsa gratia, sicut habitus fidei, & spei sunt habitus distincti ab habitu gratiæ: & sic non videtur damnandus Magister, sicut damnati sunt Oriandus, & alij hæretici affirmantes, nos esse Deo gratos, & iustos per extrinsecam denominationem à iustitia, & charitate intrinseca ipsius Dei: quia Magister ibi, non agit de forma iustificante; & in 2. *dist.* 26. & 27. videtur, admittere gratiã creatam inhærentem animę.

89 Sed quidquid sit, an errauerit Magister circa hoc, cuius erroris fundamenta infrà ponã; dicendũ à nobis est primo. Quod charitas est aliquid creatum intrinsecè nobis inhærens. Est cõclusio expressa in sacra Scriptura, nam ad *Rom.* 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vbi Spiritus Sãctus ponitur causa efficiens nostræ charitatis: ergo. Et sic interpretatur Apostolus; qualiter intelligenda sunt alia testimonia, in quibus de ipso Spiritu Sancto dicitur, quod diffunditur in nobis, in quantũ per ipsũ, cui per appropriationẽ tribuitur, charitas nobis infunditur: & 1. *ad Corinth.* 13. dicitur: *Manẽt autẽ fides, spes, & charitas, tria hæc*: igitur sicut fides, & spes sunt aliquæ formæ creatæ, ita & charitas; alias non esset congruum numerare loco tertiæ.

90 Quod totum, & nostram sententiam definit *Triden. sess.* 6. *cap.* 7. dicens (loquẽdo de nostra iustificatione) *esse iustitiam Dei, non, qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: hoc enim fit, dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & illis inhæret: in iustificatione enim, infusa accipit homo tria hæc; fidem, spem, & charitatem*: quod repetit *can.* 11. Consentiunt omnes Sancti PP. maximè *Aug. lib. de spiritu, & litera, cap.* 32. & *lib.* 4. *contra Iulianũ cap.* 3. & *serm. de laudibus charitatis.* Alia plura loca congerũt Recentiores præcipuè *Lorca disp.* 3. *num.* 12.

91 Tenent omnes Catholici hanc conclusionem *Scotus in* 1. *dist.* 17. supponit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 23. ita quod Magistri sententia, quæ in hoc puncto illi tribuitur, vnquam probabilitatis speciem habuerit. Probatur ratione, quæ communis est, & familiaris omnibus: quia secundum rectum diuinæ prouidentię ordinẽ Deus semper dat rebus principia, vt connaturaliter operentur suas

actiones: igitur ad connaturaliter eliciendos: erga Deum in ordine supernaturali actus charitatis multo magis dat voluntati aliquod comprincipium, & virtutem ad actus illos: ergo virtus charitatis est aliquid creatum informans voluntati.

92 Sed contra hoc pro errore Magistri, obijcies quia *Ioann. 4.* dicitur: *Quod Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: ergo charitas est, non quid creatum, sed ipse Deus, & Spiritus Sanctus, cui per appropriationem tribuitur esse charitatem. Similia profert Augustinus in aliquibus locis apud Lorcam *disp. 3. num. 4.* sed respondetur verum esse, quod Deus est charitas, & etiam, quod qui manet in charitate creata, manet in Deo per similitudinē, & participationem, & similiter Deus in eo specialiori modo, & magis propriè quā in alijs rebus.

93 Dico secundo. Charitas est habitus quidam. Hæc conclusio est ita certa, vt omnes in illam conueniunt, & aliqui oppositam nota temeritatis censurant. Est enim nostra conclusio ait *Lorca num. 13.* optima propositio Theologica ex vna de fide, qualis est præcedens, & ex alia lumine naturali nota per inductionem, nam charitas est forma inhærens per creationem, permanēter animæ, sed talis forma non est substantia, neque relatio, neque quantitas: ergo qualitas, non vt dispositio; quia potius ad illam præcedit auxilium, & actus per auxilium elicitus, vt dispositio: ergo nō est qualitas per modum auxilij, neque est qualitas, vt passio, aut passibilis qualitas; quia passio, seu passibilis qualitas, non respiciunt operari, sed subiectum tantum; neque est potentia, aut impotentia: ergo euidenter sequitur esse habitū: quia est accidens inhærens subiecto permanenter, quo benè se habet subiectum in ordine ad operandum. Dices: Posse esse auxilium habitualiter permanēs: ita *Vazquez 1.2.* & alij. Sed contra: quia auxilium habitualiter permanēs idem foret, ac habitus: & sic non apta videtur opinio Vazquez.

94 Dices: posse esse relationē extrinsecus aduenientem, quæ dicitur habitus. Ita *N. Castillo disp. 3. q. 1 num. 13.* Et probat: quia Concilium citatum appellat illam formam inhærentem stolam candidam. Deinde relatio extrinsecus aduenies de prædicamento habitus est permanēs, & potest terminare actionē, & illā agere: vt patet in Sacramentis, quæ per relationē signi practici causant.

95 Sed salua pace tanti Magistri in multis deficit hic in sentētia Scoti. Primo: quia signum constitutivū Sacramenti, non est causa physica gratiæ, sed moralis: illa autem forma, quæ dicitur,

tur, & est charitas, est causa physica actus charitatis: nulla autem relatio est causa efficiens principalis physica; maximè relatio habitus, quæ est inter corpus vestitum, & ipsas vestes; quænam virtutis, & efficaciæ talis relatio potest esse. Deinde secundo: Cōcilium appellat charitatem stolam: stola autem non est relatio de prædicamento habitus, sed est ornamentum, aut vestitum inter quod, & corpus, vel anima ornata, aut vestita intercedit talis relatio: stola etenim, est quid absolutum qualificans: ergo est de prædicamento qualitatis, quę dicitur habitus: nam nostri Castilli opinio, videtur valdè proxima ad placitum Magistri, & Oriandi. Nam inquiro à Patre Castillo: si ista forma est relatio habitus, assigna mihi vestes, & ornamenta, inter quæ, & animam, seu voluntatem intercedit ista relatio habitus; & cum charitas vniat cum Deo, debet dicere, quod vestes nihil aliud sunt, quam ipsa charitas, & iustitia increata, scilicet Spiritus Sanctus, vel ipse Deus: & sic per terminationem extrinsecam iustitiæ, & charitatis increatæ iustificabimur. Prætereà: quia ex eo quod charitas vniat cum Deo, etiam poterat dicere, quòd erat de prædicamento passionis: sed consequenter loquitur *Castillo* cū dictis *tom. de Incarnta.* vbi dicit, quod vnio hypostica pertinet ad prædicamentum habitus; sed tamen omnes Scotistæ dicūt, & meritò, hoc esse contra Scotum, vt *Opuscul. de Incarn.* manifestè probabi *disp.* 1. *cap.* 4. *sect.* 4.

Sect. 2. *In quo differāt habitus charitatis infusus, & adquisitus?*

96 SVpponitur, dari habitum charitatis adquisitum ex actuum frequētatione, quo faciliùs, & expeditiùs quis diligit, qui iā adultus versatus est in actibus charitatis erga Deum, quod non habet recenter baptizatus, nec parvulus statim, ac peruenit ad vsum rationis, imò nec per multū temporis spacium. Difficultas primo est: vtrùm iste habitus generetur ex actibus charitatis infusæ, an ex actibus naturalibus? Et respōdeo: quòd ex vtrisque potest adquiri: maximè in nostra sentētia, quæ (vt vidimus *Opuscul. de fide, disput.* 2. *cap.* 1. & *cap.* 2. *sect.* 5. & 6.) tenet; actum charitatis elicitum per virtutem infusam, esse supernaturalem quoadmodum, & in substantia naturalem.

97 Difficultas secunda est: vtrū habitus adquisitus, ex actibus supernaturalibus differat specie, ab habitu adquisito, ex actibus naturalibus? Certè, qui actus supernaturales fatentur, & ponunt tales secundum substantiam, tenentur fateri esse diuersos: quia sicut actus

sunt supernaturales in substātia, & specie differentes, imò plus ab actibus naturalibus, ex eo quod producuntur ex habitu supernaturali per se infuso; ita habitus ex illis actibus generatus, erit supernaturalis quoad substātiam; & sic diuersus ab habitu adquisito ex actibus naturalibus. Melius ergo se expedire videntur, qui actus virtutum infusārū supernaturales quoad modum tantum ponunt.

98 Et sic consequenter dicimus: quòd habitus adquisitus ex actibus supernaturalibus, & ex actibus naturalibus, est vnus in specie, & ordine secundùm substantiam, & solum differunt accidentaliter per ordinem ad efficiens, aliqualiter supernaturaliter causatiuum. Vnde nōtō, maximè inconsequenter loquutum fuisse *N. Castillo disp. 3. de charitate, q. 2. n. 4.* qui nobiscum tenet, quod isti habitus adquisiti, non sunt specie diuersi, eo quod, sicut obiectū supernaturale positum in esse existens non mouet, vt supernaturale, sic actus supernaturalis positus in esse existens, non causat supernaturaliter, & vt supernaturale, habitum: ergo neque actus causatus à virtute per se infusa, est distinctus in substantia, ab actu naturali; quia habitus supernaturalis positus in esse existens non causat, vt supernaturalis, sed naturaliter causat; quod ipse negat mordicus *tom. de fide, disput. 7. quæst. 3.* & alibi. Nostra enim doctrina est conformior Scoto ex dictis *opusculo de fide, disput. 2. cap. 3. sect. 5.* vbi refutatum relinquitur, quod *N. Castillo* respondet hic in suo *numer. 3.*

99 Dices: ergo habitus adquisitus, & infusus non differunt specie. Respondeo nego consequentiam. Primo: quia habitus infusus creatur, & aliter non potest poni in rerum natura, & implicat poni ab aliqua causa secunda physicè; quia in virtute alicuius non continetur. Secundo: quia iste datur ad simpliciter operandum, sicut oportet: ille verò solum dat faciliter operari, & non sicut oportet ex se.

100 Tertio: quia nos certo naturaliter cognoscimus, habere facilitatem, & habitum charitatis erga Deum; non tamen cognoscimus, talem habitum esse infusum, sed cognoscimus esse adquisitum: ergo diuersi ordinis, & distinctæ speciei est iste ab illo. Neque in hoc oportet plus immorari: Nam vtrùm charitatis habitus à solo Deo per creationem producatur; ita quod implicet, aliquam creaturam, adhuc vt instrumentum physicum, illum causare, est quæstio communis omnibus habitibus per se infusis; & specialiter tractatur in materia de gratia; & Nos aliquantulum diximus

opuscul. de fide, & opuscu. de Incarnat. disp. 1. cap. 6. à sect. 1. & infrà dicemus *sect. 5.* Vtrùm autē concurrat ad substantiam actus? ex dictis *tract. de fid. disp. 2. cap. 2 sect. 5. & 6.* respondetur affirmatiuè: vbi ad loca Scoti difficilia fuit responsum. Vtrùm verò aliquis possit esse certus, quod habeat habitum infusum charitatis? est etiam quæstio communis, discussa à nobis *opuscul. de fide disp. 3. sect. vl. cap. 2.* & proprius eius locus est in materia de gratia.

Sectio. 3. *Vtrùm habitus charitatis sit virtus perfectissima omnium, & ipsarum virtutum forma?*

101 DIco primo. Habitus charitatis est virtus. Nullus negauit, & probatur: quia iste habitus residet in voluntate, vt qualitas bona ipsi animæ, & rationi consentanea, qua rectè viuitur, & vt principium actus honesti ex obiecto, & circunstantijs: at ista est definitio virtutis ab omnibus recepta ex *Aristotil. 2. Ethicor. cap. 6.* ergo.

102 Dico secundo: quod est virtus omnium perfectissima. Etiam negat nemo. Et probatur: nam perfectior est omnibus virtutibus moralibus. Quia in esse naturæ habet immediatè pro obiecto Deū, vt est in se in omni genere infinitum bonum: quod non habent virtutes morales; cum immediatè versentur circa obiecta creeta: & si aliquando versantur circa Deum, est ex directione, & imperio charitatis. Item est dispositio vltima ad iustificationem: imò ipse habitus iustificans, quod non habent reliquæ virtutes morales: ergo in genere naturæ, & in genere moris est præstantior ipsis. Item nostræ Beatitudinis formalis, est immediatum principium in Patria: ergo, &c.

103 Quod autem sit virtutibus Theologalibus perfectior, testatur Apostolus 1. *ad Corinth.* 13. iliis verbis: *Nunc manēt fides, spes, & charitas, horum autem maior est charitas: & Matth.* 22. dicitur mandatum magnum, & excellentius in lege esse, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Quod non solum est verum in genere moris, sed etiam in genere physico: nam licèt spes sit in voluntate, sicut charitas, & sit circa Deū immediatè, sed perfectiori modo tendit charitas, nam circa Deū in se propter se; at spes, circa Deum, vt bonum, & commodum mihi; quod est minor excellentia, nam tendit affectu concupiscentiæ, & charitas affectu amicitiæ, qui est nobilior affectus. Similiter de fide: quia ista est in intellectu, & charitas in voluntate, ad perfectissimum actum eius; voluntas autem perfectior est intellectu: ergo charitas

perfectior est fide. Etenim fides inclinat in assensum non omnino perfectum, scilicet circa obscurum, & reuelatum: charitas autem, semper inclinat in actus natura sua perfectissimos physicè, & moraliter.

104 Sed contra totum hoc obijcies. Actus martyrij virtutis fortitudinis, est perfectior actu charitatis, secundum illud Christi Domini: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo virtus moralis fortitudinis, perfectior est virtute charitatis. Respondeo: quod actus martyrij maiorem perfectionem, quam habet, ex charitate habet: & sine illa, nō erit actus martyrij. Obijcies: quod habenti charitatem consulitur maior perfectio, scilicet paupertatis, iuxta illud Christi D. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &c.* ergo paupertatis virtus est perfectior. Respondeo: quod additur, *& da pauperibus*, idest proximis ex motivo charitatis: & sic maiorem perfectionē, quam paupertas habet, est propter charitatem, & motivum eius; & sic nego consequentiam: *Quia si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c. Charitatem non habeam factus sum, velut æs sonans, aut cimbalum tiniens, &c.* Obijcies tertio: Fides præstat charitati, quod prudentia virtutibus moralibus, sed per hoc, prudētia est perfectior, illis virtutibus: ergo etiā fides, est perfectior charitate. Respondeo negando minorem: quia & si prudentia regulet, vel dirigat praxim, tamen non concurrit ad illam, sed solum est, quasi famula lucernam portans, respectu virtutum moralium in voluntate: & sic est fides respectu charitatis. Videatur *Scot. in 3. dist. 33. §. Ad primum concedi potest.*

105 Dico tertio: quod habitus charitatis, quantumcunque remissus, est vera virtus, & habet statum virtutis perfectæ. Etenim cum quouis gradu charitatis, non compatitur peccatum, & malitia. Et probatur ratione à priori: quia status virtutis perfectæ non consistit in carentia habituum vitiosorum, & motuum prauorum ex habitibus resultantium, & exurgentium, vt vult *Lorca disp. 23. art. 3.* cum Caietano, sed consistit in ipsa intrinseca firmitate ipsius virtutis cum extensione ad omnia, quæ sub ratione formali sui obiecti continentur: per hoc enim firmiter, & delectabiliter, in quouis euentu circa quamcunque materiam sibi propriā potest operari, & bonū in quod inclinat prosequi, sed habitus charitatis hoc habet in quocunque gradu: ergo Deinde in quouis gradu constituit hominem simpliciter bonum, gratum Deo,

Deo, charum, amicum, Filium Dei, hæredem, & dignum vitæ æternæ; & cum ea possunt vinci omnes difficultates, quæcunque passiones contra rationem insurgentes repremi, & tota lex adimpletur, in quo charitatis perfectio consistit, ex illo 1. *Ioann.* 2.

106 Temperantia in gradu remisso non habet statum virtutis: ergo, neque charitas. Respondeo, concedo antecedens, *ex 7. Ethic. cap. 9. & lib. 2. Magnor. Moral. cap. 6.* & nego consequentiam: quia charitas est virtus per se infusa independenter physicè ab actibus: ita quod minimus gradus habitus charitatis continet in sua virtute omnes actus charitatis: secus verò virtus temperantiæ, & alia quæuis acquisita, & generata ex actibus. quæ eoipso, quod in virtute actuum repetitorium continetur, ad proportionem repetitionis actuum habet firmitatē. Vnde ex parua actuum repetitione virtus temperantiæ erit moderata, & imperfecta: & sic nō habebit statum virtutis: quia vt sic non est sufficiēter potens, reprimere omnes motus, & passiones contra insurgentes.

107 Dices: cum perfecta virtute, & cū perfecto virtutis statu non compatitur vitium, sed cum charitate remissa compatiūtur plures habitus vitiosi: ergo charitas remissa non habet statum virtutis. Respondeo primo: quod etiam cum intensissima charitate compatiūtur habitus vitiosi; & tamen secundū Caietanum, & Lorcam, intensissima charitas; habet statum virturis ergo status virtutis, non consistit in carentia habituum vitiosorum. Vnde respondeo secundo, distinguendo maiorē; non compatitur vitium morale concedo; non compatitur vitium physicum, sub distinguo quantū est ex parte status virtutis, admitto, quātum est ex parte subiecti, nego: & distinguo minorem, compatiuntur habitus physicè vitiosi, admitto moraliter vitiosi nego; & sic nego consequentiam.

108 Dices: Habitus remissus charitatis secum admittit inordinationem passionum: ergo remissa charitas non habet statum virtutis. Respondeo, quod etiam intensissima charitas potest stare cum inordinatione passionum: imò remissa charitas potest stare sine passionum inordinatione: ergo ad statum virtutis, per accidens est, passionum inordinatio, dum tamen virtus ex se, sit potens, illas passiones inordinatas reprimere, & circa sua obiecta delectabiliter, & firmiter operari, sicut est virtus per se infusa in quolibet gradu, maximè charitas.

109 Dico quarto. Virtus

charitatis est Theologica, specialis, & vnitate specifica athoma vna, & quoad substantiam supernaturalis. Quod sit Theologica patet ex *Scot. in 3. dist. 26. §. Ad quæstionem, vers. Et si obijciatur.* Quia respicit immediatè ipsum Deum, vt est in se bonus, pro obiecto motivo, & formali, & pro regula habet regulam humanorum actuum infusam: itēque per se infunditur à Deo, ita quod ab alio non possit infundi physicè, vt patebit *sect. 5.* (si fortè omnes istæ tres conditiones requirantur; quod sub dubio relinquit Scotus citatus, indicans fidem adquisitam diuinam, & similiter spem, & charitatē acquisitā posse dici virtutes Theologicas) ergo. Quod autē sit specialis, & distincta à reliquis, sufficienter patet ex dictis *opuscul. de fide, & spe.* Nam fides est in intellectu, spes in voluntate; illa circa summam veracitatem, & spes circa Beatitudinem completā, vt nobis bonam, versantur: charitas autem est in voluntate circa Deum, vt est in se bonus: item est principium actus amicitiæ; at verò spes cōcupiscentiæ: ergo est specialis virtus distincta ab alijs.

110 Quod autem sit vnitate specifica, & athoma vna ex eo probatur à nostris Neotericis Scotistis Vrbina, & Orozco in manuscriptis: quia charitas vnicam habet rationem formalem motivam. Sed contra: ergo spes, & charitas sunt vna virtus vnitatē specifica athoma: quia, secundū istos Scotistas, vtraque habent eamdem rationem formalem motivā: ergo ex eo quod habeat vnicam rationē formalē motivā, nō benè cōsequūtur, esse vnitate infima specifica vnam: aliàs charitas naturalis, & supernaturalis essent eiusdē speciei infimę.

111 Alij, vt Castillo *disp. 3. q. 3.* ex eo probant: quia est probabile, quod actus charitatis viæ, & actus charitatis Patriæ sunt eiusdem speciei. A nobis verò ex eo probanda est hæc conclusionis quarta pars: quia tam actus dilectionis proximi propter Deum, quàm dilectionis Dei propter se, siuè in via, siuè in Patria, nō differūt specie: ergo ab eodem specialissimo motivo oriūtur, & ab eadē virtute athoma vna. Neq; argumentū contra Orozco factū militat cōtra nos: quia in spe ponimus diuersum motivum formale, ac in charitate.

112 Quod tandē sit supernaturalis quoad substātiā, probat Scotus in prologo, & alijs in locis relatis à nobis *opus. de fide disp. 2. cap. 3. sect. 5.* Vnde minus benè loquti sunt *Torr. & Vazq. 1. p.* falso imponētes nostro Scoto negauisse, dari formas supernaturales secūdū substantiā. Nam habitus charitatis dicit intrinsecū ordinem ad agens supernaturaliter causativū super omnē ordinē naturæ creatæ, aut creabilis: ergo, &c.

Quid

Quid enim sit, agens esse supernaturaliter causativum? explicui loco citato de fide.

113 Dico quinto: virtutē hāc charitatis esse formā reliquarū virtutū. Ita cū Magistro *Scot. dist. 26. §. Quantū ad quartū S. Tho.* & alij Sācti PP. quos omnes sequūtur Scholastici. Est enim satis cōforme Scripturæ, vbi in multis locis charitas cōparatur animę, & vitæ respectu reliquarū virtutū: ex illo *Paul. Si linguis hominū loquar, &c. Charitatem autē, non habeam factus sum, velut æs sonans, aut, cimbalū tiniens, ad Cor. 13.* & alibi *sine charitate nihil sum, & Iacobus cap. 2.* dicit: *Sicut corpus sine anima mortuū est, ita fides sine operibus*, intelligē ex charitate, *mortua est, & Ioann. Qui non diligit manet in morte.*

114 Difficultas est: qualiter sit forma virtutū? nam aliqui, rigide nimis affirmant, quod phyſicè, sicut anima respectu corporis. Sed à nobis dicēdum est, esse formam aliarum virtutum moraliter: pro quāto ab ipsa reliquę virtutes ordinantur, vt actus earum acceptentur ad vitam æternam, & sint meritorij de cōdigno illius. Alij dixerunt, esse formam aliarū virtutum; pro quāto reliquæ virtutes imperantur, & subsunt imperio charitatis. Sed nullus explicat in quo consistat imperium istud: potius meo iudicio, confundunt omnes virtutes: nam aliqui eorum tenent, quod ipsa charitas potest imperari, & informari ab alijs virtutibus, scilicet à Religione, pœnitentia, &c. & sit quātum ad hoc nullam excellentiam specialem tribuunt charitati, quam nō habeant reliquæ virtutes.

115 Dicendum ergo est: hoc imperium cōsistere in eo, vt per motivum charitatis omnes virtutes ordinentur ad ipsum motivum, vt ad vltimum finē. Vnde vt sic ita proprium est charitati, esse formam reliquarū virtutum, quod nulli virtuti conueniat. Et sic isto modo ipsa charitas non potest informari, nec imperari ab aliqua alia virtute; sed ipsa se ipsa est formata, & directa. Qualiter autē intuitu meredis æternæ possim, diligere Deum, & intuitu satisfaciendi Deo, possim Deum diligere; iam dictum manet supra *cap. 2.* & videatur *Scot. in prolog. q. 3. & 1. & in 1. dist. 17. & in 4. dist. 14. q. 2. §. Ex hoc posset*, & pro tota doctrina huius sectionis videatur etiā *in 3. dist. 26. 27. & 31.*

Sectio. 4. *Qualiter habitus charitatis distinguatur ab habitu gratiæ?*

116 PRima opinio est Thomistarum asserentium esse duos habitus realiter diuersos. Ita *Medina, Caiet. Curiel, Valencia, Conrad. in 1. 2. super q. 210. artic. 3. & 4. D. Thom.* Sequitur

Sua-

Suarez etiam *lib. 6. de gratia cap.* 12. Sed negant id omnes nostri Scotistæ: quamuis diuisi sint. Quia quidam dicunt, non esse duas formalitates, sed vnam, & eamdem ex natura rei. Alij verò duas formalitates esse, dicunt ex natura rei distinctas. Et isti eorum aliqui dicunt, istas formalitates esse adæquatè distinctas. Alij solū inadęquatè distinctas dicunt, vel sicut prædicatum superius, & inferiùs, vel sicut essentia, & propria passio.

117 Sed dico breuiter primo contra Thomistas cum omnibus Scotistis: quod non sunt duo habitus realiter distincti, sed vnus, & idem habitus realis. Ita *Scot. in 2. dist. 26. §. Ideò, & dist. 29. & in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad solutionem huius, & §. Sed tunc est vlterius.* Sequuntur ex alijs *Durand. in 2. dist. 26.* tenens *num. 8.* solum numero differre. Ibi *Maior. quæst. 1. Ægid. disp. 21. dub. 7. Bellarmin. de gratia cap. 7. Vazquez 1. 2. disp. 198. cap. 3.* docuit *N. Alēsis 3. p. q. 69. memb. 2. ar. 4.*

118 Ratio sumitur primo ex *Trident. sess. 6. can. 11.* vbi ait, nostram iustificationem, non fieri sola remissione peccatorum exclusa gratia, & charitate, *quæ per Spiritum Sanctum diffunditur*: si enim essent duo habitus realiter distincti debebat dicere, *quæ per Spiritum Sanctum diffundūtur*: ergo si solum dicit *diffunditur*, vnus, & idem realis habitus est gratia, & charitas. Quod confirmatur; nam idem *Concil. cap. 7.* docens vnicam esse causam formalem nostræ iustificationis nobis inhærentem, docet, talem esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quam appellat charitatem diffusam in cordibus eorum, qui iustificantur: ergo secundum Tridentinum idē realiter sunt charitas, & gratia.

119 Confirmatur secundo de menti Scoti. Quia nulla est necessitas distinguēdi duos habitus realiter: ergo vnus tantum realis est. Probatur antecedens: quia necessitas, quæ potest cogere ad talem distinctionē, est, quam assignant Thomistæ: videlicet, quod gratia est principium essendi, & charitas principium operandi; sed stat optimè, quod vna, & eadem res realis sit principium essendi, & operādi: nam eadem anima est principium, quo primo viuimus, sumus & mouemur: item color est principium essendi coloratū, & principium videndi: & calor est principium formale essendi calidum, & operandi calorem: & similiter fides, spes, & omnes aliæ virtutes sunt principia essendi, & operandi: ergo impertinenter distinguuntur, & superfluè, & sine fundamento charitas, & gratia.

120 Respondent Thomistæ: hoc nostrum argumentum con-

cõcludere euidẽter in principijs essendi accidentaliter; non verò in principijs essendi substantialiter. Sed insufficiens est ista solutio; vt patet in exemplo adducto de anima rationali. Secũdo: quia forma ignis est principium essendi, & igne faciendi: & idem de omnibus alijs formis substãtialibus. Tertio: quia gratia non est forma substantialis, nec substantiale principium: ergo euidenter solutio Thomistarum est insufficiens; nam omnia, quæ possunt respondere, nõ sunt rationi consentanea.

121 Tertio confirmatur nostra sententia ex scriptura, & Patribus; à quibus nullum munus tribuitur gratiæ, quod non tribuatur charitati: ergo sine fundamento distinguuntur. Probo antecedens: quoniam si gratia facit homines consortes diuinæ naturæ, & eius participes, & cõstituit Filios Dei, etiam hoc facit charitas ex 1. *Ioann. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & simus.* Et si gratiæ tribuatur, quod reddit hominem gratum Deo, etiam tribuitur charitati ex *Ioann. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Et si gratia dicatur vita animæ, etiam dicitur charitas, ex 1. *Ioann. 3. In hoc cognoscimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Deum.* Et si per gratiam habitualem Deo coniungimur, & iusti redimur, etiam per charitatem; ex 1. *Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum,* & 1. *Ioann. 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ac tandem, si gratia est fons, & origo virtutum, & omniũ forma, similiter charitas; ex 1. *ad Corinth. 3. Charitas patiens est, benigna, non emulatur, non agit perperã, &c.* In quibus omnibus cõueniunt manifestè Sancti Patres, præcipuè *Augustinus lib. de natura, & gratia, cap. 42* vbi docet, quod *Charitas est plenissima, perfectissimaque iustitia, & Dionysius de diuinis nominibus, cap. 12.* vbi docet, quod *charitas est sanctitas ab omni scelere libera, & omnino perfecta, & puritas immaculata omni ex parte*: legantur *Lorca 1.2. sect. 6. disp. 16. & Torres opusc. 3. disp. 1. dub. 5. n. 27.*

122 Sed obijciunt Thomistæ primo: quod gratia est participatio diuinæ naturæ, & non charitas. Respondeo, quod charitatis actus, est participatio dilectionis Dei: habitualis verò charitas, est participatio infinitæ bonitatis Dei in omni genere, & naturæ diuinę, sicut gratia, vt patet ex locis relatis. Obijciũt secundo: quod gratia subiectatur in anima, & charitas in voluntate: ergo sunt duo habitus reales. Respondeo, quod ex hoc non probatur distinctio realis, quia sicut anima, & voluntas distinguũtur formaliter, & sunt

vna

vna res, ita sufficit quod charitas, & gratia distinguantur formaliter, & sicut essentia, & passio, vel secundum prædicatum superius, & inferius. Ita respondent aliqui Scotistæ probabilissimè. Alij verò negãt, quod gratia subiectatur immediatè in anima, & hoc tenentur fateri, etiam Thomistæ, qui affirmant, gratiam, & peccatum esse opposita, peccatum autem est immediatè in voluntate: ergo etiam gratia. Obijciunt tertio, quod *Trident. sess. 6. cap. 7.* docet iustificationem fieri per voluntariã susceptionem gratiæ, & donorum: quod approbauerat anteà in *Vienensi Clemens V. in clement. 11. de summa Trinitate, &c.* ergo Concilia, & Clemens condistinguunt gratiam à donis supernaturalibus, quæ infunduntur in iustificatione: ergo sicut habitus fidei, & spei distinguuntur à gratia, ita charitas. Respodeo, quod Concilium intelligit per susceptionẽ gratiæ, susceptionem charitatis, & per susceptionem donorum reliqua dona: nisi fortè dicamus, quòd per susceptionem gratiæ, & donorum intelligatur idem; nam reliqua dona, etiam sunt gratia: Tamen nomen gratiæ, appropriatur charitati, & formæ sanctificanti, propter excellentiam eius charitatis.

123 Dico secundo: quod habitus virtutis Theologicæ supernaturalis quoad substantiam, nullo modo distinguitur formaliter ab habitu gratiæ (quidquid sit an charitas, prout abstrahit à creata, & increata, à supernaturali, & naturali, distinguatur formaliter à gratia: in hoc enim sensu accipiendo charitatem, fateor distingui formaliter, secundum conceptum inadæquatum charitatis; sicut animalitas distinguitur ab humanitate. Verum in præsenti, non est quæstio de conceptu charitatis præcisissimo, sed de ipsa charitate creata supernaturali secundum conceptum completum eius.) hæc conclusio meo videri est expressa in *Scoto in 2. dist. 27. §. Ideò*, vbi ait: *Quod gratia formaliter est virtus, quæ est charitas*: idque etiam demonstrant argumenta conclusione præcedenti posita: est enim semper vera ista conuersio, est gratia: ergo charitas creata supernaturalis, & è contra, est charitas supernaturalis habitualis creata: ergo est gratia. Vnde sumitur ratio à priori, quia illud distingui tur ex natura rei formaliter ab alio, quod cũ aliàs sit vna res cũ illo, formaliter tamen in suo cõceptu formali, non includit illud in primo modo dicendi per se: sed conceptus completus adæquatus charitatis, includit conceptũ gratiæ, & similiter, conceptus gratiæ includit conceptum charitatis, ita quod nihil includat gra-

gratia in suo conceptu formali, quod non includat charitas, & è contra: ergo non distinguũtur formaliter: minorẽ probo; quia ea, quæ gratia in suo conceptu formali includit, est esse participationem diuinæ naturæ, decorem spiritualem animæ, constituentem eam Deo charam, præstando ipsi animi dignitatem, & acceptabilitatem ad perfectissimam Beatitudinem, per correspondentiam meriti ad præmiũ, & alia, quæ in præcedenti conclusione relinquuntur dicta, sed omnia hęc etiam includit in suo cõceptu formali virtus charitatis creata limitata quoad substãtiam supernaturalis, & per se infusa: ergo. Probatur minor: quia charitas infusa per se, est per quã Deus manet in nobis, & nos in Deo; est enim immaculata puritas ab omni scelere libera, & omnino perfecta: ergo est participatio diuinæ essentiæ, & naturæ, estque participatio diuini flamminis, & sic decor animæ cõstituitque hominem Deo charum, nam; *Deus diligẽtes se diligit. Prouerb.* 8. ac tandem præstat dignitatem in ordine ad Beatitudinẽ per correspondentiam meriti ad præmium: ergo, &c.

124 Dices: quod gratia est principium essendi, & charitas principium operandi: ergo distinguuntur formaliter. Respõdeo, quod conceptus formalis charitatis completus vtrumque includit loquendo de charitate per se infusa, & similiter cõceptus adæquatus gratiæ habitualis includit formaliter esse principium essendi, & operandi, sicut habitus fidei in suo conceptu formali completo, includit esse principium, essendi, & operandi. Dices: quod charitas est illud, quo quis potest, Deum diligere; gratiæ verò habitualis, non includit hoc. Respondetur, quod gratia habitualis includit in suo conceptu completo esse id, quo quis potest, Deum diligere.

125 Obijcit *Tartaretus in 2. distinct. 27. & Rada 2. part. controuersia 14. articul. conclusio. 2.* (tenentes distingui formaliter, sicut superius, & inferius) *Scotum in 2. distinction. 27. §. Ideò*, vbi charitatis, & gratiæ formalitates comparat, sicut sapientię; vt sic, & sapientiæ limitatæ: sed ista distinguuntur formaliter, sicut superius, & inferius: ergo. Et confirmatur: quia benè valet; est gratia: ergo charitas; non verò è contra: ergo. Respondeo, quod Scotus non est contra nos ibi: quia loquitur de charitate, prout abstrahit à charitate illimitata, & limitata: & sic fatemur, distingui charitatem à gratia: tamen, quia charitas limitata, infusa, non distinguitur formaliter à se ipsa, & hæc est gratia, vt inquit Scotus; ideò primum argumentum non est ad rem, & ad confirmationem negatur,

non

nonvalere, est charitas limitata infusa: ergo gratia, & è contra.

126 Obijciunt alij Scotistæ (tenentes distingui formaliter, vt essentia, & passio) gratia, est participatio diuinæ naturæ: charitas verò, est participatio charitatis diuinæ, quæ est proprietas diuinæ naturæ: ergo distinguuntur formaliter, vt essentia, & passio. Respondeo: distinguo antecedens; gratia est participatio naturæ diuinæ, & charitas est participatio charitatis diuinæ radicalis, & per modum principij, concedo: charitatis diuinæ per modum actus secundi, nego: & sic nego consequentiam. Nam esse participationem diuinæ charitatis, per modum principij, & actus primi est, esse participationem diuinæ naturæ, & essentiæ. Vnde, nõ placet solutio *Castilli* ad præfatum argumentum, *disp. 3. q. 5. num.* 18. dicentis: quod licèt charitas, sit participatio diuinæ charitatis; quia tamen diuina charitas identificatur realiter, cum diuina natura; ideò non distinguitur charitas à gratia: hæc, inquam, solutio, non placet, neque est apta: quia destruit totam doctrinam distinctionis formalis: nam ex eo, nec natura diuina distingueretur formaliter ab attributis, nec attributa inter se: quoniam identificantur realiter cum diuina natura.

127 Obijciunt alij Scotistæ Recentiores (in manuscriptis cum *Liqueto in 2. dist. 27.* dicentes: distingui virtualiter à parte rei) *Scotum dist. 27. in 2. & in Report. quæst. 1. §. Dico*, dicentem: quòd licèt charitas, & gratia sint eadem res, hæc tamen est diuersimodè concepta. Respõdeo: quòd ex hoc nõ arguitur, nec virtualis distinctio, sumpto charitatis conceptu cõpletè, sed solũ arguitur distinctio in solo nomine: quare quæstio ista mihi magis videtur de nomine, quã de re: nam si benè perpendantur sensus, in quibus loquuntur Scotistæ nullus alteri contrariatur meo videri: nam aliqui loquũtur de charitate in communi, & alij loquunturde charitatis conceptu contracto: & iste est proprius modus loquendi præsentis difficultatis

128 Sed obijciunt ex *Scot. in 2. distinct. 27. §. Ideò, verficul. Sed ex hoc videtur sequi.* Charitas in suo conceptu formali est perfectio simpliciter simplex; gratia verò non est ita: aliàs cõpeteret Deo gratia: ergo gratia, & charitas distinguuntur formaliter. Et confirmatur ex eodem *Scoto* ibi, *verficul. Respondeo.* Nam charitas dicitur, quia habens illam respicit Deum charum, ideſt, non in ratione diligentis, sed in ratione diligibilis: gratia verò est, qua Deus habet aliquem gratum: ita quod ipsa respicit Deum ac-

acceptantem, siuè diligentem, non autem dilectum, sed ista sunt distincta formaliter: ergo gratia, & charitas formaliter distinguuntur.

129 Respondeo quòd Scotus ibi comparat conceptum charitatis, prout abstrahit à charitate limitata, & illimitata, nō verò loquitur de charitatis conceptu, limitatæ, & infusæ completo: qui quidem conceptus est perfectio simpliciter simplex limitata, & sic etiam gratia est conceptus, & perfectio simpliciter simplex non illimitata: & ita non est mirum, quod non competat Deo conceptus formalis gratiæ, sicut neque conceptus charitatis infusæ, & limitatę Deo competit.

130 Ad confirmationem respondeo: quòd conceptus charitatis abstractus à charitate creata, & increata solum est, respicere Deum, vt diligibilem: tamen secundum conceptum charitatis, de qua hic, scilicet, charitatis contractæ ad esse infusæ, & limitatæ, eodem formaliter, quo respicimus Deum, vt diligibilem, eodem formaliter, respicimus Deum, vt diligentem: quia per infusionem charitatis, ipsa charitas respicit Deum, vt diligentem nos, & vt à nobis diligibilem; & vterque iste conceptus completè includitur in charitate limitata, & in gratia.

Sectio. 5. *Vtrùm aliqua creatura possit physicè, influere in habitum charitatis?*

131 SVppono ex dictis *opusculo de Sacramentis in genere, opusculo de Baptismo, & opusculo de pœnitent. Sacrament. atque de Eucharist.* Sacramenta, esse instrumenta moralia gratiæ; & sic charitatis. Suppono etiam quæstionem procedere de potentia absoluta: nam de facto, omnes fatentur, à solo Deo, in genere causæ efficientis, physicè causari, vt definit *Trid. sess. 6. cap. 7. de iustificat.* Suppono item: quęstionem procedere, non solum de causa principali, sed etiā de causa instrumentali. Et loquendo de causa instrumentali, non solum de facto, sed etiam de possibili; etiamque procedit quæstio de causa materiali eductiua. Suppono prætereà; istam difficultatem breuiter esse resoluendam: quia de ea latè diximus opuscul. de Sacramentis in genere, vbi varios modos dicendi inculcauimus, & cum suis fundamentis refutauimus. Nam communiter Thomistæ defendunt, dari causam physicā materialē: quia dicunt; gratiā, seu charitatē, nō creari, sed educi de potētia animæ, aut volūtatis. Alij dicūt; dari causas physicas instrumētales de facto, vt sunt Sacramēta. Alij non defuere, qui dixerint pos-

ci-

esse causas principales gratiæ, vt ibi *opusc. de Sacramentis in genere* notaui cum Suario. Vnde quidam ex nostris non bene dicit, quod nullus dixit, de possibili posse aliquã creaturam physicè principaliter causare charitatẽ.

132 Breuiter igitur à nobis dicendum est; quod implicat, aliquam creaturam physicè influere, neque efficienter, adhuc, vt instrumentum; nec vt causa materialis in charitatem. Hæc conclusio probatur breuiter vnico fundamento Scoti) in multis suę doctrinæ locis, quæ *opuscu. de Sacramentis in genere* retuli; sed videatur *in* 1 *dist.* 17. *q.* 3. *& vltima*, aliàs 22. *& in* 4. *dist.* 1. *q.* 4. *&* 5. *&* *q.* 1. quem patrocinantur *Alensis*, *D. Bonauentur. Albertus Mag. Durand. Ferrara, Ricard. Nominales*, *& OKam*, & sequuntur omnes Scotistæ) quoniam charitas, solum potest produci per creationem, sed quod creari petit, ita quod per alium influxum non possit causari, implicat ab efficienti creato, adhuc instrumentaliter physicè attingi, neque ab aliqua causa materiali educi: ergo, &c. Consequentia benè infertur; minor, non potest negari: nam solius Dei est creari (solus enim *Scotus* vertit in dubium in 4. *dist.* 1. *q.* 1. & resoluit cum omnibus, esse verum) maiorem, in qua tota difficultas cõsistit ostẽdo clarè. Primo. Quia non foret quoad substantiam supernatura-

lis. Secundo: quia non foret per se infusus: ergo creatur. Tertio: quia non foret gratia, sed contineretur intra limites potentiæ naturalis, & sic foret naturalis, & supernaturalis, gratia, & non gratia, qui termini sunt repugnantes: ergo à nulla virtute creata potest influxu physico, siuè principali, siuè instrumentali efficienti, siuè materiali attingi. Videantur dicta *opusc. de Sacram. in genere*, quia propterea satis breuiter istam difficultatẽ percurro.

133 Sed obijcies primo. Aliquæ formæ de potentia absoluta creantur, cum tamen poscant educi, & à causis secundis produci: ergo à contrario, formæ, quæ petunt creari, possunt de potentia absoluta educi, & à causis secundis produci. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est: quia de ratione formali, & essentiali creationis est excludere consortium causæ secũdæ; quia nulla creatura potest continere in sua virtute terminum creationis, qui de non esse simpliciter ad esse simpliciter trã sit: & sic licèt forma, quæ de facto educi potest, possit creari, id est à solo Deo produci; non tamẽ forma, quæ ex natura rei, & ex intrinsecis petit creari potest, educi: quia est implicatio, quod aliquis effectus in virtute causæ contineatur, & non contineatur, quod sequeretur, si educi potuisset.

Obij-

134 Obijcies secundo. Charitas est accidens: ergo de sua intrinseca proprietate petit inhærere, & dependere à subiecto, sed hoc est educi: ergo. Respondeo distinguo consequens primum: petit inhærere quoad præstandũ suum effectum, & quoad operari, concedo: quantum ad esse, & existere, nego; & hoc est educi, non verò illud. Instabis: non potest esse, quin det effectũ, & operetur, sed quoad operari dependet à subiecto: ergo quoad esse, & existere. Respondeo permittendo maiorem, & distinguo minorem; pendet à subiecto, vt ex quo (quod requiritur ad educi) nego, vt in quo transeat; & nego consequentiam: quia dependentia alicuius ab alio, quoad esse, & existere, est dependentia *à quo*, vel *ex quo*: & ita solum est dependentia in *quo*. Est enim ista dependentia similis dependentiæ ad causam finalem; nam esse est medium ad operandum, & media sunt prius, quam finis; & sic licet operari horum habituum pendeat à subiecto, cum operari præsupponat in esse existẽtiæ habitum charitatis, non sequitur, quod dependeat in esse ab anima, vel à volutate, sed solum in operari.

135 Dices: Creatio est productio rei subsistentis, sed charitas non est ens subsistens: ergo. Respõdeo, quòd creatio est productio rei subsistentis, id est independentis à subiecto, vt ex quo, non verò subsistentis subsistentia cõstitutiua supposíti. Dices: vnio hypostatica eleuat supra totum esse naturæ, & tamen non creatur, sed educitur de potentia humanitatis Christi: ergo charitas multo magis: quòd educatur vnio, probatur: quia ista vnio est relatio, sed relatio dependet in suo esse ab extremis: ergo. Ad hoc argumentum quidam recẽtior Orozco ex nostris, respondet, cõcedẽdo quòd vnio hypostatica educatur: quia cum sit relatio, in suo esse pendet essentialiter ab extremis in sui productione: probabiliter tamẽ ait, posse dici, quòd vnio creatur, quia est relatio extrinsecus adueniens, & sic non resultans ex natura extremorum, sed solum à Deo, & tota Trinitate producitur. Sed certè N. Scotista fallitur, dicendo probabiliter hoc posse dici, cum hoc sit de mente Scoti, & aliud, in sua doctrina sustineri non potest; nam cum sit relatio extrinsecus adueniens, solum in actuali exercitio referendi dependet ab extremis, vt *ad quos*, non verò vt *ex quibus*: maximè respectu humanitatis Christi; nam respectu Verbi, omnino extrinsecè se habet. Vide alia in 1. *Physicor. disp.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 4.

Sect. 6. *Vtrùm habitus Charitatis, possit augmentum, & diminutionem admittere?*

136 LOquimur in præsenti de augmento, & diminutione quoad intensionem, non verò extensiuè: quia augmentū extēsiuum, non est aliquid infusum formaliter, sed idem habitus, prout de nouo tendit in vnū obiectum materiale, & novum propter nouam respiciētiam ad illud. Item in præsenti, non disputamus; an intensio charitatis fiat per additionem gradus ad gradum, vel per additionē noui gradus perfectioris destruentis gradum præexistentem, vel an fiat per gradus similes, vel dissimiles, vel per maiorē radicationem in subiecto: quia istæ quæstionis sunt satis communes omnibus qualitatibus; & sic de charitate dicendum venit idem, quod dictum à nobis fuit *in libris de generatione*. Item suppono, nos non tractare de augmento charitatis ex opere operato: quia de hoc satis diximus *opuscul. de Sacramentis in genere de Pœnitentia, de Baptismo, & Eucharistia*. Quærimus ergo in præsenti de augmento ex opere operantis, & similiter de diminutione: quod per varias subsectiones clarius perlustrabimus.

Prima subsectio. *Vtrùm habitus Charitatis augeatur actibus remissioribus, vel æqualibus?*

137 SVpponitur in præsenti contra Iouinianum, Lutherum, & alios hæreticos (dicentes, quod omnes iusti in hac vita sunt æqualiter sancti, & negantes, quod charitas possit augeri in hac vita) ex Scriptura, Patribus, & Concilijs (quæ refert *Vega lib. 11. super Tridentinum cap. 2. & 3. & Belarm. 3. de iustificat. cap. 16.*) quod charitas habitualis possit augeri verè, & propriè in hac vita. Supponitur secundo, quod istud augmentū, & hæc intensio, non prouenit ex opere operātis physicè, sed moraliter) & vt à causa meritoria, quæ ex pacto & acceptatione diuina habet inducere ipsum Deū, vt physicè det augmētum, vel incrementum charitatis. Similiter suppono cum omnibus, quod habitus charitatis intenditur per actus intensiores ipso habitu. Difficultas est, an intēdatur per actus remissos, vel æquales.

138 Circa quod *Magister Lorca disp. 16. memb. 1.* & alij inter quos Pater *Castillo disp. 3. q. 7. part. 1.* citant aliquos Authores, quasi asseruerint, habitum infusum charitatis, non augeri actibus remissis, vel æqualibus, & quod soli actus intensiores sint meritorij augmenti gratiæ, & cha-

charitatis, nõ verò actus remissi, vel æquales. Ita censent docuisse *D Thom. in 1. distinct. 17. quæst. 1. artic. 3. ad 2. D. Bonauentura in 2. dist. 30. art. 2. quæst. 3 ad 2. Durandum in 1. dist. 17. quæst. 8 & Altisiodorum.* Cæterum ego existimo, quod isti Doctores solum voluerunt, vt habitus infusus charitatis, non augeatur statim; & pro tanto dixerũt, non mereri augmentum, quatenus statim, non conferebatur; nõ verò, quia absolutè negent rationem meriti illis actibus remissis.

139 Sed quidquid sit de hoc; à nobis tenẽdum est primo. Quod quilibet actus charitatis, siuè elicitus, siuè imperatus intensus sit æqualis, vel remissus, elicitus in gratia ex auxilio; & liberè, est meritorius de condigno gratiæ, & gloriæ, & augmentum gratiæ: & consequenter habitus charitatis, in habente illum, augetur per actus charitatis remissos. Ita expressè *Scot. in 4. dist. 21. q. 1. §. In ista quæstione, versic. Istud est probabile, & dist. 22. §. De secundo articulo, versic. Hæc via tenens.* Docet *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 6.* & sic interpretandus est *Sanct. Bonauentura*, tenent *Nominales, Gabriel, Maior, Ricardus, Almaynus*, & sequuntur *Vazquez 1. 2. disput. 220. Suarez lib. de gratia 9. cap. 5. Lorca 2. 2. disp. 16.* & alij Recentiores.

140 Probatur hæc conclusio. Quia Patres, & Concilia, præcipuè *Tridentin. sessio. 6. can. 32.* agens de merito gloriæ, & augmento gratiæ, indistinctè loquitur, nullam assignans differentiam inter actus remissos, & intensos. Patres enim, & Concilia solum exigunt, quod actus sint boni, à charitate procedentes, & gratia, placentes Deo, quibus præcepta diuina impleamus, sed istæ conditiones conueniunt actibus, quãtumcunque remissis: ergo sine sufficienti fundamento rationem meriti auferunt aliqui ab istis actibus.

141 Et si dicatur, actus esse meritorios, sed non augmenti gratiæ, aut charitatis, sed gratiæ, & charitatis præexistentis. Contra est: quia meritum est novum: ergo etiam apud Deum præmium novum, & distinctum est: maximè cum Deus non citra, sed vltra condignum præmiet. Præterea, quia *Tridentin.* definit anathema esse, qui dixerit; non verè mereri augmentum gratiæ bonis operibus. Nec benè dixisset *Psalm. 62. & Paul. ad Roman. 2. Marcus cap. 9. & Matthæus 20.* quod Deus reddet vnicuique secundum opera sua; vt qui dederit calicem aquæ, quod opus est minimum, & remissum imperatum à charitate: ergo, &c. Ex oppositio enim sequeretur maxima iniustitia in Deo in retributione præmiorũ:

nam idē opus meritorium, quod in homine magis iusto foret remissum, in eo non esset meritorium, & foret in homine minus iusto; & ita peioris conditionis esset homo magis iustus, quam homo minus iustus; sed hoc mens non benè capit: ergo operibus remissis, & æqualis meremur augmentum charitatis.

142 Sed pro contraria opinione, cuiuscumque sit, oppones. Habitus acquisiti, non augentur actibus remissis, neque æqualibus: quia dissimile, no agit indissimile, nec in omnino sibi simile: ergo pariter habitus infusus, non debet augeri per actus similes, vel dissimiles remissos. Et confirmatur: quia qui remissè diligit, negligenter vtitur talento, & dono gratiæ: nam talis reprehensione est dignus, ex *Matth.* 25. ergo non meretur. Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia actus charitatis, non influunt physicè, sed moraliter, ex acceptatione, & ordinatione diuina: & sic non augetur habitus charitatis, à proportione maioris inæqualitatis physica, sed à proportione maioris inæqualitatis morali, quæ reperitur in quolibet opere charitatis, elicito in gratia ex promissione diuina nobis manifestata, per authoritates præallatas. Ad confirmationem dico, non esse ad rem: quia *Matth.* 25. & in alijs similibus locis, non agitur de actibus remissis, ex omissione, vel vt ita dicam, ex inculpabili negligentia, sed de remissione ex negligentia culpabili, quia non fit, quod fieri præcipitur: & non est præceptum operandi intēsè.

143 Dico secundo: Quod augmentum istud gratiæ, id est charitatis habitualis, per actus eius remissos, vel æquales, datur statim. Ita *Suarez opuscul. de remissione meritorum, disp.* 2. *Lorca* 2. 2. *sect.* 3. *disput.* 16. *membr.* 2. *num.* 10. *Vazquez* 1. 2. *disp.* 220. ex *Nominalibus. Maior, Gabriel,* & alijs, ex Scotistis, aliqui in manu scriptis *Orozco*, & sequitur *Castillo* in suo *tom. de fide, spe, & charitate, disput.* 3 *quæst.* 7. *part.* 2. Scotus autem circa hoc est nimis difficilis.

144 Probat Lorca nostram conclusionem primo. Quia homo per actus remissos est magis acceptus ad gloriam: ergo habet plus gratiæ, & charitatis: quia non potest esse magis acceptus ad gloriam, quam habeat gratiam. Sed hoc argumentum non est efficax: quia ille homo, quī ante peccatum habebat maximam gratiam, & postea resurrexit à peccato, per actum dilectionis, solum illi statim datur physicè gratia, & charitas, secūdum proportionē actus, & tamē in acceptatione diuina est magis acceptus ad gloriam, quā habeat gratiā physicè, licet nō sit magis ac-

acceptus ad gloriam, quam habeat gratiam moraliter, & in acceptatione diuina.

145 Quare ex nostris Scotistis Pater Castillo præiactam assertionem sic probat. Quia si homo existat in gratia, seu charitate intensa, & suscipiat Sacramentum cum attritione, vel cū actu charitatis remisso, eo ipso suscipit gratiam iuxta dispositionem suscipientis: ergo charitatis augmentum, datur statim actibus remissis. Et confirmat. Quia actus remissus est meritorius de condigno gratiæ: ergo statim debet dari. Et si dicatur, gradus esse dissimiles, cum præexistentibus, hoc falsum est; quia sunt eiusdem rationis, & speciei qualitatis, prout dicitur *tract. de generatione.*

146 Cęterum istæ rationes, non satis firmiter, veritatem nostræ conclusionis conuincunt. Quia potest responderi ad primum: quod Sacramenta causant charitatem ex opere operato; & sic sufficit, quælibet dispositio, dum non ponatur obex. Sed cōtra: quia etiam actus meritorius remissus quantum est ex ea parte, qua habent, Sacramenta causare, ex opere operato, etiam causat ex opere operato: nam eatenus Sacramenta causant ex opere operato, propter promissionem diuinam, institutionem, pactum, & acceptationem, sed hoc etiam habet quodlibet opus ex charitate factum: ergo statim datur augmentum. Ad secundū autem potest responderi, quod etiam opus charitatis intensum est meritorium de cōdigno gloriæ, & tamen gloria statim non datur: ergo similiter stare potest, quod sit opus remissum meritorium de condigno gratiæ, & quod gratia statim non detur. Sed contra: quia quodlibet opus remissum charitatis, vltra rationem meriti de condigno, habet, esse vltimam dispositionem, & proximam ad formam iustificātem in hac vita, quod non habet meritum omne respectu gloriæ ex Dei institutione: & sic, cum fiat violentia vltimæ dispositioni, nō ponere formam ad quam disponit, ita Deus faceret violentiam, non augendo charitatem statim, ac ponitur vltima dispositio, qualis est, quilibet actus charitatis remissus.

147 Quod cōfirmatur, meo iudicio, efficacissimè. Nam si homo foret peccator, & eliceret actum charitatis intensum, vt vnum, statim delerentur omnia peccata, & iustificaretur per habitum charitatis ad proportionem meriti: ergo multo magis, si homo esset in gratia secundùm septem gradus, & eliceret actum charitatis, vt vnum: iustificaretur magis, & amplius, crescereturque intenderetur, seu augeretur præexistens charitas: non enim est peioris conditionis

homo iustus: ergo si iniustus accipit gratiam, etiam iustus, non est priuandus augmento.

148 Hæc enim doctrina est mens *Tridentini sess. 6. cap. 10. ex Psalm. 83. ex 2. ad Corinth. 4. ad Colossens. 3. ad Roman. 6. Apocalips. vltim. Ecclesiast. 18. & Iacob 2.* vbi dicitur: *Iustos amicos Dei, & domesticos eius, euntes de virtute in virtutem, renouari de die in diem; hoc est mortificando membra carnis suæ, exhibendo arma iustitiæ in sanctificationem, per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt, atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Et iterum: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Et rursus: *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum,* &c. Quod iustitiæ incrementū petit Sancta Ecclesia, cum orat: *Da nobis, Domine, fidei, & spei, & charitatis augmentum.*

149 Quæ verba clariora sunt pro nostra conclusione, quā ponderatione, aut explicatione indigeant. Quis enim neget, quòd per opus charitatis remissum erga proximum, adimpleri charitatis præceptum: sed per obseruationem mandatorū, ait Concilium, Iustus crescit, & magis iustificatur: ergo. Vnde idē *Concilium can. 24.* decernit: *Si quis dixerit, iustitiam acceptam, non cōseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis* (hoc enim, meo videri, dicit opposita sententia) *adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.*

150 Veh hominibus iustis, & iustioribus, qui infelices forent magis, quam homines peccatores: siquidem illi ad consequendā iustitiā sufficit eis actus remissus, & illi ad consequendū augmentū debent elicere actus intensos ad proportionē intensionis suæ charitatis, & habitualis gratiæ; quod non videtur cōsentaneum rationi. Nam quis audiuit apud Deum talem iustitiam cōmutatiuam, quòd peccatori elicienti actum dilectionis, vt vnum detur charitas, vt vnum, non obstante, quòd ille actus non sit meritorius de condigno talis gradus; & quod iusto habenti gratiam, & charitatem, vt sex, elicienti dilectionem, vt vnum, non detur illi gratia, & charitas, vt vnum, quæ augeat gratiam præexistentem ad septem; cum talis actus sit meritorius de condigno, vt vltima dispositio ad illum gradum. Tandem, quia omnia obstacula, quæ opposita sententia adducit, ad hoc, vt non detur statim, etiam militant in futuro tempore, vel in alia vita: ergo vel nunquam datur augmentum, vel friuolè sunt rationes, propter quas negat dari statim.

Sed

151 Sed obijciunt Thomistæ, quibus subscripsere aliqui, & nō pauci Scotistæ in manuscriptis. Primo: quia habitus acquisitus, non augetur actibus remissis, nec æqualibus: ergo neque habitus infusus. Sed ad hoc, iam supra dixi *num.* 142. Nunc autē respōdeo secundo negando antecedens: nā per actus remissos, redimur faciliores. Illud enim proloquium. Actio debet esse à proportione maioris inæqualitatis, intelligitur, quando actio est inter contraria, & non semper acquiritur habitus, cū oppositione, & contrarietate. Secundo respondeo, permitto antecedens, & nego consequentiam: nam in eo consistit gratia, quæ potentior est ipsa natura: in naturalibus enim à proportione minoris inæqualitatis, & virtutis, non est actio: at verò in supernaturalibus, vt sit actio, sufficit proportio meriti ad præmium, quæ proportio, semper reperitur in quolibet actu charitatis remississimo. Alia argumenta sunt paruimomenti, & sic nolo ea scribere.

152 Solum addam contra nos *Scotum in 4 dist. 21. q. 1. §. In ista quæstione, vers. Istud est probabile in alijs*: vbi dicit Doctor: *Non semper Deus post quemcumque actū meritorium auget gratiam proportionatam*: & subiungit immediatè: *Meritò videtur, quòd augmentum debitum, meritis remissis reseruet Deus vsque ad instans mortis: & dist. 22. q. vnic. §. De secundo articulo, vers. Nec à Deo*: vbi ait: *Quod, per opus remissum, non augetur gratia.*

153 Cæterum ex istis locis, minimè posse Scotum citari in fauorē oppositæ sententiæ, manifestum est. Quia Scotus ibi loquitur, nō de augmento gratiæ, quomodo nos loquimur in præsenti, ex præsuppositō, & præexistenti habitu gratiæ, seu charitatis, & de gradu de nouo aduenienti; sed loquitur Scotus de augmento, & gradu gratiæ de nouo aduenientī (quē sibi correspondere) & ex gratia quæ non est, sed præfuit ante peccatum. Et sic dicit Scotus, quòd per meritū remissum, seu per opus remissum nō augetur gratia, aut charitas: non verò loquitur absolutè. Et sic falluntur Scotistæ, & Thomistæ, adducentes pro se Scotum. Vnde nec nos hic contrariamur cum dictis *Opusc. de Sacramento Pœnitentiæ, disput. 3. cap. 4. sect. 2.* ibi cum Scoto, & Scotistis, diximus, quod in peccatore solum physicè datur gratia ad proportionem dispositionis, & operis meritorij; & quod nō datur statim tota gratia, quæ præfuit ante peccatum, sed reseruatur in acceptatione diuina, vsque ad primum instans separationis animæ.

154 Vnde dico tertio. Quòd actus charitatis habitu infuso in-

tensior, auget habitum, & intēdit, secundùm totam suam intensiuam latitudinem, & non tantū secundùm excessum, v. g. si habitus sit, vt duo, & actus charitatis, vt quatuor, habitus euadet intensus, vt sex. Ita omnes Authores relati: & *Vazquez* citatus *cap.* 9. Fundamentum liquidò constat ex dictis: nam si statim datur augmentum actibus remissis: ergo statim datur actibus intēsis secundùm totam suam latitudinem meritoriam intensiuam: ergo si est meritorius, vt quatuor, & habitus est vt duo, habitus euadet intensus, vt sex.

Secunda subsectio. *Vtrùm ex lege Dei habituī infuso charitatis, aliquis terminus, sit præfixus?*

155 NOtanter diximus ex ordinatione diuina: quoniam ex natura rei loquendo, philosophandum est de charitate, sicut diximus de alijs qualitatibus 1. *lib. Physicor. disput.* 4. *q.* 6. scilicet, habere terminum præfixum, & maximum, *quod sic*; ita quod in maiori non possit esse: quia implicat creaturam esse in aliquo genere infinitè perfectā: nam foret creatura, & non foret creatura, quod euidentem contradictionis repugnātiam dicit. Vnde in hoc puncto non est immorandum; quia ibi satis diffusè de hoc egimus, & *Opuscul. de Incarnat. disp.* 2. *cap.* 1. *sect.* 3. *&* 4. Aliquantulum tamen claritatis gratia detinebimur, vt breuitèr huius sectionis totam difficultatem percurramus, ne vobis sciētibus fiat onerosa.

156 Dico igitur primo, loquendo ex natura rei: tam in Angelis, quàm in hominibus, æqualis est capacitas ad habendā charitatem. Ita videtur colligi de mēte *Scoti* pluribus in locis. maximè *in* 3. *dist.* 13. in solutione *secundæ quæst.* §. *Ad argumenta istarum*, sequuntur omnes Scotistæ, *Faber disp.* 29. *cap.* 3. *Aretin. Obandus quæst.* 1. *art.* 2. & plures alij, nec dissentit *Lorca disp.* 19. *n.* 11. Et probatur breuissimo fundamento. Quia nullus gradus charitatis potest subiectari in perfectiori Angelo, qui non possit recipi in quocumque homine: ergo potentia, & capacitas subiectiua, æqualis est in omnibus; maximè cum charitas non educatur ex potentia subiecti. Humanitas enim Christi D. propter vnionem ad Verbum, non euasit potentior physicè, quam si non esset vnita, & habuit summam gratiam, cum sit *paulòminus ab Angelis*: ergo gratia, æqualiter respicit, quantum ad sui modum inhæsionis, omnia subiecta: ergo omnes creaturæ rationales, æqualem capacitatem habent, & potentiam subiectiuam respectu charitatis. Ista enim capacitas, & aptitudo subie-

lectiua est quid transcendens formaliter in omnibus illis. Vnde licèt materialiter sit inæqualis, formaliter tamen æqualis est in eis. Quare, quæ S.BB.Ricardus, & alij contra Nos obijcere possunt, facilè soluuntur ex dictis. Dico secundo: quòd prædicta capacitas est limitata, & finita. Quia vt infra videbimus, charitas est in sua intensione finita, & limitata, per ordinem ad quam est talis capacitas.

157 Quare dico tertio: Quòd charitas habet terminum præfixum in sui intensione, ita, quod habeat maximum quod sic, vltra quod amplius intendi repugnet, ex sua natura loquendo. Ita *Scotus in 3. distinct. 13.* & omnes Scotistæ ex alijs *Caietanus, Lorca de Incarnat. disput. 43.* & hic *disput. 19. num. 12.* Docuerunt *D. Bonauent. Ricard. & Durand.* imò *Sanct. Thom.* testè Lorca relato, *à num.* suo 13. qui etiã refert *Augustinum lib. de natura boni, cap. 3.*

158 Et probatur: quia ex opposita sententia sequeretur, aliquam creaturam esse entitatiuè infinitam; qui termini omnino natura sua sunt repugnantes. Probatur sequela: quia per intensionem qualitas entitatiuè perficitur: nam quanto magis intensa, tanto in sua entitate est perfectior: ergo si in sua intensione, non haberet terminum, cum gradus eius sint vnius potentiæ demonstratæ, omnes possunt reduci ad actum; quia non est de genere successiuorum: & sic daretur aliquid, quod simul foret creatura, & infinitum in sua entitate, quod repugnat. Ad quod adducitur maxima congruentia: quòd Christus Dominus dicitur, solum habuisse summam gratiam, & non infinitam: si enim infinita esset possibilis, daretur illi: ergo si non fuit data, eo est, quia repugnabat ex parte naturæ charitatis (& idem dico de lumine gloriæ) nam ex parte subiecti non repugnat: quia, vt dictum manet, omnia subiecta sunt æqualia; & si aliquod inueniretur subiectum aptius, semper esset anima Christi propter vnionem ad Verbum. Dicere enim esse necessarium subiectum infinitum, exinde magis claret repugnantia infinitudinis charitatis: quia nulla substantia creata potest infinita fateri possibilis: ergo sicut subiectum infinitum repugnat, ita, & qualitas infinita.

159 Sed obijcit *Vazq. 1. 2. disput. 47. cap. 3. & Suarez in 3. part. disput. 22. sect. 2.* & alij moderni. Homo cum summa charitate potest, exercere noua opera meritoria: ergo merebitur augmentum; & rursus si alia opera exerceat, etiam merebitur augmentum, & sic vsque in infinitum. Respõdeo, quòd ratio com-

completiua meriti est acceptatio diuina; & sic Deus nō acceptaret opus factū ex summa gratia ad vlteriorem gratiam supra illam; quia illi repugnat augmentum, & Deus nō facit illud, quod repugnat. Hoc enim argumentum possumus retorquere contra ipsos: nam si daretur qualitas, seu charitas infinita; quęro, eliciat homo cum illa actū; augebitur, ne illa qualitas? Non: quia non est proportio præmij, & sic illud opus, non erit meritorium, quia non est præmium pro illo: sic similiter nos dicimus in nostro casu.

160 Obijcies secūdo. Si Deus daret Angelo summā gratiā, & B. Mariæ, & Humanitati Christi, sicut dedit illis, cur non posset Deus vnire istas tres gratias, & sic intendere vltra summum gradum. Respondeo, non posse vniri; propter dictum inconueniens. Vide alia *loco Physicorum citato, & Opusc. de Incarnat.* quia pro nunc dicta sufficiunt, vt ad præsentis subsectionis, difficultatem veniamus.

161 His breuitèr positis, & supra *cap. 2. sect. 6.* reiecto Begardorum, & Beguinarum errore, ad præsentem difficultatem dicendū est cum omnibus Theologis, quòd potentia antecedenti prædestinationem, non datur aliquis terminus præfixus, & determinatus charitatis ex lege Dei in hac vita. Ita definiuit *Clem. V. in Concil. Vienens.* vt refertur in *Clementina ad nostrum de hæretici.* Potentia verò subsequenti terminus est præfixus in via. Cuius ratio est: quia de facto vnusquisque consequitur terminum gloriæ præfixum: ergo de facto, præfixa est vnicuique tanta gratia, & charitas; qua habita, licèt antecedenti potentia maiorē posset habere, tamen, quia non habebit maiorem, ex Dei ordinatione, & supernaturali prouidētia, præfigitur terminus habitui charitatis vniuscuiusque in hac vita. Ad argumenta, quæ hæretici possunt obijcere supra responsum manet, & ex dictis impositione cōclusionis satis aperta est solūtio.

Tertia subsectio. *Vtrùm habitus charitatis possit remitti, & secundùm intensionem minui per peccata venialia?*

162 NOn loquimur hic de potentia absoluta, nec de peccatis mortalibus; quia in nostra sentētia nō dubitamus, quin possit Deus remittere quoad intensionem habitum gratiæ, & charitatis per peccata venialia: nec similiter dubitamus nos Scotistæ, qui oppositionem moralē inter habitum gratiæ, & peccatum cognoscimus tātum, posse à Deo, minui charitatem per peccatum mortale: quamuis de facto per quodcumque mortale de-

destruitur tota charitas: de quo specialiter agitur in materia de gratia; & nos satis diximus *Opusculo de Sacramento Pœnitentiæ, disp. 5. cap. 4. & de Pœnit. virtut. cap. 1. sect. 4. 5. & 6. & cap. 6.* Loquimur ergo de facto, & de peccatis venialibus.

163 Ratio dubitādi est. Quia experimur, peccatis venialibus minus idoneos, & aptos esse ad exercitiū charitatis. Vnde omnes fatentur, ista peccata minuere feruorē charitatis; feruor autem iste est intensio: ergo quoad intensionem venialia minuunt charitatem. Secundo: quia, qui multa peccata venialia comittit, minūs acceptus est apud Deū, quā qui pauciſsima cōmittit: ergo etiā habebit minus de charitate habituali: quia consequēter minuitur amicitia; sicut in humanis leuibus iniurijs amicitia tepescit: maximè cū *Eccleſiast. 9.* dicitur: *Qui spernit modica, paulatim decidet:* & ex *August. serm. 41. de Sanctis: Si minima peccata, nimis plura sint, mergunt:* & *Gregor. in Pastoral. admonit. 34.* dicit: *Qui peccata minima flere, & vitare negligit, à statu iustitiæ, non repente; sed per partes, totus cadit*: ergo, &c. Subscribunt propter hæc affirmatiuè opinioni *Cartusian. 1. dist. 17. q. 9. Victor. & Altisiodor.*

164 Sed cum communi sententia, pars negatiua à nobis tenenda est illis non obstantibus. Docet *S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 10.* vbi *Lorca dis. 20. n. 2.* Tenet *N. Vega lib. 10. cap. 22. & lib. 14. à cap. 4.* super *Tridēt. Enricus quod. lib. 5. q. 23.* quos sequuntur *Hurtado, & N. Castillo*, cum omnibus Theologis. Probaturque primo. Quia ita possent venialia multiplicari, vt exinde charitatem destruerent, si sententia opposita vera esse; sed sequela ista est falsissima, & erronea: quia exinde sequeretur, hominē solis venialibus damnari, quod est erroneum: ergo illud ex quo sequitur falsissimum est. Respondebis, diminutionē charitatis per venialia, fieri secundùm partes proportionales, & non aliquotas; & cum proportionales sint infinitæ, nunquam destruetur charitas solis venialibus. Sed cōtra insurgit *Lorca*, & cum eo *Castillus*: ergo pœna, & effectus peccati subsequentis est minor, quā peccati antecedentis, etiā si peccatum subsequens, sit intensius peccato antecedenti. Sed contra illam solutionem ego insurgo: nam, cum gratia sit de genere cōtinuorū est diuisibilis, in semper diuisibilia, vt sic non sequitur, quòd effectus peccati subsequentis maioris, sit minor, quā peccati præcedētis minoris: quia inter partes proportionales continui, non potest vna assignari maior alia, nec minor, licet in se, vna sit maior altera. Sed contra: Demus, quòd per vnum integrum diem continuum, vnus

sit

sit persistens in voluntate peccãdi venialiter, sequetur, quod cũ in vno integro die sint plura indiuisibilia temporis, & sint plures partes temporis habentes maiorem diuisibilitatem, quam habeat vnus gradus gratiæ, aut charitatis, per vnum solum peccatum veniale destruetur tota gratia, quod inauditum, absurdum, & impium est fateri: ergo prima sententia speciem probabilitatis, non habet.

165 Illud autem, quod aliqui respondent, scilicet, vltimũ peccatum veniale fieri mortale ab effectũ, insuportabile est; quia inducit obligationem ex præcepto vitandi omnia venialia: quod nullus dixit; patet; quia cũ sit præceptum non amittendi gratiam, & nullus sciat, quem gradum gratiæ habeat, similiter non potest scire, quo peccato suam gratiam perdat: ergo, quia secũdum istam solutionem potest amitti per veniale, ex præcepto tenebitur, illud vitare: aliàs exponitur euidenti periculo amittendi gratiam, quam tenetur stricto præcepto, nõ amittere. Alias solutiones improbabiles adducit Lorca ex Victoria.

166 Secundo probatur nostra assertio. Quia Deus puniret vltra condignum: quia priuaret maiori bono, quam est malum peccatum veniale; imò omnia peccata venialia, hucusque commissa, non adæquant in malitia bonitati cuiusuis gradus gratiæ. Et confirmatur: quia veniale, nõ opponitur affectiuè gratiæ, nec demeritoriè: aliàs in quo differret veniale, à mortale? ergo prima sententia probabilis non est.

167 Ad rationem dubitandi respondeo, quod feruor charitatis, non est intensio eius: dicitur autẽ, venialia, minuere charitatis feruorem, idest retardãt, & impediunt exercitium habitus. Neque propter venialia homo fit apud Deum magis, vel minus acceptus, quãtum ad hæreditatem, ad quam erat acceptus ante venialia: nihilominus tamen fit minus acceptus, quantum ad dandum illi peccatori auxilia efficacia, & specialia, & alias misericordias eius, quod non propterea minuit gratiam, & charitatem, præhabitam vsque ad mortale, per quod tota destruitur. Neque amicitia Dei comparanda est cum humana: quia est maximum discrimen: nam homo fallitur, & leuem iniuriam pro graui reputat ex inordinata cõsideratione, ex animi leuitate, ex maxima fragilitate, & ignorãtia, nec sicut Deus intuetur cor. Præterea; quia si amici sunt cordati, & prudentes, leuis offensa, non sufficit ad dissoluendã amicitiam. Si enim vnius amicitiæ ad aliam comparatio teneret, etiam peccatũ veniale, sufficeret ad destruendam totam gratiam, sicut in humana-

manis amicis. Illud autem Sanctorum Patrum, & Scripturæ, non faciunt contra nos: quia solum intendunt, quod peccata venialia disponunt maximè ad mortalia, quibus destruitur charitas.

168 In præsenti solet disputari: vtrùm habitus iste possit amitti? Vtrùm per peccatum mortale amittatur physicè, vel demeritoriè? Vtrùm possit esse simul cum peccato? Sed istę quęstiones, specialiter, & ex professo, tãquam in proprio loco, tractantur ab omnibus in materia de gratia, & sic illic, Deo dante, inuestigare remittimus.

Et hæc de prima huius opusculi parte.

SECVNDA PARS MORALIS DE CHARITATE.

DISPVTATIO SECVNDA.

Circa doctrinam Moralem huius Opusculi.

CAPVT I.

De præceptis Charitatis Theologicæ.

Sectio 1. *Vtrùm detur speciale præceptum diligendi Deum super omnia?*

169 DIco primo: quod datur speciale præceptum affirmativum, habendi actum voluntatis, quo Deum propter se super omnia diligamus. Ita *Scot. 3. dist. 27. §. Quantum ad secundum dico*: Et omnes eius discipuli *Castillo disp. 4. q. 1. n. 2.* docet *S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 1.* sequuntur *Suarez disput. 5. sect. 1. n. 1. Lorca disp. 57.* qui eruditione sua hanc veritatem dilucidat, vt probet, oppositum affirmare, esse seminare zizaniam, & à dilectione Dei homines auertere, & à suaui Dei iugo declinare. Sequitur etiam *Vazquez quæst. 90. de Pœnitentia, art. 1. dub. 4.* & multi alij apud Lorcam, & est certa in omni Schola hæc sententia, & in tota Ecclesia.

170 Probaturque primo ab Scoto ex illo 6. *Deuteronomij*, vbi datur lex diuina, & primum mãdatum in lege est, & maximum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine, & mente tua.* Et refertur *Matth. 22.* Quod præceptum ponitur in numero, & ordine primum, & maximum

cum

cum alijs: ergo est speciale: alias superfluè diuina lex anumerasset illud; quod plusquam impiũ est, dicere: innaniter enim Scriptura diceret, dilectionem Dei, & proximi esse duo præcepta, si in dilectione proximi, & in alijs illud includeretur. Et confirmatur ex *Augusti. Hieronymo*, *Gregorio*, *Anselmo*, & multis alijs Patribus, quos refert Lorca; ita clarè nostram sententiam confirmantibus, vt nescio, quo motiuo ausi fuerunt nouam opinionem in re tanti momenti aliqui introducere.

171 Confirmatur secundo ex *Apostol. 1. ad Timoth. 1.* dicente: *Finis præcepti est charitas*: si ergo finis est, differt à medijs: ergo multo magis cadit sub speciali præcepto, quam media: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo si media sunt necessaria ex præcepto, etiã finis ex præcepto est necessarius. Notissimè huic veritati iniuriã facimus, inquit meritò Lorca, longa vti disputatione ad illam demonstrandam.

172 Sed age, rationibus comprobemus. Primo: quia charitas est specialis virtus: ergo de charitate, non est vnde, non sit speciale præceptum, atque de eius actu, tanquam perfectiori, & necessarissimo. Si enim alij actus sunt Deo debiti, præcepto speciali, qui minoris sunt momenti, quam dilectio: cur dilectio, non sit Deo debita præcepto speciali? Nam si dilectionis præceptum est generale, & non est speciale; vel est generale communitate generis, sicut illa: *Declina à malo, & fac bonum; quod tibi non vis, alteri ne feceris*; vel, vt modus, seu conditio annexa omnibus præceptis: non isto modo: quia alias nullum præceptum impleri posset, nisi modus iste charitatis ponatur; & sic nullum opus foret bonum absque isto modo; quod censetur plusquam falsum. Neque primo modo; quia quis potest, implere omnia præcepta, absque eo quod adimpleat præceptum charitatis: ergo distinctum præceptum, & speciale est à reliquis. Antecedens negare, est ire contra fidem nobis propositam à *D. Paulo 1. ad Corinth. 13.* alias existens sine charitate, non posset, fidei, & spei præcepta adimplere: quod est plusquam falsum: ergo illud ex quo sequitur.

173 Confirmatur tandem. Quia quemadmodum præcipitur charitatis actus circa summum bonum, & infinitum, ita præcipitur assensus fidei circa diuinam veracitatem; quia sine fide, impossibile est placere Deo; sed non solum præcipitur fides effectiua, & quasi generalis, & transcendens (quam exhibemus in adoratione, oratione, martyrio, exteriori confessione fidei, &

& in spe) sed specialiter præcipitur fidei affectiua, & actualis, qua specialiter assentimur articulis reuelatis propter authoritatem Dei: ergo similiter de charitate tenendum est: nam sustentare oppositum est inducere in moribus Christianis, vt nullus homo teneatur in tota sua vita, memor esse Domini Dei sui: quod, adhuc in ethnico, horrendum est, inquit Magister Lorca.

174 Authores noui, & oppositi placiti, quos nolo nominare, sic ab obligatione diligendi Deum, nos excusare, minus attentè, prætendunt (sed absit procul à nobis talis deobligatio) nam *Ioann.* 14. dicitur: *Qui habet mea mandata, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Vnde ad *Roman.* 13. dicitur: *Plenitudo legis est dilectio.* Et *Matth.* 22. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*: igitur ista præcepta de dilectione Dei super omnia propter se ipsum, & de dilectione proximi propter Deum, non sunt specialia præcepta distincta ab alijs præceptis, quibus adimpletis, etiam adimpletur mandatum de diligendo Deo, & sic præstando ea, quæ in obsequium proximi debemus præstare obligatione aliarum virtutum, adimplemus præceptum dilectionis proximi: & adimplendo mandata Dei, præcisè per hoc, adimplemus præceptum dilectionis Dei super omnia. Quod confirmatur testimonio *D. Bernardi serm.* 50. *in Cantica*, ad illa verba: *Ordinauit in me charitatem*, dicentis: *est charitas in actu, est, & in affectu; & de illa, quæ operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque formatum: nam affectu, quis ita habeat, vt mãdatur?*

175 Sed respondeo primo: quòd, cum vnum ex mandatis, & primum, & maximum sit de dilectione, optimè dicit, quòd, qui seruat mandata, diligit Deũ: non tamen excludit Ioannes per hoc anumero specialium præceptorum speciale præceptum diligendi Deum; quod obligat in aliquo tempore, in quo alia non instant: & sic optimè dicit Apostolus, quòd plenitudo legis est dilectio: quia primum, & maximum mandatum speciale, est dilectionis, à quo reliqua præcepta imperantur, & illi subordinantur, vt inquit *Matth.* 22. Respondeo secundo, quod Ioannes loquitur de dilectione extẽsiuè; & similiter Apostolus.

176 Ad testimonium Bernardi respondeo; quod ipsemet corrigit statim, se explicando, dicens, ibi: *Neque hoc dico, vt sine affectione simus, & corde arido solas manus moueamus ad opera: legi inter alia, quæ scribit Apostolus: mala, & grauia hominũ mala hoc quoque anumeratur: scilicet sine affectione.* Vnde Sanctus omis-

omissionem affectus, & dilectionis Dei fatetur, esse peccatū: ergo dilectio Dei, secundùm ipsum, est præcepta speciali præcepto. Solum enim Bernardus excludit ab obligatione speciali, in hac vita, dilectionem Dei excludentem peccata venialia, & oppositam feruori ipsius: nullatenus verò excludit charitatem omnem affectiuam; vt satis ipse supra se declarat.

177 Difficultas est: quando obliget istud præceptum? Quidā dicunt, obligare pro primo instanti perfecti vsus rationis. Alij in initio morali perfecti vsus rationis. Alij, omnibus diebus festis. Alij, semel in vita pro tempore ad arbitrium diligētis. Alij, semel quolibet anno. Alij, tempore, quo adultus baptizatur. Alij, cum sumitur Eucharistia. Alij cum patitur Martyrium, aut aliud opus difficile quis est aggressurus. Alij, cum magnum beneficium à Deo recipitur. Alij, cum quis audit blasphemare cōtra Deum. Et tandem alij in articulo mortis. Exinde ergo non miror, quod fuerint Authores negantes speciale præceptum hoc.

178 *Pater Franciscus del Castillo* relatus in suo *num.* 10. tenet, cum *Scoto* obligare pro duplici tempore. Primum, quando quis tenetur sanctificare Sabbatum sicut decet, & aliàs nunquam elicuit actum charitatis. Secundū: pro tempore, in quo quis habet perfectum vsum rationis, & sufficientem notitiam de obligatione huius præcepti, & non recordetur, se elicuisse aliquando talem dilectionem Dei super omnia.

179 Omnes istæ sententiæ habent suorum Authorum fundamenta; sed ferè omnia reiecimus in simili difficultate loquētes *opuscul. de pœnit. virtut. cap. 7. sect. 2.* videantur. Nam semper mihi placet illa opinio, & iudico semper antiquioribus, & classicis, sanctisque Scholasticis Doctoribus conformem; & sic iuxta ibi dicta, videtur mihi dicendum, duo esse tempora, in quibus videtur per se obligare istud præceptum. Primo in primo vsus rationis instanti morali. Secundo in diebus festis; cum quis habet conscientiam peccati, & sibi practicè proponatur Deus, vt summum bonum proprer se, super omnia diligibile. Verba enim præcepti expressè non determinant tempus in quo obliget; rationabiliter tamen videtur, ita esse determinādum, tam ex fine præcipientis, quàm præcepti.

Sectio 2. *Vtrùm detur præceptum speciale diligendi proximum?*

180 VIdetur, quòd sic; propter similes rationes, quibus probatum est, esse speciale præcep-

ceptum diligendi Deum. Quia præceptum diligendi proximũ anumeratur inter alia præcepta: ergo est speciale. Nam Scriptura eodem modo loquitur de illo, ac de isto. Nam *Matth.22.* dicitur: *Secundum autem mandatum, & simile huic est diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et *Ioann.13.* dicit Christus Dominus: *Mandatum novum do vobis, vt diligatis inuicẽ.* Et *cap 5. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicẽ.* Vnde *1. Ioan. 4.* dicitur: *Mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum.* Confirmaturque ista congruentia: quia mutuus conuictus, & communicatio in natura, in fine, atque medijs, quasi ex natura rei obligat ad impendendũ mutuum amorẽ: ergo sicut est speciale præceptum diligendi Dũ, ita, & diligendi proximum. Quare *Valencia, Bañez, Granados, & Lorca disp. 57. à num 4.* Quos sequitur *Torres disp. 98. dub. 2.* cum alijs, stant pro sententia affirmatiua.

181 Quod verò non sit speciale præceptũ, videtur suaderi, his rationibus ex illo ad *Rom.13. Nemini quid quam debeatis, nisi, vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implebit: nam non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximũ, sicut te ipsum*: ergo dilectio effectiua, seu operatiua est, quæ obligat, non verò affectiua, & specialis. Et confirmatur: quia actus internus dilectionis nihil proficit proximo: ergo solum præcipitur dilectio effectiua. Quare hanc sententiam tuentur *Suarez disp. 5. sect. 4. Vazquez quæst. 90. art. 1. dub. 4. de Pœnitent.* quos sequitur *Ioannes Sancius disput. 1. num. 21.* ex *Maldonato, & Iansenio.*

182 Magister meus Pater Franciscus del Castillo istas sententias componit *disp. 4. quæst. 2. num. 5.* dicendo, quòd prima sententia est vera, loquendo de dilectione proximi, non ex motiuo charitatis, sed loquendo indifferenter de quocumque motiuo honesto, & secunda sententia similiter est vera, loquendo de dilectione ex motiuo charitatis Theologicæ. Citat pro sua doctrina *Scotũ in 3. dist. 28. §. De secundo dico: & dist. 29. §. Quantũ ad hoc, vers. Sed loquendo de alio.* Cõfirmatque: quia in tota Scriptura, nullũ est verbũ, quo præcipiatur, nisi tantum dilectio proximi, non verò dilectio proximi propter Deum: ergo nec nos debemus imponere tale præceptum. Vnde ad argumenta pro vtraque sententia respondet dicendo; quòd illa quæ ponuntur pro prima opinione *numer. 12.* solum probant, esse præceptum speciale diligendi proximum,

sed non ex motiuo charitatis. Et ad argumenta *num.* 13. pro secunda opinione relata; respõdet, solum probare, non esse speciale præceptum diligendi proximum, ex motiuo charitatis, non verò ex alio honesto motiuo.

183 Equidem, ista N. Castilli compositio, & quasi media opinio non placet. Vnde sentẽtiæ Lorcæ subscribo: quia firmissimo nititur fundamento efficaci, & meo videri euidenti. Nã *Matth.* 22. dicitur, quòd istud præceptum diligẽdi proximum est simile præcepto diligendi Deum super omnia, sed non est aliud, in quo assimilari possint, nisi in motiuo: ergo dilectio proximi ex motiuo charitatis specialiter est præcepta, & nõ sicut minus benè dicit Castillo. Et confirmatur: quia secundũ Castillo, ista dilectio præcepta speciali præcepto, vel est actus charitatis, vel actus misericordiæ, vel alterius virtutis, vel transcẽdens per alias virtutes, quarum actibus, præstamus proximis, ea, quæ in obsequium eorum obligatione, & honestate ipsarum virtutum, debemus illis præstare. Si hoc vltimum dicat Castillo: ergo non est præceptum speciale diligendi priximum, sed generale transcendens per actus aliarum virtutum. Si dicat primum: actus charitatis debet semper habere suum motivum formale, scilicet propter Deũ: ergo nullo fundamento nititur media illa sentẽtia Castilli: quia inter tales sententias *num.* 12. & 13. relatas, non datur medium.

184 Ad fundamenta ergo secundæ opinionis dico: ex illis verbis Pauli non colligi, non esse speciale præceptum dilectionis proximi: imò potius ex illis colligitur, tale præceptum esse. Quia non docet Apostolus, in adimpletione aliorum mandatorum instaurari mandatum dilectionis proximi (quod ita debebat esse, ad hoc, vt secunda opinio vera appareret) sed potius ècontra; in dilectione proximi docet omnia alia sequentia mandata, quę originantur ex illa, in tali dilectione instaurari. Quasi dicat, qui præceptum speciale de dilectione proximi implet, reliqua specialia præcepta adimplebit: quia dilectio proximi malum non operatur. & sic dicitur dilectio proximi propter Deum est plenitudo legis; non quia alia præcepta sine dilectione proximi impleri non possint, sed quia difficulter possunt impleri sine illa. Vnde multum cõfert proximo talis dilectio; & sic patet ad confirmationem.

185 Sed obijcies: non tenemur præcepto speciali, diligere nos metipsos: ergo neque proximum. Respondeo, nego antecedens: nam præcepto naturali diuino teneor, metipsum dilige-

gere, ex eodem præcepto, quo teneor diligere proximum: & quando diligo proximũ, adimpleo illud; quia diligo illum, sicut me ipsum. Quod indicat *Scotus in 4. dist. 21. quæst. 1. §. In ista quæstione, vers. Sed si intelligi debet.* Ea autem, quæ *Pater Castillus* adducit ex *Scoto in 3. distinct. 28. & 29.* non sunt benè interpretata sed falsò & iniustè: nam *Scotus distinct. 28.* quærit: *Vtrùm eodem habitu sit diligendus proximus, quo diligitur Deus?* Et respondet quòd eodem habitu, est diligendus proximus, & Deus: ergo ex eodem motiuo tenemur diligere proximum, quo Deum, secundùm *Scotum*, ibi *§. In ista quæstione, vers. Ex hoc patet*: & *vers. Nec secundùm rectam rationem.* In *distinct.* autem 29. quærit: *Vtrùm quis teneatur maximè se diligere post Deum?* Et respondet *§. Ex dictis inferendo*: per consequentiam: *Quòd immediatè post Deum tenetur quis diligere se ex charitate*: ergo ex motiuo charitatis tenetur: ergo non benè interpretatur Castillus *Scotum*.

186 Rogabis. Præcepto diligẽdi proximum, tenemur diligere inimicos, & peccatores? Respondeo, quòd reduplicatiuè, vt inimicos, & peccatores non tenemur diligere; nec possibile est tale præceptum diligẽdi eos: vt notat *Scotus in 3. distinct. 30. §. Respondeo.* In quo sensu intelligo illud *Psalm. 118. n. 113. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*: etiam certum est, loquendo de inimicis, non reduplicatiuè esse præceptum negativum, non habendi odio inimicos, nec peccatores, iuxta parabolam *Matth. 18.*

187 Vnde tota difficultas versatur: vtrùm eodem præcepto, quo tenemur nos, & proximos diligere, teneamur diligere inimicos, & peccatores? Et respondeo affirmatiuè cum omnibus Theologis. Tenet *Scotus distinct. 28. & 29.* Sed præcipuè *dist. 30. §. Respondeo*, ex illo *Matth. 5. Ego autem dico vobis, diligit inimicos vestros.* Quæ verba, non solum consilium, sed præceptum exprimunt, vt docent Sancti PP. & Cõcilia, *Carthaginens. 4. cap. 93. & Agatens. cap. 22.* Et ratio est: quia inimicus est proximus: ergo, &c. Videatur *Lorca disp. 25. membr. 1.* Et confirmatur ex contextu *Matth.* in fine capitis, vbi dixit Christus D. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt*, scilicet amicos, *quã mercedem habebitis?* Quasi diceret, præceptũ dilectionis, non vrget, quia homo est amicus, sed quia est proximus: *Illud enim, & Publicani faciunt, & Ethnici*: & concludit: *Stote ergo perfecti, sicut, & Pater vester cœlestis perfectus est.* Quæ verba sunt maximè notanda contra Castillo, vt sciat, speciale præceptum charitatis, & dilectionis proximi, siuè amici, siuè inimi-

mici, esse ex motiuo charitatis: quia quæuis alia dilectio ex alio motiuo, nō est dilectio perfecta, ea perfectione, quam hic requirit Christus Dominus, vt distincta à perfectione dilectionis, quæ est inter Publicanos, & Ethnicos, vel ex præcepto tantum naturali, vel ex motiuo creato, & limitato.

188 Sed contra hanc resolutionem obijcies. Contrariorum eadem est ratio, sed amicus est diligendus: ergo inimicus, non debet diligi. Respondeo distinguo consequentiam; reduplicatiuè, concedo; vt proximus est, nego. Sed contra, eo ipso, quòd est inimicus, non est proximus: quia secundùm dictum Iesu Christi *Lucæ* 10. *Proximus est, qui mecum facit misericordiam, sed inimicus non facit mecum misericordiam, sed potius iniuriam*: ergo non est proximus: ergo neque est ratio, quare obligemur, inimicos diligere. Respondeo, quòd proximus in ratione proximi constituitur, non per exercitium benè, vel malè faciendi, sed per aptitudinem, & potentiam, quæ est in vno ad benefaciendum alijs, & passiua, adueniendum ab alio: & ita, etiam si sit meus inimicus, est meus proximus: quia in me est potentia ad benefaciendum illi, & in illo est potentia passiua, vt benè fiat à me.

189 Inquires secundo. Quodnam peccatum sit excipere inimicum à communibus orationibus, beneficijs, desiderijs, auxilijs, aut beneuolentiæ signis? *Suarez* cum communi sententia de *Charitate disput.* 5. *sect.* 5. *numer.* 7 tenet, & meritò, esse mortale ex suo genere, quia talis exceptio, moraliter censetur signum odij, & parit scandalum, diuisionemque animorum, & est iniuriosa. Dices. Non teneor orare, vel facere beneficium omnibus: ergo quādo oro possum excipere inimicum. Respondeo, quòd non teneor nunc orare, sed posito, quòd orare vellem, attentè teneor orare, & sic posito, quod volo orare, debeo positiuè non excludere inimicum. Dices ex charitate non teneor, resalutare omnem me salutantem: ergo ex eo, quòd non resalutem inimicum, vel neque illum salutem, non peccabo mortaliter. Respondeo: quòd attentis circunstantijs, & personis, poterit esse veniale, vel mortale contra charitatem. Ita Suarez, videatur *Diana* 5. *part. tractat.* 13. *resolut.* 89. *& Hurtado de Mendoza* 2. 2. *disput.* 153. *sect.* 4. §. 64. *& Lorca disput.* 25. *memb.* 3. *& Nocinot in Summa Dianæ, verbo Affabilitas, & Ioannes Sancius in Selectis, disput.* 5. *num.* 12. *& num.* 11.

290 Sed inquires: Quando, & quomodo teneamur inimico in-

iniuriam dimittere? Supponitur enim de fide, nos esse obligatos dimittere inimicis nostris, ex *Matth. 6.* & *Marc. 11.* in oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus, &c.* vbi subditur: *Si non dimiseritis, nec Pater meus dimittet vobis.* Et *Matth. 18. Sic, nec Pater dimittet vobis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Vnde Apostolus ad *Rom. 12.* ait: *Nulli malum pro malo reddẽtes, sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum*; & idem 1. *Petri 1.*

191 Difficultas est: Quando, & quomodo teneamur, dimittere inimico? Pro quo nota: quòd dimittere iniuriam, stat tripliciter. Primo, pro depositione odij, & inimicitiæ erga inimicum: & isto modo semper tenemur, iniuriam dimittere; & nõ dimittere est peccatum mortale. Secundo, pro exteriore manifestatione interioris animi pacati, & absque odio personæ inimici, & isto modo raro, aut nunquam est in præcepto, nisi per accidens, & quando scilicet ex omissione signorum, quis se, esse moraliter offendens se, vt inimicus, v.g. in casu quo, qui iniuriam intulit, veniam peteret; si offensus signa amicitiæ, non ostendat, manifestãdo animum suum esse pacatum, & sine odio, moraliter censetur inimicus, & odio habens suum offendentẽ, vel offensorem: maximè, si publicè ista venia petatur, vbi oriretur scandalũ ex omissione, manifestationis depositionis odij.

192 Tertio intelligitur pro condonatione satisfactionis offensæ. Et hoc modo dimittere, non est in præcepto, vt fatetur *Corduba q. 27. Lorca disp. 25. nõ. 3. n. 33. Suarez disp. 5. sect. 5. n. 10.* & multi alij Summistæ. Et probatur ex multis decretis. Cuius ratio est: quia sic non dimittere, est actus iustitiæ consentaneus de se. Nam, quisquis habet ius, vt sibi restituantur bona externa, vel honor, aut fama, &c. Sed maxima cautela procedendum est in hoc; vt inquit N. Corduba, quia si alia faciliori via possit debitũ compensari, nõ debemus vti toto rigore: quia tunc, difficile est, præscindere ab odio; atque periculosum in præcepto charitatis, cuius affectus potius iustitiæ rigorem temperat, & zelũ eius, quam exaggerat. Videatur etiã circa hoc *Ioann. Sanctius in Select. disput. 46.* vbi multa resoluit ad præsens conuenientia.

Sectio 3. *Vtrùm teneamur intensius diligere Deum, quam nos, & amicum plusquam inimicum?*

193 CIrca primũ affirmatiua pars videtur, posse suaderi; primo ex ipsius verbis præcepti, quæ manifestè videntur, id indicare. Nam dicitur *Deuteronomij 6. Diliges Dominum*

Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima, & fortitudine; quo significatur apertè omnis voluntatis connatus possibilis in dilectione Dei. Et confirmatur: quia secundùm omnes, Deus debet amari super omnia appreciatiuè, sed maior appreciatio significat maiorem intensionē: ergo, &c. Quare ita sentiunt *Durandus in 3. dist. 29. & Petrus Soto.* Citaturque *Scotus in 3. dist. 27. §. De primo, vers. Dico igitur.*

194 Partem verò negatiuã alij, sic suadent. Quia cum maiori appreciatione Dei sentimus in nobis erga nos amorem magis intensum: ergo appreciatiuè diligere non est, magis intensè diligere, sed solum tenemur, diligere Deum appreciatiuè super omnia; & hoc est pro hac vita ex toto corde, ex tota anima, & tota fortitudine: ergo. Aliàs foret valdè scrupulosum istud præceptum, quod non est præsumēdum de rectitudine diuinæ voluntatis: ergo. Ita tenent *Suarez disput. 5. sect. 2. n. 2. Vazquez 1. 2. disput. 192. cap. 3. Almainus, Hurtado*, & multi Thomistæ, quos retulimus *opusculo de pœnitentia virtute, cap. 5. disput. 1. art. 3. & 6.*

195 Magister meus Pater *Franciscus del Castillo disput. 5. q. 1. n. 5.* distinguit portionem superiorem ab inferiori; & dicit: quòd secundùm portionem superiorem magis intensè tenemur diligere Deum, quam nos metipsos; quam intensio nem vocat rationalem, seu intellectualem; & isto modo intelligit Scotum citatum pro prima opinione, & componit, suo videri, vtramque sententiam. Sed mihi maximopere displicet; quia nititur falso fundamento; scilicet, quod nō teneamur diligere nos & proximum ex motiuo charitatis: quod falsum esse, supra ostẽ dimus. Nullum enim est præceptum me obligans, diligere proximum propter se; sed si aliquod præceptum est me obligans, diligere proximum est propter Deũ, nam diligere proximum propter se, non est ordinatè diligere, nec perfectè diligere dilectione, qua Christus præcipit, vt simus perfecti, sicut ipse perfectus est.

196 Quare, si quæstio ista non est de nomine, priorem sententiam eligo: quia fundamentũ eius est fortius. Et meo videri Authores secundæ sententiæ, non intendunt oppositum, sed solum prætendunt, quod non tenemur diligere Deum, summa intensione, sed sufficit quælibet intẽsio ad adimplendum præceptum dilectionis erga Deum: dum tamen appreciatiuè, & propter se eum diligamus: & eo ipso, quòd sic diligamus ex motiuo charitatis, intensius diligimus semper Deum, quam proximum: nam proximum diligimus propter Deum; & sic semper diligimus Deum magis: quia propter quod vnum-

vnumquodque tale, & illud magis. Vnde ad argumenta secundę opinionis patet, falsum esse, quod sentiamus erga nos amorem magis intensum: nec proinde præceptum dilectionis scrupulosum fit: quia diligendo Deũ appreciatiuè propter se super omnia, & proximum non propter se, sed propter Deum, non potest, non intensius diligi Deus: & sic absunt omnes scrupuli.

197 Sed objicies. *D. August. lib. de spirit. & litera, cap. vlt. Bernard. serm. 50. in Cantica*, & sequitur *D. Thom. 2.2. & Scotum dist. 27.* dicentes, non posse perfectè, impleri hoc præceptum in hac vita, vt traditur *Deuteronomij 6.* ergo non tenemur ad intensionem. Respondeo, quod non tenemur ad summam intensionẽ, sed ad proportionalem, & ad quantam possimus in hac vita: videlicet ad illam, quæ excludit omne contrarium dilectioni Dei super omnia. Nam Patres solum loquuntur de illa dilectione Dei omnino perfecta: qualis non inuenitur, nisi in Patria, vel in magnis Sanctis.

198 Circa secũdum sectionis dico primo. Quod cæteris paribus præferri debet amicus in dilectione. In hoc omnes conueniunt, nullo discrepante, & tenent *Lorca disput. 31. n. 1. Vazq. Caiet. Valencia, Torres, Hurtado, & Suarez disput. 2. sect. 3.* Et colligitur euidenter ex mente *Scoti dist. 29.* Quia, sicut post Deum, teneor me magis diligere, ita post Deum, & me, magis debeo diligere amicum, quàm inimicum: Quia in amico reperitur magis de bonitate, & vnitate cum obiecto motiuo charitatis, quàm in inimico.

199 Sed cõtra hoc obijciunt *Durand. dist. 30. q. 3. Cartusian. q. 1. Albertus, & Ægid. disp. 24. n. 154.* tenentes præferendos esse inimicos, & citatur *D. BB. dist. 30. ar. 1. q. 6.* Quoniam dilectio inimici est maioris meriti, quàm dilectio amici: ergo magis debemus diligere inimicũ, quàm amicũ. Antecedens probant, ex illo *Matth. 5. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Quasi diceret, minorem mercedem habebitis, quam si diligitis inimicos. Vnde Apostolus charitatem Christi commendat *ad Rom. 5. Quia cum nos peccatores essemus, pro nobis mortuus est.* Et *August. cap. 74. Enchiridij: illud multo gradius est, & magnificentissimæ charitatis, si tuum quoque inimicum diligas.* Et *Chrisostomus homil. de Cruce, & Latrone*, inquit: *Melius est pro inimicis, quàm pro amicis orare.* Et *Bernardus serm. de Passione Domini*, dicit: *Sed tu Domine maiorem habuisti charitatem, quia posuisti vitam pro inimicis.* Et *Glossa super Psalm. 118.* dicit: *In operibus Domini nihil mirabilius est, quàm diligere inimicos*: ergo maioris meriti est, diligere

inimicum, quàm amicum: ergo magis tenemur diligere inimicos, quàm amicos.

200 Respondeo, negando antecedens cum communi sententia: *ex Magistro distinct. 30. vbi Scot. Ricard. Almain. Paludan. Capr. ol. S. Thom. 2. 2. quæst. 27. artic. 7. Lorca disput. 31. num. 10. Suarez, Vazquez*, & alij relati. Alias magis teneremur diligere inimicos, quàm parentes: & esset maioris meriti illos diligere, quàm parentes: quod falsum est. Etenim dilectio amicorum excedit dilectionem inimicorum in obiecto materiali, in formali, & in coniunctione, & vnione requisita ad perfectionem amoris, & charitatis: perfectior enim est actio agentis in propinquum, quam in distans, & magis debita: & ita dilectio amici perfectior, & magis debita est, quàm inimici.

201 Ad probationem antecedentis: dico cum Lorca *n.* 14. quòd in illis verbis Matth. solum voluit Christus Dominus, quòd si solum diligamus amicos, & inimicos non diligamus, nullam mercedem habebimus: non verò vult, quòd maiorem habebimus pro dilectione inimici, quàm pro dilectione amici. Apostolus autem ex illo ad *Roman. 5.* non commendat de intensione, sed de extensione charitatem Christi: quia teste Christo Domino: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Magnæ tamē intensionis fuit: quia mortuus est pro inimicis, & peccatoribus; sed si non posuerit vitam pro amicis, non esset tantæ perfectionis: & sic exponendi sunt Patres: non quod comparent vtramque dilectionem inter se, sed quia ex vtraque, fit perfectio summè dilectionis: tamen cæteris paribus præferēdus est amicus in dilectione inimicis.

Sectio 4. *Quis ordo seruandus est inter personas, & in ordine ad bona concupita?*

202 PRimo notandū est, quod inter proximos triplex est coniunctio. Prima sanguinis ratione. Secunda est ratione coniunctionis spiritualis. Tertia est ratione coniunctionis politicæ. Hoc breuissimè posito, iste ordo seruatur inter personas, vt proximi ratione sanguinis præferendi sunt cæteris alijs: posteà; proximi, ratione coniunctionis spiritualis: & posteà, proximi, ratione coniunctionis politicæ. Ita communis sententia cum *D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 8. vbi Lorca disput. 19. Suarez disp. 9. sect. 4.* quos sequuntur alij Recentiores; & docent Scholastici *in 3. distinct. 29.* Et probatur ratione Scoti ibi. Quia ordo charitatis debet sumi per ordinem ad maiorem bonitatem, & maio-

iorem vnitatem, & coniunctionem; sed bonitas est eadem in omnibus: quia idem motiuum est semper. Vnitas autem maior est inter consanguineos: ergo. Posteà autem inter spiritualiter coniunctos, &c. ergo. Sed hoc notandum est, esse verum, cæteris paribus, quia proximi, ratione sanguinis, possunt, ita esse remoti, quod fortè præponderet magis ratio coniunctionis spiritualis; & similiter potest necessitas proximi carnaliter esse, ita leuis, & necessitas spiritualiter coniuncti ita vrgens, & grauis, vt merito præferendus sit spiritualiter coniunctus, & coniunctus politicè. Quamuis, iudico, hoc esse verum loquendo de dilectione effectiua, non verò de dilectione affectiua.

203 Verum inquires primo. Inter carnaliter coniunctos, quis præferri debeat? Et quidem suppono cum Lorca ex humanis legibus, quod quoad omnes effectus, qui ex consanguinitate oriri possunt, ad quartum gradum, & non vltra extendi possunt leges. Quoad effectum autē dilectionis, & ordinis charitatis, nullus extendit obligationē præferēdi proximos vsque ad quartum gradum. Et ita Lorca dicit, soli primo gradui hunc ordinem deberi. In quo gradu comprehēduntur parentes, filij, vxores, & fratres. Imò quantum ad fratres, sine peccato contingere possit, vt eos posponamus amico, aut benefactori, & multo melius coiunctis spiritualiter nobis.

204 Vnde difficultas solum est inter parentes, filios, & vxorem. Quidam enim aiunt, vxorem præferendam esse parentibus, & filijs. Alij dicunt, filios fore præferendos parentibus, & vxori. Alij tenent matrem esse præferendam patri: alij verò ècontra: quod iudico verum. Quæ omnia, inquit *Castillo disput. 5. quæst. 3. num. 3.* sunt probabilia. Tamen meo iudicio, filij sunt præferendi parentibus, & vxori; & inter parentes pater debet præferri matri. Nec defuit qui dixerit; interdum esse præferendum parentibus benefactorem insignem, cui ab exitu vteri materni, vitæ conseruationem, deberemus. Sed hoc, ego intelligerem verum, & probabile, in casu, quod parentes munia patris, non impleant, ex iniquitate, & malitia sua.

205 Inquires secundo. Licebit occidere parentem, vel filium ob defensionem innocentis, qui iniustè inuaditur, & aliter non potest liberari. Negat Lorca absolutè. Quia dilectionis ordo constringit, vt plus conseruemus vitam patris, aut filij, quam cuiusvis alterius, quātumvis innocens sit: & sic quamuis pater iniustè inuadat, nec mihi incumbit, nec eum punire possim.

Cui

Cui resolutioni subscribo, si excipias, casu, quod inuasus sit, ita Communitati, & Reipublicæ necessarius, vt ipso deficiente periclitaretur bonũ cõmune. Tunc enim, non solum videtur licitũ, sed tenetur pater occidere filiũ aggressorem, vel inuasorem, aut filius patrem, si aliter innocentem inuasum, liberare non possit. Et confirmatur: quia in extrema necessitate, tenetur quis, subuenire communitati prius, quam sibi, exponendo propiam vitam: ergo in nostro casu, pater non solam licitum faceret occidendo filium, aut filius, occidẽdo patrem iniustè inuasorem; sed etiam teneretur. Imò *Bartolus, & alij* apud *Diana 5. part. tractatu 4 sect. 15.* filius licitè potest occidere patrem bannitum, & ècontra.

206 Inquires tertio. Vtrùm, in extrema necessitate sibi, & proximi, teneatur quis, sibi potius, quam proximo subuenire? Aliqui, sine fundamento dicũt, teneri subuenire proximo, potius, quam sibi absolutè loquendo; ex illo solum, *Ioann. 15 Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Verum absolutè loquendo, falsam iudico talẽ opinionem *ex Scot. in 4. dist. 15. quæst. 4. §. Respondeo, ver. Et ideò, sicut ibi, scilicet q. 2. eiusdem distinctionis, §. Ad argumenta, ver. Et si arguas.* Sequitur *Palud. quæst. 3. Gabriel dist. 16. quæst. 4. Bellarm. lib. 5. de bonis operibus, cap. 8. & Petrus Hurtad. disp. 144. sect. 4. lib. de mẽdacio cap. 3.* dicente: *Ita subuenire proximo, non est diligere sicut seipsum, sed plus; quod excedit regulã sacræ doctrinæ*: est enim, ita facere, opus prodigalitatis, quod vitium est. *Ioann.* autem 15. Commendat charitatem Christi benè ordinatam dando vitam suã pro beneficio generalissimo spirituali, & temporali, necessarissimo toti vniuerso: & sic nõ loquitur in casu præsenti.

207 Excipitur etiã casus, in quo proximus foret Princeps, vel alius necessarissimus Reipublicæ. Vnde, quamuis cum moderamine inculpatæ tutelæ, secundum communem Doctorum sententiam, sit licitum occidere inuasorem iniustum (& sic Sacerdos possit intermittere Missam, vt se defendat, & occidere inuasorem, & prosequi sacrificium. Nec teneris fugere, si es vir nobilis, aut miles, ad vitandam inuasionem, cum tuo dedecore: si autem sis plebeius vilis, ex charitate teneris fugere, si Clericus, aut Religiosus, etiam teneris fugere, non ex iustitia, vt dixit Nauarrus, sed ex charitate, vt melius tenet Lesius. Filius verò tenetur fugere patrem, si possit, & auum: frater minor maiorẽ, & ebrium, aut furiosum, quilibet tenetur fugere. Imo Molina tenet, licitum esse, occidere eũ, qui-

qui actu non inuadit, sed decreuit, inuadere ad occidendum. Vnde si quis veniat ad te catapultam expulsurus, vt occidat te, potes, illum præueniēdo occidere, inquit Reginaldus. Et mulier, si maritus sub ceruicali pugionem recodidit, illum potest præueniendo occidere, ait *Lessius*. Et plures alios casus particulares adducit *Diana 5. part. tract. 4. resolut. 8. & 10. & resol. 6. & resolut. 7. & toto illo tract. de homicidio atque 3. part. tract. 5. resolut. 97.* docet cum *Bañez*, licitum esse, occidere mādatarium mortis, & mandantem te occidere: atque inuasorem moralem, verbi gratia, falsum accusatorem, aut testem falsum in causa capitali, etiam si crimē sit verum, sed occultū, cum Bañez, spectato solo iure naturę; spectato tamen iure positiuo id non licere, inquit cum Maldero: in quo maximè displicet: quia ius positivum, non potest derogari iuri naturali. Atque cum prædicto moderamine adulter potest licitè, occidere maritum aggressorem. Homicidij tamen reus erit adulter, si prævidit ex occasione adulterij homicidium futurum; & hoc non obstante se potest defendere, dicit, *5. par. tract 4. resol. 3.* cum Bañez. Si tamen aggressor sit Princeps, vel alius Reipublicę necessarissimus, non licèt occidere, si ex tali occisione, notabile Reipublicæ damnum sequatur, scilicet bella ciuilia; nisi inuasus, vel aggressus animæ periculū sibi timeret. Alia multa dubia vide apud nostrum *Noctinot. verbo, Occidere, in summa Dian.*

208 Circa secundum nostrę sectionis: dicendum est, bonum spirituale debere præferri bonis temporalibus; ex illo *Matth. 16. Quid prodest homini, si vniuersum modum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Cæterum bona spiritualia, quædam sunt præcepta, quædam verò consilij: conclusio autem debet intelligi de bonis spiritualibus, quæ cadunt sub præcepto in ordine ad vitam æternam: de bonis autem spiritualibus, quæ cadunt sub consilio, si contemptum secludamus, videtur, non esse peccatum posponi rebus temporalibus.

209 Et licèt in bonis spiritualibus præceptis, scilicèt in iustificatione, in glorificatione, &c. quis semper teneatur, procurare ea sibi potius, quam alteri, & alijs se præferre; tamen in bonis consilij, non est illicitum, alios sibi anteponere, & præferre; sed honestius est alijs se præferre adhuc in illis bonis: vt comuniter docent Authores. Qui etiam conueniunt in eo, quod Prælatus, ratione sui officij, debet exponere vitā pro vita spirituali proximorum: & quod quilibet singularis debet exponere vi-

vitam suam pro vita temporali totius Reipublicæ : vt tempore pestis, famis, aut belli.

210 Vnde innocens postulatus ab inimico minante vrbis excidium tenetur, se ipsum tradere, & mortem pro communi bono subire, præcipiente Republica: quisi resistat contumaciter, potest Respublica occidere illum, inquit *Tanerus*, contra Bonacinam, apud *Diana* 5. *p. tract.* 4. *resolut.* 25.

211 Occidere autem se ipsum, ex intentione occidendi, intrinsecè est malum, & peccatum mortale, contra charitatē, & contra iustitiam. Nihilominus potest excusari ex ignorantia, vt contra Caietanum tenent Sotus, & alij. Vnde aliqui probabiliter tenent, Lucreciam, & alios se mactando, non peccasse mortaliter : quia homicidium, non est contra prima principia naturalia, sed contra principia secundaria deducta ex primis; de quibus potest esse ignorantia inuincibilis. Ita *Diana* citatus *resol.* 30. citans *Sotum*, *Lessium*, *Malderum*, *Molina*, & *Beccanum*.

212 Non tamen licèt damnato ad mortem haurire venenum, à ministro iustitiæ sibi paratum. Vnde iudex, solum potest damnare hominē, vt mortem patiatur, non verò, vt ipse se occidat. Ita *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. ex quo *Sylvius* putat, non licere reo, aperire os, vt venenum infundatur: imò teneri non traducere in stomachum, dum potest, venenum immissum. Nec funi alligatus, scala se præcipitem dare licèt. Ita *Diana resolut.* 39. & 40. Nec militibus certò vincendis ab inimicis licèt, se in naui cōburere. Ita habet *resolut.* 26.

213 An autem damnatus mori per famē teneatur comedere cibos clam sibi oblatos? affirmat *Faber. in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *disp.* 52. *cap.* 21. *nu.* 46. sed alij negant, vt habet *Dian. resol.* 41. cum *Maldero*, & *Azorio*, *Lessio*, & *Soto*, *ex Maiori in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 22. & *Henrico quodlibet.* 5. *quæst.* 31. *Sanchez* autem *disp.* 46. *num.* 19. affirmat, licitum esse delinquēti occulto, se prodere iudici, vt in hac vita potius, quam in alia debitā punitionem soluat ex affectu iustitiæ: nisi esset persona magnæ authoritatis; quæ daret alijs occasionem peccādi se tradendo ad supplicium. Sed non teneri se tradere, nec licere, magis placet; sicut, quod non licèt ad vitanda grauia tormenta sibi falsum, & capitale crimen imponere.

214 Infirmus autem, si adest spes salutis, no potest licitè, medicamenta respuere; citra mortis tamen periculum, respuere, in grauibus doloribus, pro carnis mortificatione, medicamina, no est illicitū, sed potest esse meritorium. Mulier autem honesta, aut

aut virgo patiens morbum in verendis curam obstetricū, vel aliarum fœminarum tenetur admittere: non tamen medicorum: quia ex tali contactu oriūtur motus turpes: quos non permittere, spectat ad gradum heroicum castitatis. Ita *Torres apud Dianam, tom. 5. tractat. 3. resolut. 138.* cum *Ioann. Sancio in selectis disp. 3.* Poterit tamen sine peccato admittere curationem. Et *Lesius lib. 4. cap. 3. dub. 8. nu. 60.* tenet cum cōmuni Doctorum sententia cōtactus partium verendarum, causa medendi, vel alia causa, quæ censeatur necessaria, aut iusta, nullum esse peccatum; quia talis contactus est consentaneus rectæ rationi, & sic honestus. Et si aliqua interim delectatio, vel motus turpis suboriatur parum refert, quia totum id est planè involūtarium. Sed non placet Lesius, quantum ad id, quod asserit de delectatione; nam si delectatio adsit, non poterit non esse peccatum; & cum in rebus venereis, non detur paruitas materiæ, secundum omnes talis delectatio erit mortale; nisi pro delectatione intelligat Lesius, motum partis sensitiuæ secluso voluntatis consensu: tunc enim probabilissima est eius sententia.

215 Pro defensione verò pudicitiæ, dubitat *S. Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 5.* vtrùm liceat occidere inuasorem? tamen cū communi sententia affirmat *Tanerus to. 3. disp. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 68.* Ea ratione, nimirū, quia adest periculum consentiendi, & peccandi: & sic, vt præferat bonum sibi spirituale, alteri inferre mortē, licèt. Imò hoc etiam licèt alteri, dum fœmina non consentire vult, & aliter ipsa non potest, euadere periculū. Ita *Rodriguez in summa tom. 1. cap. 220. num. 18.* cum *Cordub. & Mercado.* Et Petrus de Nauarra addit, posse hominem Clericum, vel Religiosum occidere licitè, iniquo inuasore de peccato nefando, vt refert *Diana tract. 4. resol. 36.*

216 Conueniunt præterea Doctores; quod homo priuatus tenetur subuenire homini constituto in extrema necessitate physica spirituali; scilicet, quia in æternum damnandus esset, etiā cum extremo periculo vitæ temporalis; dum tamen sit certus moraliter, quod illi subueniet, & quod ipsemet sit in gratia, ne intendēs alterū liberarè, ipse damnetur. Si autē necessitas proximi, tantum sit moralis; diuisi sunt Authores; & *Petr. Hurtado disp. 144. à nu. 27.* cum *Lesio* dicit: non teneri ad præferendum sibi proximum. Alios casus vide apud *Noctinot.* citatum: quia hæc omnia, non possunt in particulari resolui.

CA-

CAPVT II.

De Correctione fraterna.

Sectio. 1. *Vtrùm Correctionis præceptum ad omne peccati genus se extendat?*

217 SVpponitur apud Catholicos, vt certũ, dari præceptum correctionis fraternæ: quod supponit *Scotus in 3. dist. 3.* docet *S. Thom. 2. 2. q. 34. art. 2. ex Aug. lib. de Verbis Domini*, vbi ait: *Si neglexeris corrigere, peior eo factus es, qui peccauit.* Confirmatque *P. Lorca*, ex illo ad *Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis huiusmodi instruite, &c.* Et subdit. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi*: ergo lex, & præceptum est de correctione. Et *ad Thessalonicenses*, dicitur: *Corripite inquietos*: Et *Eccles. 19. Corripe proximum tuum, ne iteret, & fratrẽ, ne addat.*

218 Ex quibus contra Sotum dicit *Pater Suarez 2. 2. disp. 8. sect. 1. num. 3.* esse hæreticum, negare hoc speciale præceptu: & ferè hæreticum, negare, non continere in præcitatis locis. Plures Patres adducit Suarez, & Lorea, videantur: nam hoc ita certum est apud omnes, adhuc hæreticos, quod solum aliqui ex semipelagianis ausi fuerunt, illud negare: imò absolutè præceptum esse concedebant, sed per illationem, ex doctrina de certitudine nostræ prædestinationis, quam cum Augustino fatemur Catholici, deducebant, quod erat superflua correctio, siuè correptio.

219 Hoc autem suppositum naturalis ratio suadet. Nã si ex præcepto misericordiæ, naturali obligatione tenemur subuenire proximo dando eleemosynam petenti necessitato: ergo multo magis tenemur, subuenire proximo indigẽti in bonis spiritualibus. Vnde hoc præceptum est naturale diuinũ: nam licet contineatur in multis locis iuris positiui, ibi, non tam præcipitur, quã declaratur obligatio diuina naturalis.

220 Suppono secundo cum communi sententia, quod correctio fraterna, est actus virtutis specialis misericordiæ. Ita *N. Castillo disp. 6. q. 1. ex Hurtado disp. 6. diff. 2.* & supponunt Suarez, & Lorca relati, & velint, nolint, debent fateri Torres, qui *disp. 86. dub. 1.* vbi docet nobiscum, quod præceptum correctionis fraternæ est speciale virtutis specialis misericordiæ: ergo actus correctionis, est virtutis specialis misericordiæ actus: nam quod possit, imperari ex motivo charitatis, non tollit, ipsum actum esse actum misericordiæ, licèt imperatum à cha-

rã-

ritate. Videantur, quæ *tract. de pœnit. virtute* diximus, loquendo de eius actu: & ex ibi dictis facilis erit solutio ad ea, quæ possunt, hic obijci. Ad quodnã autem ex decem Decalogi præceptis reducendum sit hoc præceptum? *S. Thom.* dicit ad quartum. Sed melius videtur cũ *Lorca*, reducere ad quintũ. Quia id indicant plures authoritates Sãctorum, maximè Ambrosij, qui dicit: *Si non pauisti, occidisti.*

221 His suppositis. Ratio dubitandi est: quia *Origenes tract. 6. in Matth.* apertè docet, non omnia peccata mortalia, esse materiam correctionis fraternæ. Imò sola venialia, videtur, ponere pro materia. Quia dicit, quod Christi D. *Matth. 18.* solum loquitur de peccatis leuissimis, & quæ non sunt mortifera. Præterea, multi excipiũt peccata mortalia publica, vt peccata vsurariorum, & meretricum: nam in istis superflua est correctio: quia ob scandalũ iudicialiter, potius, quam fraternaliter, corrigenda sunt. Vnde à viris timoratæ conscientiæ, aliàs constantes, horũ correctio negligitur: imò Respublicæ prudentium arbitrio permittuntur meretrices, & non corriguntur iudicialiter: ergo neque sunt fraternaliter corrigendæ: quia siuè vno, vel alio modo auferantur, eadẽ inconueniẽtia sequuntur.

222 Præterea; peccata, quibus nos ipsos aliquis offendit, & iniuriæ in nos commissæ, non videntur materia correctionis: tũ, quia possumus iuridice exigere satisfactionem; tum, quia egregiæ charitatis est, & satis arduum, si quis, non solum iniuriam inferenti ignoscat, sed etiam propriæ læsionis immemor, sit salutis lædentis solicitus: quod videtur opus supererogationis; & sic non obligari ad correctionem, sed dimittere sufficit. Deinde: aliqui peccata venialia excludunt à materia correctionis, & non sunt pauci, sed multi grauissimi, doctissimi, & perfectissimi viri: ergo nullum peccati genus est materia correctionis; & consequẽter videtur, inferri, superfluum esse præceptum correctionis. Quibus addo cũ *Suar. disp. 8. sect. 1. n. 4.* quod ferè nullus est, qui corrigat, & nullus est, qui confiteatur hoc peccatum, nec Confessores, de illo interrogãt: ergo signum est, quod omittere correctionem cuiuslibet peccati, nõ est peccatum.

223 Præterea; quia non magis teneor erga proximum, quã ipsemet proximus erga seipsum, sed proximus non tenetur statim, conteri iure naturali diuino; imò neque post multum tempus, sed secundũ aliquos in articulo mortis: ergo nõ multũ vrget præceptum correctionis fraternæ. Atque eius executio, non

non videtur posibilis: quia peccatum, vel est præsens, vel futurum, vel præteritum, & hoc, vel mortale, aut veniale; non quia mortale: alias, nec peccata tot publicè permitti liceret, nec tot in honestos vsus, & consequenter, nec, quia venialia: non quia peccatum est præsens, vel præteritū: quia si est presens, statim non occurrunt circunstātiæ requisitæ ad correctionem; nec prudēter quis potest, statim iudicare, quod vtilitas ex correctione sequatur. Si est preteritū, similiter; tum, quia potest iam esse remissum. Si est futurum, similiter, non potest facilè, sciri, vtrum correctio pro si qua erit peccaturo: ergo ferè nullum peccatum videtur materia correctionis; & consequenter, non multū vrgere correctionis præceptum.

224 Sed his non obstantibus, à Catholica, & Ecclesiæ doctrina, nec minimum est à nobis discedendum. Dico igitur primo: quod omne peccatū mortale ex se, est materia correctionis fraternæ (excusabitur tamen homo à correctione propter aliquas circunstantias; de quo infrà.) Ratio est; quia quodlibet peccatū mortale est grauis proximi miseria: quia inducit animæ interitū, & æternam damnationem. Ita omnes Theologi *Suarez disp. 8. sect. 2. num. 1. Lorca disp. 41. num. 5.* & sequitur ex locis Scripturæ supra relatis *à num. 50.* & ex Sanctis Patribus, quos adducit *Suarez sect. 1.*

225 Dico secundo. Peccata venialia, quatenus venialia sunt, & ex se, non sunt materia correctionis fraternæ: possunt tamen per accidens esse materia. Ita *Adrianus, Abulensis, Armilla, Angel. Palud. Nauarrus, Sylvester, Gabriel, Bañez, D. Antoninus, Azor*, & alij, sequitur *Suarez sect. 2. num. 5.* nec dissentit *Lorca disp. 4. num. 9.* à nostra conclusione sic posita, & sequūtur multi ex modernis, inter quos *N. Castillo disp. 6. q. 3. n. 9.*

226 Et probatur. quia *Matth. 18.* ea sola peccata præcipimur corripere, quorum correctione lucrabimur fratrem nostrum, qui si nostram correctionem non audierit habendus est à nobis, vt ethnicus, & publicanus, sed per solam correctionē à venialibus, non verificatur, quod lucremur fratrem: quia alias potest esse in mortali: neque ex eo, quod non audiat ipse correctionem à venialibus, cēsendus est ethnicus, aut publicanus: ergo, &c.

227 Præterea: qui suadet ad veniale, leuiter peccat, sed qui non corripit minus peccat: ergo omnino non peccat: quia non est nisi duplex modus peccandi mortaliter, aut venialiter. maximè cū tot faciliora remedia sint in Ecclesia ad auferen-

renda venialia. Vnde Bernardus ex illo, *Septies in die cadit iustus*, addit, *& resurgit*. Ac præterea: quia moraliter est impossibile venialia vitare: ergo correctionis præceptum, non se extendit ad venialia per se, & secundùm se.

228 Dico tertio. Peccatum mortale præteritum, ex quo nō imminet probabiliter sequuturum aliud, vel eiusdem rationis, peccatum mortale, si non sit remissum, sed maneat adhuc secundùm maculam, est materia correctionis fraternæ, si sciamus, non esse remissum. Hanc conclusionē tenentur admittere omnes cū *Adriano, Cano, Aragon, Bonacina, & Lorcan.* 13. quē malè citat *Castillo* pro contraria opinione *num.* 2. in medio; tenent nobiscum *Petrus Hurtado de Iust.* 162. *sect.* 8 & alij. Et probatur primo: quia omnes conueniunt, quòd omne peccatum mortale est propria materia, nō alia ratione, nisi, quia est grauis miseria animæ auferens vitam spiritualem ab ea: ergo negare nostram conclusionem, est maxima inconsequentia in doctrina, quàm *Castillus* committit ex *num.* 6.

229 Sed contra hoc obijcit Castillo, ex alijs, quos ipse citat. Quia quis non tenetur corrigere eum, qui audire non tenetur, sed proximus, non tenetur audire; quia non est obligatio statim iustificari post lapsum: ergo nec tenemur corrigere in nostro casu. Et cōfirmatur: quia non tenemur corrigere alios, magis, quam nos ipsos, sed ego non teneor, me corrigere, quia non statim, me iustifico, & recedo à peccato: ergo. Confirmatur secundo: quia finis correctionis est, ne fortè proximus iteret peccatum, sed iste finis in præsenti cessat: ergo, & obligatio correctionis. Aliàs nimis oneroſum, & scrupulosum foret hoc præceptum, si quoties vidimus, proximum peccare, toties teneremur illum corripere.

330 Verum hæc argumenta, vel nihil probant, vel probant, nullum peccatū, esse materiam correctionis, vel solum relinquitur pro materia correctionis peccatum, quod non est, seu miseria, quæ non est, sed quæ futura erit, & hoc non necessariò, sed contingenter, licet infallibilitate morali, quod videtur contra finem virtutis misericordiæ, quæ non tam obligat ad subleuandam miseriam, quæ erit, sed quæ est. Respondeo ergo in forma ad argumentum iactum, negando minorem. Et quando dicit, quòd nemo tenetur, iustificari post lapsum; nego absolutè loquendo: nam si peccatori statim post lapsum occurrat memoriæ suū peccatū practicè, vt detestabile,

tunc tenebitur dolere de peccato. Fateor tamen, ferè semper, non statim proponi hoc; tamen non tollit, quòd statim consurgat obligatio ad se iustificandum, eo quòd statim, ac peccauit consurrexit priuatio iustitiæ debitæ, & se constuit debitorem, & sic tenetur soluere; non tamen imputabitur omissio solutionis debiti, aut detestationis, ad peccatum; quia sibi non fuit sufficiènter propositum, & cum omnibus circunstãtijs peccatum practicè, vt detestabile.

231 Vnde etiã fateor, quòd homo non peccauit omittendo correctionem statim, ac frater peccauit: hoc enim dicendum est, etiam in casu, quòd alterius peccati repetitio adhuc prudenter timeretur; quia in illo statim, possent occurere multa, vnde excusaretur omissio correctionis; maximè, si nobis constet, illud peccatum durare in tali homine per vnam hebdomadam, & quod nobis constet, hominem non pœnituisse, nec Sacramentum Pœnitentiæ accepisse, & nobis practicè prudenter occurrat, esse necessariam correctionem cum omnibus circunstantijs; de quibus posteà in 4. *sectione*. Vnde patet ad primam confirmationem, & ex dictis *Opusculo de Pœnitent. virtut.*

232 Ad secundam confirmationem respondeo: quòd finis correctionis, non solum est præseruare proximum ne cadat in miseria, sed iacentem in ea, subleuare, iuxta illud ad *Galat. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, &c.* Et *Deuteronomij 22. Si videris asinum proximi tui iacentem sub onere, seu cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis, &c.* Vnde *Chrisostom.* ad hæc verba ait: *Peccator est asinus, cecidit pondus animi non ferens, accede, excita eum verbis, & factis lenitudine, & vehementia.* Vnde negatur, hoc esse scrupulosum: quia doctrina est Sanctorum Patrum.

233 Dico quarto: quòd etiã peccata ignoranter commissa sunt propria materia correctionis fraternæ. Ita *Lorca* cum *D. Antonino, Angelo, Syluestro*, & alijs. Et probatur. Nam, vel ignorantia est de re necessaria necessitate medij; & tunc nulli dubia est conclusio nostra: quia tunc homo est in maxima iactura spirituali. Vel ignorantia est de re necessaria necessitate præcepti tantum: & tunc, licet ignorantia excuset à peccato, & à miseria spirituali tamen ipsa ignorantia est malum, & similiter opus factum ex tali ignorantia, quantum est ex se, saltim in quantum habet, esse formaliter fundamentum malitiæ peccati, & quantum ad Prælatos, & illos, quibus aliquo titulo in-

incumbit obligatio alios instruendi, est ita apud omnes receptum, vt nullus de hoc dubitauerit: quod sufficit, vt absolutè sit materia præcepti: quidquid sit; an respectu aliorum sit obligatio.

234 Verum quoad ignorãtiam de re necessaria tantum necessitate præcepti, temperandum est hoc; scilicet, quòd quãdo ex correctione timetur nocumentum, vel damnum, puta scandalum, vel quod admonitus, non propterea desistet ab opere, quod alias ignoranter faciebat sine peccato; tunc non erit peccatum, non corripere, vt tetigimus *Opusculo de Matrimonio*. in casu quòd contrahentes sunt in gradu prohibito bona fide ex ignorantia; vbi omnes dicunt esse malum consilium, admonere de ignorantia, nisi directè inquirant de tali puncto.

235 Ad rationes dubitandi positas *numer.* 224. respondeo; quòd Origenes errauit, vt notat *Suarez sect.* 2. *num.* 4. Peccata autem publica excipi à correctione, negatur; nisi ea ratione, quia in exemplis adductis rarò speratur fructus correctionis; nihilominus tamen Prædicatores tenentur, corripere; & sic, idem dico de peccatis, quæ in Republica permittuntur: non enim eo ipso, quòd Respublica permittit, à correctionis materia excluduntur. Peccatum autem in nos commissum materia etiam est correctionis; quia non solum tenemur diligere inimicos, sed illis etiam benè facere, cum possumus, & potius in spiritualibus; & possumus hæc duo præcepta charitatis, & misericordiæ exercere, & obseruare exigendo nostræ iniuriæ satisfactionem iuridicam; quod non est opus supererogationis, sicut nec est inimicorum dilectio supererogationis opus. Ad illud de peccatis venialibus, iam diximus supra *num.* 58. esse per accidens materia, quatenus possunt disponere ad mortalia.

236 Ad aliud Suarez respondet ibi negando: quia timoratæ conscientiæ viri se accusant de transgressione huius præcepti; & Confessarij, si necessum iudicent, tenentur interrogare; sed quia rarius hæc, obligatio occurrit, & obscurior est, rarius contra illud peccatur; & sic multi excusantur. Ad aliud diximus *numer.* 230. & *Opusculo de Pœnitentia virtute*: & ex dictis satis patet ad totum illud. Ad vltimum respondeo cum *Lorcanum.* 17. negando, quòd voluntariè indigens corporaliter, sit omnino exclusus à virtute misericordiæ; præterquamquod licet peccatũ sit voluntarium, prout in fieri, imò, & prout in conseruari; ta-

men quatenus est contrarium naturæ rationali, inuoluntarium est aliquomodo; & hoc sufficit, vt sit obiectum misericordiæ, & correctionis.

Sectio 2. *Vtrùm correctionis præceptum obliget omnes homines?*

237 SOlis Prælatis, & Superioribus hoc esse impositum, alicui videbitur (quod nulli hucusque visum fuit: quia neque *Glossa*, *Armacanus*, *Angelus*, neque Innocentius id opinati fuere, vt falsò ipsis aliqui imponunt apud *Lorcam disp. 42. num. 1.*) Ex eo quod Christus D. *Matth. 18.* loquebatur cum Petro, qui erat futurus Ecclesiæ Prælatus. Verum hoc improbabile est: quia si hoc valeret, solo Summo Pontifici incumberet corrigendi obligatio: quia Petrus futurus erat Summus Pontifex.

238 Quare apud omnes inconcussum est, hoc præceptum esse generale, & omnes homines adstringere ex locis *num. 50.* relatis: & constat ex illo *Ecclesiastici 7. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.* Ratio autem est euidens: quia hoc præceptum fundatur in ipso lumine naturali rationis, & ex charitate, & misericordia nascitur: ergo adeò est generale, quod infideles cõprehendat. Vnde *Aristot. 9. Ethicor. cap. 3.* dixit; potius esse subueniendum in moribus, quàm in pecunia.

239 Strictiùs nihilominus obligat Prælatos, vt docent omnes ex Sanctis Patribus: nam *Augustin. 1. de Ciuitate, cap. 9.* dicit: *Qua in re* (scilicet in præcepto hoc) *non vtique parem, sed longè grauiorem causam habent, quibus dicitur, sanguinem eorum de manu speculatoris requiram.* Quòd etiam ex ipso luminis dictamine notescit. Vnde omissio huius præcepti in Prælato, erit maius peccatum, secundùm *Caietanum contra iustitiam.* Sed secundùm *Lorcam*, & placet, intra eandem specie cum circunstantijs notabiliter aggrauantibus. Nomine autem Præiati intelligendi sunt etiam Parochi, & Confessores, qui & Sacerdotes spiritualiter præsunt, & etiam possunt intelligi Prælati Sæculares.

240 Difficultas est. Vtrùm peccatores teneantur corripere? Et videbitur alicui, quòd non. Quia *Psalm. 49.* dicitur: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Et ad *Roman. 2. In quo alium iudicas, teipsum condemnas, eadem enim ipse facis.* Et *Matth. 7. Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trauem in oculo tuo non vides? aut quomodo potes dicere, frater sine eiciam festucam de oculo tuo?* Vnde *Aug. serm. 16. de verbis Domini*, ait: *Accusare vitia bo-*

bonorum est officium, quod cum mali agunt, alienas partes agunt; non enim debet aliena vitia corrigere, qui est vitijs subiectus. Ex *Isidoro lib. 3. sentent. cap. 32.* Vnde *Caietanus, Siluester, & Nauarrus*, vt citat *Castillo*: affirmant, quòd non tenentur peccatores, corripere, & quòd peccant, dum corripiunt cõcionando. Sed fallitur *N. Castillo*, quia *Syluester* tale non dixit; & idem existimo de *Caietan. quæst. 60. art. 2.*

241 Omnes igitur, vt notant *Lorca disp. 42. num. 9. & Suarez disput. 8. sect. 4. num. 6.* affirmant, peccatores, per se loquendo, esse hoc præcepto astrictos. Nam si peccator sit secretus, & non publicus, correctio eius potest esse profiqua, & nullo modo scandalosa: si autem sit publicus, poterit esse profiqua correctio, si fiat cum humilitate. Sed quoniam difficile est, istum modum seruari à peccatoribus, & rarissimè publici peccatoris correctio potest esse vtilis, frequenter, & regulariter excusantur tales. Sed mihi dicendum venit, quòd si sua peccata practicè, vt detestabilia, suæ memoriæ occurrerunt, & simul obligatio corripiendi, peccabit si non corripiat se prius per pœnitentiam internã, & deinceps proximum. Ita consequenter loquimur cum dictis *Opusculo de pœninent. virt.* & docet *Diu. Thom. in 4. distinct. 19. Ricard. Paludan. Sotus, Nauarrus*, & alij apud *Suarez numer. 7.*

242 Ad authoritates *n. 240.* allatas respondet optimè *Lorca num. 10.* quòd in illis docetur illicitam esse correctionem à peccatoribus, quatenus fit ab eis superbè, non recta intentione, vel cum scandalo, vel imprudenter negligendo propria peccata, & curando de alienis, quæ omnia non auferunt obligationem corripiendi, sed potius tunc instat obligatio corripiendi: *Congemiscendi*, vt ait *Augustin. lib. 2. de serm. Domini, cap. 30.* atque vt inquit *Sanct. Thom. Non obiurgando, sed congemiscendo, & ad pariter cauendum inuitando, hoc est enim alter alterius onera portare, vt sic adimpleamus legem Christi.*

243 Sed inquires primo Superior peccator poterit iudicialiter corripere? Respondetur cũ Caietano apud *Lorcam num. 14.* quòd licitè potest, si iustè iudicet: tamen ratione scandali peccabit. Et hoc modo intelligo *D. Thom.* & mihi videtur difficulter posse huiusmodi correctionem separari à peccato.

244 Inquires secundo. Hæretici sunt corripiendi? Aliqui negarunt, quod teneamur, infideles corripere. Ita sentire videtur *Iansenius, & Caietanus*, in illud *Matthæi 18.* quia non sunt fratres. Expressiùs tamen *Abulensis* hoc defendit *quæst. 91.*

Communis tamen sententia affirmat, & oppositum defendit; & sequitur ex hucusque dictis. Fateor tamen, non posse cum eis seruari totus ordo correctionis (loquor de infidelibus, non hæreticis) quia cum non sunt subditi Ecclesiæ, non possunt deferri ad Prælatos. Vnde, solos fideles esse corrigendos, quia ipsi soli videntur fratres, iudicat *Lorca*, licet non omnino se determinet, loquendo tamen de infidelibus hæriticis videtur obligatio corripiendi: quia per caracterem baptismalem, fundamentaliter sunt fratres.

245. Inquires tertio. Sunt corripiendi Prælati? Communis sententia affirmat, corrigendos esse. Quia ratio Prælati, non minuit obligationem, sed potius est circunstantia, quæ sicut auget peccati miseriam, etiam auget correctionis obligationem. Reuerentia tamen maxima vtendum est in eorum correctione, vt Sacræ Literæ admonent. Neque quelibet persona audeat, eos corripere. Nam Prælati corripiendi sunt à personis, licet inferioribus, proportionatæ authoritatis. Neque vnquam licet, publicè corripere eos ex *Decreto Innocentij III. cap. cum ex iniuncto de hæreticis*: *Cum aliud sit fratrem peccantem occultè corripere, aliud Patrem suum delinquentem reprehendere manifestè, quod vtique nulli licet, secundùm Euangelicam veritatem.* Excipe tamen, si peccatū superioris publicum sit, & in cōmunitatis detrimentum vergat: tunc enim exemplum dedit nobis Paulus, qui Petrum reprehendit, vel Petrus, qui permisit reprehendi à Paulo.

Sectio 3. *Vtrùm ordo correctionis præscriptus Matthæi 18. sit sub præcepto?*

246 CRristus Dominus viam scandalis occludere intendens *Matth.* 18. nobis hanc medicinam scriptam reliquit: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum, & adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

247 Quæ verba consilium tantum continere, & non præcepti obligationem circa obseruantiam ordinis præscripti in eis, asseueranter docuit *Salmeron tom. 4. in Euangelia, tract.* 17. qui ad literam transcripsit N. Doctissimum sua eximia virtute venerandum Patrem Bernardinum de Areualo; qui serioso, & eleganti stylo primitus hanc opinionem tenuit, seclusis notationibus, quas in margi-

gine posuit Salmeron. Sequuti sunt postea alij Recentiores, ex Societate Illustrissima Iesu, vt *Petrus Hurtado disp.163.§.207.* citatur *Sotus de tegendo secreto, memb.2.q.1.concl.4. N. Ouandus 4.distinct.19.prop.100.* atque *Diu. Bonauentura super Lucam, cap.17.*

248 Magister verò Petrus de Lorca cõtra sentit, scilicet hunc ordinem obligatione præcepti obseruari debere: ita quòd oppositum appellet pernitiosum dogma; quod, licet eruditione maxima connetur ostendere, omnes tamen, minus benè fecisse, ita censurando, dicunt, & excessisse affirmant; quoniam prima sententia probabilis est, sed communior ista Lorcæ, quam ferè omnes tuentur cum *Diu. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. & 8.* Tenent Ricardus, & ex Societate [illegible] omnes benè sentientes: imò ferè omnes ex eis oppositam malè ferunt. Videatur *Valencia disput.10 punct.5. Ægidius disput.28.dub.8. Torres disput.89. dub.1. Granados disput.5.sect.2. Hurtad. Complutensis disput.6.diff. 13. & Suarez disput.8.sect.6.numer.2.*

249 Pater Frãciscus del Castillo ex nostris, quasi componere vult istas in re tanti momenti contrarias sententias, dicendo; quòd Christus Dominus dictis verbis constituit, vt Magister correctionis ordinem, quem alias præceperat. Sed perperam hoc dicitur: quoniam si Christus Dominus non præcepit hic, sed constituit ordinem, absolutè cõsilium est, tali ordine procedere: quoniam nullibi probatur, talem ordinem præcepisse: & si est aliquis, locus eandem, & maiorem difficultatem habet, quam præsens. Vnde in alia impressione melius sentiet, vnam ex relatis sententijs si eligat; quia hæc sua præsens audienda non est.

250 Tota igitur oppositionis ratio illarum sententiarum in eo sita est, quòd Authores primæ viæ affirment; licitum esse, deferre peccatum fratris ad Prælatum, nulla secreta præmissa monitione; & hoc indistinctè loquendo de peccatis, siuè sit occultum, siuè publicum, siuè sit in damnum commune, siuè ita non sit. Authores verò secundæ viæ cum distinctione loquuntur: & de peccatis, quæ non sunt publica, dicunt, non licere, ea priùs deferre ad Prælatos, si non præcesserit admonitio, vel correctio secreta; de peccatis autem publicis, aliter loquuntur: imò de secretis, quæ cædunt in grauissimum Reipublicæ detrimentum, scilicet, non esse necessaria correctionem secretã præmitere, dicunt. Ita Suarez, & relati pro secunda opinione.

251 In præsenti ergo à nobis,

nulla ex his duabus sentētijs improbanda est, sed solum vtriusque fundamenta expendemus, vt pensatis ipsis, pro vestro placitu illam vnusquisque se ligat, quæ fortiori, & robustiori nitatur fundamento. Primæ igitur sententiæ fundamentum sic se habet. Quoniam ferè nullus, inter tot totius Ecclesiæ doctissimos, perfectos, & timoratæ conscientiæ viros, se accusat de omissione, obseruationis ordinis huius in corripiēdo. Et confirmatur; eo quod in grauissimis Ecclesiæ Dei Religionibus, quales sunt Prædicatorum, Iesuitarum, & fratrum Minorum, fuere, & sunt (maximè in Societate Iesu) constitutiones præcipientes peccata fratrum, quæcumq; illa sunt deferri ad Prælatos statim, & immediatè, omisso primo, & secundo gradu prefati ordinis *Matth.* 18. cui statuto maximè cōsonat Dominorū Inquisitorū edictū publicū prēcipiens, vt immediatè denuntietur Ecclesiæ peccatū, etiam licet nō sit cōtra bonū cōmune adhuc quāuis sit occultū. Et non minus fauet Sūmorum Pontificū decreta: maximè *Greg. XV.* vbi præcipitur, quòd peccatum solicitationis, qualecumque sit, immediatè deferatur ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, nulla præuia secreta correctione, & idem habent *Clemens VIII. & Paul. V.* in suis constitutionibus: ergo verba illa *Matth.* 18. nullam ex præcepto obligationem imponunt, sed solum ex consilio, quantū ad ordinē ibi prēscriptum. Aliàs dicēdum foret, grauissimè peccare tot totius Ecclesiæ viros perfectos, omittēdo talem ordinē, & nō se accusando de tali omissione; grauissimas, & Sanctissimas illas tres Religiones, quæ sine dubio maiorē totius, & præstantiorem Ecclesiæ partem cōtinent; Sanctissimæ Inquisitionis Tribunal: Summosque, & Sanctos Pontifices, esse contra præcepta Euangelij; quod non est facilè concedendum: ergo prima sententia firmissimo, & solido nititur fundamento.

252 Respondebis cum Authoribus secūdæ opinionis: quòd viri docti, qui obligationē hanc nō ignorant, se accusant de omissione huius ordinis in corrigendo: quamuis verum sit, quod propter rarissimas occasiones in quibus obligat, & ex naturali obliuione obseruatio talis ordinis appareat, quasi non experta. Ad illud de tribus Religionibus statutum; dicunt, illud statutum, solū loqui de peccatis, de quibus non est spes emmendæ, vel quia Religiosus renuntiauit iuri suo, & famæ suę, vt bonum cōmunitatis seruaretur illæsum: & sic in Religionibus non opportet talem ordinem obseruare; non verò loquuntur statuta, de omni peccato. Ad edictum Inquisitionis, aiunt, quòd loquitur de peccatis, de quibus adest publi-

blica infamia, vel sufficiens rumor in communitate: non verò quando peccata sunt secreta. Ad decreta autem, & Bullas Pōtificum non video, quid respōdeant. Bulla enim Gregorij XV. ita strictissima est, vt nisi Authores oppositæ opinionis dicant, talem Bullam nullius esse valoris, non video, quid respōdere possint. Legite ipsam Bullam (ad quod omnes confessarij habent obligationem) & videbitis, quomodo firmissimè stat pro ista prima opinione.

253 Secundo ista prima sententia fundatur. Quia in verbis *Matt.* 18. nullum est verbū præceptivū talis ordinis: ergo. Antecedens probatur primo. Quia si aliquod verbum præceptivū esset, foret illud, *vade, corripe, adhuc, dic*, quæ sunt modi imperatiui, sed verba modi imperatiui, non semper denotant præceptum: aliàs innumera forent præcepta in Euangelio, quæ tamen secundum omnes, tantum sunt consilia: ergo. Et cōfirmatur: quia plura sunt Sanctorū PP. testimonia exponentia relata verba Matthæi de consilio, & non de præcepto. Nā Augustinus in regula ait: *Sed antequam alijs demonstretur, per quos cōuincendus est, si negauerit, prius Præposito debet ostendi*: vbi inuertit Ordinem Augustinus; nam dicit prius Prælato, quam testibus. D. Bernardus in *Luc.* 17. ait: *Talem ordinē, non necessitatis, sed congruitatis*. Et posse prętermitti, ita vt prius deferatur peccatū ad Prælatum. Confirmatur secundo. Quia in sacra Scriptura inuersus ordo præcipitur *Leuit.* 5. *Qui audierit vocē iurantis falsum, statim indicet crimen iudicibus*, & 1. *ad Timot.* 5. *Peccantes corā omnibus argue, vt & cæteri timorē habeāt*; & *Leuit.* 19. *Ne oderis fratrē tuū in corde, sed publicè argue eū*: ne ergo dicamus Scripturas sacras oppoui, dicendū est, verba Matth. solū consiliū cōtinere, & nō præceptū circa ordinē ibi scriptum.

254 Cōfirmatur tertio. Quia præceptū, aut lex non est de singularibus, sed ista verba Matthæi solū sunt de singulari peccato; quod secretè fit (quia de peccatis publicis, & de peccatis etiā secretis, quę in cōmune dānū vergūt, iā fatentur Authores secūdæ sentētiæ, non esse necessariū obseruare hunc ordinem) imò aliqui SS. PP. (qui relata verba, cōtinere præceptū, videntur affirmare) intelligunt non de quouis peccato indifferenter, sed de peccato cōmisso contra nos, & de persona læsa tali peccato; qui Patres sunt Chrisostomus, Theophilatus, Euthimius, Hilarius, Ambrosius, & Hieronymus; quasi meo videri, velint Patres, quod si aliquod præceptū cotineatur in verbis Matthæi, non est in seruādo ordine, sed in eo, quod non sumamus

per

per nos metipsos vindictam de iniuria contra nos commissa, sed vindicta, & punitio, si illam voluerimus, reseruata est Prælatis, & Iudicibus.

255 Confirmatur quarto: quia in lege Euangelij nullum est præceptum positivum, exceptis præceptis Sacramentorū: quia cætera, quæ ibi præcipiuntur ex naturali lege præcepta sunt, & debita: ita quod in lege veteri etiam obligabant, sed in lege veteri talis ordo, non obligabat ex obligatione præcepti: quia nullibi de eo fit mentio: imò potius *Genes.* 36. Ioseph accusauit fratres apud patrem crimine pessimo, sine præuia admonitione secreta, & non peccauit: atque Petrus *Actorum.* 5. Peccatum Annaniæ, & Saphiræ secretum, nulla secreta correctione præmissa, manifestauit coram alijs, & puniuit: & Paulus corripuit Petrum sine secreta monitione: ergo nos non debemus ponere præceptum, vbi satis expressum non est. Nō enim est verò simile, Christum Dominum hunc ordinem sub præcepto præscribere; cum talis ordo sit grauis, difficilis, obscurus, & in quo viri peritissimi vix aliquid certum valent pronuntiare; & sic eius executio difficilis fit ab omnibus.

256 Respondebis cum Authoribus secundæ sententiæ ad totum hoc secundum fundamentum: negando antecedens. Quia licèt illa verba modi imperatiui indifferentia sint, & possint trahi interdum ad consilium; tamen illud verbum *corripe* ex natura eius quod significatur (videlicet correctio fraterna) præceptivum esse declarat, non solum correctionis, sed ordinis eius. Augustinus enim, loquitur ibi de demonstratione peccati ad Præpositum, tanquā ad patrem, quæ ad secundum gradum correctionis spectat, non verò, tāquam ad iudicem, quæ est in tertio gradu. D. autē Bonauentura, loquitur in casu particulari pro diuersitate loci, & temporis, & aliarum circunstantiarum: ad secundam confirmationem dicitur; sub intelligendum esse ibi in talibus locis, ordine correctionis seruato, & Paulus loquitur de publicis peccatoribus.

257 Ad tertiam confirmationem dicitur, verum esse, sermonem esse hic de peccato in nos commisso; non tamen per hoc lex est de singulari: quia omne peccatum, quantumuis secretum, & coram me factum in me, & contra me fit ratione scādali, & occasionis ruinæ spiritualis, teste *August. serm.* 16. *de Verbis Domini.*

258 Verum; quare (cum correctionis præceptū ad omnia peccata publica, & secreta se extendat) in præsenti restringa-

gatur, quantum ad ordinē corrigendi, ad sola peccata secreta, & non se extendat ad omnia alia peccata, sed ab isto ordine excipiantur publica, & multa secreta? Non satis componitur ab Authoribus secundæ sententiæ, eo intendentes probare, hunc ordinem esse in præcepto in dicto loco *Matth.* 18. quia nō alijs verbis correctio, quam ordo in ea seruandus traditur: hoc enim si ita esset, vel præceptum correctionis tantum respiciet peccata secreta, vel ordo ibi præscriptus etiam se extendet necessariò ad peccata publica; quod totum ab eis non conceditur: imò *Lorca*, qui passim in primam sententiam acrius invehitur, *disp.* 41. tenens præceptum correctionis se extendere ad venialia, postea *disp.* 47. *num.* 5. asserit circa venialia hūc ordinem, non in esse præcepto, quod totum inconsequenter valdè est dictum.

259 Ad quartam confirmationem Authores secundæ sententiæ dicunt: hoc præceptum esse de lege naturæ propter conseruationem famæ, & honoris proximi, sed explicatius traditum in lege Euāgelij. Verū illud de Ioseph, de D. Petro, & de Paulo, difficile videtur. Lorca dicit, quòd Ioseph facilè potuit credere suam correctionē, non fore pro futuram fratribus propter odium in ipsum conceptum: & quod Beatus Petrus fecit illud instinctu Spiritus Sancti præferendo communē vtilitatem priuatæ. Sed inquiro, cur id non etiam potest existimari, accidisse in statutis Sanctissimarum Religionum stabilitis? vt ex inde appareat, Lorcam minus benè, & attente censuisse improbabilia earū statuta: quod sine temeritatis nota dici non potuit.

260 Vidistis primæ sentētiæ fulcimenta. Iam secundæ sententiæ fundamenta inijciamus. Quoniam Christus D. præfatis verbis tradidit vniuersale correctionis præceptum: ergo sub illo præcepto prædictus ordo præscribitur. Antecedens, præ alijs acriter, probat eruditissimus *Lorca disp.* 46. *à num.* 6. Primo: quia vna eademque sententia, ac serie verborum commendatur correctio, & dimissio iniuriæ, sed dimissio iniuriæ ibi cadit sub præcepto: ergo etiam correctio ibi generaliter præcipitur. Secundo ex vniuersalis Ecclesiæ totius vniformi expositione, & intelligentia Theologorum, iurisperitorum, & summistarum à Sanctis PP. accepta pro quo citantur *Anselmus, Remigius, Rabanus*, sed expressius *Hieronymus epistola ad Rusticum, circa finem*, loquendo de omni peccato addit. *Præcepit Deus peccantes in nos argui debere secreto, vel adhibito teste; & si audi-*

dire noluerint, deferri ad Ecclesiã: sequitur Basil. regula breuior. interrogatione 47. dicens: *Nunquid aduersus peccantes dissimulatione vti conuenit? sanè, quod hoc fieri non debet, conspicuum est ex præceptis Domini, Matth. 18. Et in regula Monachorum cap. 9.* ait: *Vt pareamus Domini præcepto, scilicet, si peccauerit in te, &c.* Tertio ex ipsa natura rei, quæ indicitur: nam, vt supra ostensum est, corripere præceptũ est iure naturæ, & diuino, sed hic indicitur correctio: ergo Christus D. hic, vniuersali correctionis præceptum statuit.

261 Cõsequentia, inquit Lorca, non eget probatione ostenso antecedenti: quoniam non alijs verbis correctio traditur, quam ordo in ea seruandus, sed correctio traditur sub præcepto: ergo etiam ordo. Vnde eadem argumenta, quæ antecedens stabiliunt, etiam statuunt consequẽtiam. Quibus adduntur *Chrisost. homil. 62. in Matth.* dicens: *Inter duos solummodo redargutionem fieri, iubet, ne testimonio multitudinis grauiori accusatione visa dedignetur ille duriorem se ad corrigendum præbeat; ideò, dico inter se, & ipsum solum*: vbi notandum est ly *iubet*, *& August. sermon. 16. de verbis Domini*, ita loquitur. *Qui autem passus est, quid debet? Quod audiuimus hodie: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum*: & recensitis alijs gradibus, ait: *Si neglexeris, peior es illo, qui iniuriam facit; hoc ergo audiuimus Dominum, ita monentem, & tanta cura præcipientẽ.* Item *Gregor. Papa IV. registri epist. 36.* in fine dicit: *Et nos quidem seruamus, quod veritas præcipit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Et Innocentius III. in cap. nouiter de iudicijs*, ait: *Ipse circa eum in correctione processit secundum regulam Euangelicam, & tandem, quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ*: idem habet *in cap. cum ex iniunct. de hæreti.* & similiter *Alexander IV.*

262 Ad hoc argumentum respõdent Authores primæ opinionis, maximè Puente Hurtado, negando antecedens: nam Christus D. ibi loquitur de speciali peccato iniuriæ, vt expressè volunt *Sancti August. serm. 16. de verbis Domini* dicens: *Tu vulnus fratris contemnes peior es tacendo, quam ille conuiciando*: loquitur ergo de cõuicio; & patet, quia addit: *Quando igitur in nos aliquis peccat, habeamus magnã curã, non pro nobis (nã glorioſum est, iniuriam obliuiſci) ſed obliuiſcere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui: ergo corripe eum inter te, & ipsum solum.* Idem habent *Chrisost. Ambro. Theophilatus, Euthimius, Hieronymus, & Hilarius*, teste *Lorca*: quibus addo *Glossas ordin. & interlin.* vbi vigintiquinque Commentatores affert *Mendoza, §. 197.* ita intelligentes: ly in-

in te, ideſt contra te, debere intelligi de peccato iniuriæ, & conuitij ſpeciali, & non de omni peccato.

263 Ad probationem antecedentis reſpondet *Hurtado* §. 214. retorquedo argumentum: quia eodem tenore verborum, hic præcipit Chriſtus, & indicauit condonationem politicam, ciuilem, & externam, & iſta nō tenemur dare ſemper, & ſtatim: ſicut illam; & ſic verbum illud *corripe*, non eſt hic præceptivum (quidquid ſit aliàs, quod fatemur) reſpectu materiæ ſpecialis corripiendæ, quoad correctionem, & modum eius, ſed ſolum quoad dimiſsionem, & internā condonationem vindictę illatę. Nam idem verbum, in materia de neceſsitate præcepti, ſonat præceptum, & in materia ſuper erogationis, ſonat conſilium; vt etiam tuetur *Lorca* 3. *part. diſp.* 53. *num.* 11. & eleganter confirmatur ex *Nicolao III. in cap. exit, qui ſeminat de verborum ſignificatione in* 6. vbi promiſsionē noſtram, quam nos fratres Minores facimus in profeſsione toto tempore vitæ noſtræ ſeruandi regulam, & Euangelium, tam quoad præcepta, quàm quoad conſilia, explicat, & declarat Pontifex pro qualitate materię: ita quod reſpectu materiæ præceptæ noſtra promiſsio obligat ſub præcepto, & reſpectu materiæ conſilij, ſolum obligat ſub imperfectione, & non plus, quā ipſum conſilium.

264 Ad ſecundam probationem reſpondetur: quod etiā ſunt de Eccleſia S. Bonauentura, & alij Sancti pro prima ſententia relati; pro qua faciunt omnes illi, qui, ly *in te* apertè exponunt de peccato iniuriæ, & conuitij, & alij de peccato digno excommunicatione, vt dixit N. Bartholomæus de Piſa. Sæpè enim præceptum vſurpatur pro conſilio; vt etiam docet *Lorca* 3. *part.* citatus: & ita plures Sancti, qui videntur explicare illa verba *Matth.* 18. intelligendi ſunt, quod ſumant præceptum pro conſilio. Ad tertium reſpōdetur, quod licèt aliàs correctio ſit præcepta iure naturæ: tamen ex prædictis verbis *Matth.* 18. cum ſingularia ſint, & circa vnā ſpeciem peccati tantum, non poteſt colligi, generale præceptum hic, & nunc ſtabiliri à Chriſto D. aliàs nullum peccatum, niſi iniuria, & graue conuitium in nos commiſſum, & contra nos factum, & hoc ſecretum, eſſet materia correctionis fraternæ.

265 Ad probationem conſequentiæ reſpondebis: quòd antecedens non eſt probatum: & ſic cum non probetur, correctionem in præfatis verbis cadere ſub præcepto non probatur, ordinem illum ſub precepto ſtrictè, cadere. Ad Chriſoſtomū, &

& Augustinũ respondetur; quòd sumant præceptum pro consilio: vel si strictè interpretentur de præcepto, est respectu propriæ materiæ scilicet, in quantum nõ sumamus vindictam de offensa in nos illata; sed si vindicari volumus, reseruemus illam Prælato, seruando gradus illi positos ad publicam delationẽ, non verò ad secretam, tanquam ad Patrem.

266 Quantum attinet ad Gregorium Magnum respondetur; non loqui ad propositum Patris Lorcæ; sed ibi agitur de delicto famoso, & iniurioso, sedi Romanæ Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani, cõtra quẽ procedebatur iuridica delatione, & iudiciaria accusatione publica. Similiter *Innocentius III.* agebat de violato publicè iuramento publico à Rege Franciæ: & sic procedebatur iuridice, & delatione publica iudiciaria; quod longè diuersum est à nostra difficultate, & controuersia. Quare hic videtur, in eruditionis veritate Lorcam defeciſſe. Sed quod magis mirum est, quod Lorca allegat Alexandrum III. qui nunquam tale dixit: Textus ergo ille, est Innocentij III. sed non verba ipsius, quasi ipse tale sentiendo dixerit: nam illa dixit referendo, quæ dicebat Abbas Pomposianus Sceleſtus; qui conquerebatur, eo quod non fuerit cum charitate occultè correptus, prius quam etiamẽ suum deferretur ad Papam, vt ad iudicem.

267 Secundo fundatur ista secunda sententia ratione; & ex ipsa natura rei. Quoniam ex fine charitatis, secundum rectam rationem hic ordo est debitus, vt conuenienter occurratur morbo, & correctionis medicina fructum afferat. Ita enim procedere, est ab extremo, ad extremum per medium: ergo prius tenemur, secretè inter nos corripere, vt seruemus famam proximi: quod si illa secreta non sufficiat, præferendum est commune bonum priuato, & sic coram testibus corripiatur: & si hoc remedium non sufficiat, corripiatur coram Prælato.

268 Ad facilè respondetur: verum esse ex generali regula charitatis, & præcepto eius, sumendum esse modum, & ordinem procedendi in correctione: primo; ita quod bonum commune præferatur priuato. Secundo: quod salus spiritualis proximi præferatur illius famæ. Tertio; quòd fama proximi semper est seruanda, quantum fieri potest, sine damno communis boni, & absque detrimento spiritualis salutis: sed hoc tantum vrget in correctione iudiciaria, non verò in correctione priuata, & secreta; in qua illum præscriptum ordinem

à

à Christo Domino, *Matth.* 18. inuertere nō est peccatum. Quia respectu huiuscorrectionis priuatæ, ille ordo congruitatis, & nō necessitatis est, ex D. Bonauentura, & multis alijs Sanctis.

269 His ita in sua probabilitate relictis, quibusdam conclusionibus, præsens difficultas à nobis resoluenda est. Sed pro illis nota; quòd correctio altera est iudiciaria, qua, comperto crimine, probato testibus, & rei confessione, vtitur iudex, ferendo sententiam, & taxando pœnam. Altera verò est priuata, quæ communiter dicitur paterna, qua superior, sine testium strepitu, sine taxatione pœnæ, & sine sententia, vtitur occultè monendo peccantem, vt resipiscat, cuius crimen nemini indicat, nisi cui fortè necesse sit ad emmendationem. Nota secundo, tres propositiones, in quibus, nemine dempto, omnes firmiter conueniunt. Prima: *Quando frater emmendari potest correctione priuata, & secreta, non est adhibendus testes aliquis, nec alicui crimen est indicandum.* Quia sine necessitate alicuius famam lædere, est contra ius naturale. Secunda: *Spiritualis salus peccatoris præferenda est ipsius famæ; ita, vt deferatur crimen ad alios, & superiorem, quorum diligentia, & opera emmendatio speretur.* Quia famæ iactura est minus malum, quam ruina spiritualis. Tertia: *Bonum commune est præferendum priuato; ita quod amittenda sit fama peccatoris. Si componi non potest cum bono communi.*

270 Sit ergo prima conclusio. Quando quis desperat delinquentis emmēdam, per monita secreta, eam tamen sperat per delationem secretam paternam, tenetur deferre crimen, vt sic frater corrigatur. Hæc conclusio, non alia ratione probatur; nisi illa, qua probatur esse præceptum correctionis proximi. Conueniuntque omnes in ea. Quia si proximi morbo mederi non possit, medio, quod aliàs esset suauius applicari debet efficatius: ergo. Idem dicendum est, quando quis legitimè excusatur ab immediata secreta monitione, verbi gratia, si exinde sequuturum foret graue damnum corripienti; tunc tenemur, adire Prælatum: quia cum minimo damno proximi, & meo teneor subuenire proximo. In Religione autem facilius potest quis timere probabiliter, aliquod damnum sibi ad futurum ex correctione secreta; & frequentius potest, desperari delinquentis emmenda per monita secreta: quæ tamen non desperatur per delationem secretam ad Prælatum, tanquam ad Patrē. Vnde ex illa cōclusione, non leuiter infertur sexta conclus. n. 282. ponend.

Addo

271 Addo. Quod si non potest quis assensum probabilem formare sua secreta monitione fratrem emmendandum fore; efformat tamen assensum, illum emmendandum iri per Prælatum: tunc tenebitur adire Prælatum. In Religione autem ferè semper, & frequentius, non possumus assensum probabilem efformare monito secreto fratrem fore emmendandum. Verum si quis speret, delinquentē emmendandum iri monito suo secreto, quamuis non tam benè, quàm per Prælatum, sed tamen absolutè emmendabitur; tunc, non tenebitur adire Prælatum: & absolutè ita magis oportebit fieri in talibus occasionibus; nisi sint maximæ coniecturæ, quod illud, non est primū peccatum, sed quod alia fuerint commissa.

272 Sit secunda conclusio. In dictum ordinem, *Matth.* 18. ita obligare per se loquendo, quod in materia graui, sine necessitate, vel ex aliqua circūstātia honesta, præteriri, non potest, sine peccato mortali; ita, vt fas non sit ad superiorem deferre crimen occultum, etiam, vt ad Patrem, nisi præmissa monitione secreta. In hac conclusione omnes conueniunt apud *Thom. Sanchez tom. 2. summæ lib. 6. cap. 18. à num. 44.* Et prætercitatos supra pro secunda opinione, etiam cōueniunt Authores primæ sententiæ, *Salmeron tom. 4. part. 3. tract. 9. Petrus Hurta. disp. 163. sect. 2. §. 7.* qui plures refert, atque *doctissimus Bernardinus de Arcualo*, manifestè in ea conuenit: quia reuera ipse solum tenet, quod *Matth.* 18. non traditur præceptum generale corripiendi obligans sub peccato; quod longè diuersum est ab hac conclusione: ipse enim minus malum præferendum esse, tenet; & consequēter seruandum ex natura rei, siue iure naturæ, & charitatis, per se loquendo, illum ordinem, vbi in singulis occasionibus fuerit aptior ad corrigendum fratrem sine vlla famæ iactura.

273 Et probatur; ex illis principijs naturalibus; *Quod tibi non vis alteri ne feceris: diliges proximum, sicut te ipsum: omnia quæcūque vultis vobis fieri ab alijs, hæc illis facite.* Si enim Medicus infirmi morbo mederi, leui farmaco possit, nihil detrimēti allaturo, illud adhibere tenetur, & non potest omnino licitè, applicare aliud, aliquid detrimenti causans: ergo quando proximi spirituali infirmitati mederi, possumus correctione secreta, & priuata, non est licitum, per se loquendo, deferre crimen ad Prælatum, ex quo sequitur detrimentum infirmo, & ferè semper læsio grauis. Argumenta autem N. Arcuali, non procedunt loquendo per se, sed in alijs ca-

casibus singularibus, & qui multoties in Religione occurrunt, & quantū ad an ex verbis *Matthæi* 18. id præcipiatur, nec ne.

274 Sit tertia conclusio. Hæreticus dogmatista, aut qui est acris ingenio, & aptum Sathanæ instrumentum, deferendus est cum primum posit ad iudices fidei, vt illi, siue iuridicè, siue paternæ prouideant: Neque est opus secreta aliqua monitione. Conueniunt omnes in ista conclusione. Et probatur: quia hic semper præponderat, prudenter loquendo, & attento recto rationis dictamine, bonum commune. Nam huiusce hominis genus, peiores sunt Dæmonibus ad decipiendos homines, & vt cancer serpunt. Et si obijcias; quòd ad *Timoth.* 10. dicitur, quòd hæreticos vitemus post primam, & secundam monitionem: ergo hæretici, no excluduntur à secunda conclusione. Respondetur; quòd Paulus loquitur de non omnino pertinaci. Secundo respōdetur, quòd Apostolus loquebatur cum Tito, & non cum omnibus personis priuatis.

275 Dices: Cum hæretico seruandus est, per se loquendo, ordo correctionis prædictus: ergo per se præmittenda est monitio secreta. Pater Salmerō negat antecedens: quia hæreticus non est frater. Sed melius respōdetur concedendo totum argumentum, per se loquendo. Tamen, quia cum hæretico cocurrit maius bonum, quod est cōmune; ideò propter hoc accidens præferendum est bonum commune famæ ipsius hæretici: quia, sine detrimento istius; mederi non potest communitati.

276 Sit quarta conclusio. Omnis hæreticus, quacumque ratione talis sit, est deferendus cum primum cognoscatur, extra confessionem, in Prouincijs Hispaniæ. Hæc conclusio probatur. Quia de istis non potest prudenter esse spes probabilis de emmenda ex correctione secreta: & aliàs prudentèr timemus, alijs esse noctituros: ergo cum istis prætereundus est ordo correctionis. Præterquamquod sufficienter quilibet eorum est præmonitus per pœnas excommunicationis, & per alias pœnas ab Ecclesia impositas, vt coerceat hæreticos: ergo quos non terret Ecclesiæ solicitudo horrenda, minus pro futura erit priuati hominis secreta admonitio; illam certè irridebit, sicut contemnit Ecclesiam, & ne vivus comburatur, facilè se finget fidelem.

277 Dices: Potest quis esse hæreticus materialiter, ignorans se ab Ecclesiæ Romanæ sensu deficere: cur ergo iste se-

certè, non est corripiendus, antequam ad Sanctum Tribunal deferatur? Respondeo cum Salmeron, Mendoza, & multis alijs, quod iste non est deferendus, sed prius instruendus est: si tamen post bonam instructionem perseueret, deferendus est ad Tribunal Inquisitionis.

278 Dices: Hæreticus occultus, quem certo scimus, deposita hæresi, reddijsse ad Ecclesiam, deferendus est ad Inquisitionem? Affirmat Suarez stando iure positiuo, sed negat per se loquendo ex iure naturæ. Sed *Toletus lib. 5. cap. 57. Sotus, Sà, Nauarrus, & Petrus Hurtado* absolutè negant, adhuc stante iure positiuo. Imò addunt posse non denuntiari hæreticum, quē satis prudenter speramus, recessurum esse ab hæresi occulta ad fidē monitione secreta, sine delatione ad Tribunal illud. Quia in talibus casibus cessat finis legis positiuæ, & instat ius naturale, & ordo correctionis per se ex omni parte.

279 Nam quæro, quid cōtendāt denuntiās? certè, vt resipiscat, & exeat à peccato frater: ergo si ante denūtiationē exijt, vel satis prudenter speratur exiturum, vt quid non est ipsi tamæ consulēdum. Dices: ergo hæreticus publicus, si sit iam emmendatus, non erit deferendus. Respondeo negando consequentiam: quia hæreticus publicus, iam se diffamauit, & sic per denuntiationē nulla ei irrogatur iniuria, & aliàs cōmunitas clamat pro satisfactione, vt illæsa permaneat. Vide *Mendozam sect. 3. à n. 29.*

280 Inquires. Licebit in aliquo casu, hęreticum formalem, prius corripere secreto, & non denuntiare? negāt Arevalo, Suarez, Salmeron, Lorca, & Azor, apud *Mēdozā §. 34.* sed affirmat expressissimè *S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7.* quem malè interpretatur *Lorc. disp. 47. n. 24.* consentiunt cum *D. Tho. Ricard. Antonin. Sotus, Nauarr. Palud. Abulens. Syluester, Adrian. N. Castro,* & plures alij apud *Lorc. n. 22.* quibus nos subscribimus in rarissimo euētu, quādo corripiēs, sit vir magnæ authoritatis, & doctrinę, aut ita coniunctus sanguine ipsi hæretico, quod sui diligentia sit recipiendus in meliorem frugem. Ita *Mendoza n. 36.* Quamquam in Hispania id impossibile appareat, vbi diligētissimè fidei causæ tractātur: & sic no potest quis prudenter existimare, quod sua correctione secreta desistat ab hæresi hæreticus, cum efficatior sit diligentia Sāctæ Inquisitionis quacūque correctione priuata.

281 Sit quinta cōclusio. Si Pater moliatur Patriæ perniciem, nec potest secreto reuocari, quā denuntiatione, denuntiādus est à filio, nulla secreta monitione præ-

præmissa: quia bonum cõmune debet præferri priuato. Videatur *Nauarro cap. 4. n. 13. v. 7.* Vnde multo magis id verũ est de alijs personis minus coiunctis. Si verò aliquis minetur mala priuatis personis, tenemur primũ secreto eum corripere, ni periculũ in mora denunciationis non sit: si verò nõ sit periculum, sed spes boni euentus, tenemur non denuntiare. Ex quibus cõstat, quãliter in alijs casibus procedendum sit.

282 Sit sexta conclusio. Attẽto per se statu Religiosorum, nõ est illicitum deferre crimen occultum Prælato, tanquam Patri; prætermissa monitione secreta. Circa punctũ istius difficultatis magnas hisce temporibus nonnulli excitauere tragedias: & dũ pro correctionis ordine in charitate seruãdo pugnauerũt, charitatem ipsam vili sunt, periclitari voluisse, inquit *Mendoza disp. 163. §. 1.* Cęterum, antequã istius conclusionis fundamenta ponamus, primo præmittendũ est maximam esse distinctionẽ obligationum status Religiosi, à reliquis alijs statibus: & ita lõgè per se superior est Religiosorum status à reliquis alijs, quod reliqui nõ exigant tã multa ad eius perfectionem, quæ exigit Religiosum institutũ. In quo prima, & vnica obligationis cura est abstinẽtia omnino ab omni re, quæ cursum ad perfectionis stigium possit retardare, quanto magis a peccatis, inter alios aliorum statuum, frequentibus. Id enim probatione nõ indiget, cum passim docent Sãcti Patres: atque ad hunc finẽ Religionum Patriarchę cœlitus inspirati suas instituere Religiones. Vnde Seraphicus ille Sanctissimi Parentis Frãcisci spiritus. In principio suæ Regulæ, dixit: *Regula, & vita Minorum fratrum hæc est; scilicet D. N. Iesu Christi, sanctũ Euangelium obseruare; viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.*

283 Ex qua circunstantia perfectionis pernitiosa reddũtur Religiosorum peccata. Vnde *Augustin. tom. 2. epist. l. 137.* in fine, ait: *Simpliciter fateor charitati vestræ, coram Deo nostro, qui testis est super animam meam: ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasterio profecerant, ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterio ceciderunt.* Etenim peccatum Religiosi, non modo committẽti, est lethale, verum, & integro ordini pernitiosum: nam quæ laici intuentur in vno, in cæteris suspicantur, & sic toto ordini detrahunt honorem; vt testis est Augustin. citatus, dicens: *Ad quid aliud sedent isti, nisi vt quisquis Monachus, vel Sancti Monialis ceciderit, omnes tales esse credant, iactent, contendant: cum autem de aliquibus,*

qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis sonuerit, patuerit vè, veri vel falsi, insiant, stagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.

284 Quapropter conueniētissimum est statui Religiosorum, quod conscientia subditi Religiosi sit Prælato conspicua, vt Pastori, & Patri, per se loquendo. Ad quid enim Prælati *speculatores* dicuntur; *Ezech.* 3. & 33. Nisi, quia ad corrigendos inferiores specialiter constituti sunt. Vnde *Prouerbiorum* 7. dicitur: *Agnosce vultum pecoris tui.* Et in cap. *Quamuis causa de Regulis iuris. Non est Pastorum excusatio, si lupus rapiat oues, & ipse nesciat.* Quare Sanct. Thom. adductus a *Lorca disput.* 45. *n.* 11. inquit: *Qui habet curam spiritualem alicuius, debet eum quærere, ideſt inquirere ad hoc, vt eum corrigat.* Quod etiam fatetur Lorca citatus.

285 Emmendatio quando quidem perfecta Religioso rarissimè contingit monitione secreta, quin fiat à Prælato vt Patri: quia melius, fortius, & efficacius, securiusque corripitur à Prælato, quam à priuato: nisi fortè Prælatus sit alius, quā debet esse, scilicet vafer immitis, sua potius quærens, quam Iesu Christi, stolidus, & imprudens: in quo casu particulari non intelligitur nostra conclusio: nec talis Prælatus est adeundus: quia sæpè abutuntur delationibus similes superiores. Et hoc adhuc in Religione, vbi expressè renuntiatur iuri ad conseruationem famæ; si fortè hæc iuris cessio, sit quid speciale in tali Religione, vt non sit in alia; quod non fateor: nam ista iuris cessio omnibus est cōmunis, ex iuræ naturæ, ex quo tenemur bonum commune illæsum seruare, cum dispendio nostri priuati boni, siue famæ, siue vitæ: nec alia iuris cessio est mihi intelligibilis, aut possibilis, quam ista, quæ exigitur à iure naturæ.

286 Hoc posito. Nostram conclusionem esse probabiliorem, verissimam, & ab omnibus amplexandam, probo primo authoritate Doctorum, quorum ita ingens est numerus, vt miror, quare aliqui potuerunt, & contra Nostet Arenalum, & contra Patres Iesuitas inuehi, cum in sui tutelam adsit copiosus grauissimorum, & sanctissimorum Doctorum exercitus: quorum anteſignanus est *Sanct. Thom.* qui *quodlib.* 11. *artic.* 13. mouens nostræ conclusionis dubium, sic illud dirimit: *Si ego scio, quod Frater per me corrigetur, tunc non debeo, hoc denuntiare Prælato. Si autem videatur, quod hoc melius fiet per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium*

olium aduersus illum subditum, tunc licitè potest, hoc denuntiare sibi. Præmiserat autem in initio *art. 13. quia verba illa Matth. 18. Cùm debitis circunstantijs intelligenda sunt.* Et subdit: *Et si hoc intendat denuntiator, scilicet emmendam fratris sui, & proximi, seruat quantum potest, bonum charitatis; tunc denuntiando* (intellige, non præmissa correctione secreta) *non peccat.*

287 Sequuntur Gabriel, qui plus addit, licere fratrem adhuc emmendatum denuntiare, & refert pro se *Sanct. Thom. Hugonem Cardinal. & Ricardum*, sequitur *D. Antonin. 2. part. titul. 9. cap. 6.* vbi eodem modo respondet ad nostram controuersiam, sicut Sanct. Thom. & ipsa est solutio aduersariorum: vbi D. Antonin. cum Gabriele, & Ricardo sentit, posse deferri crimen, à quo frater est emmendatus, non absolutè, sed quando certo timetur relapsus, & recidiui periculum: & ex Vmberto concludens, ait: *Circa Regulares personas, non est tanta necessitas hunc ordinem obseruandi, sicut circa sæculares.* Sequitur *Ioannes Iulius Claras lib. 2. sinaxis curæ animarum, quæst. 27. num. 9.*

288 Alius, non minus in Ecclesiæ Doctorum acie ordinatissima proponitur antesignanus Seraphicus N. Doctor S. Bonauent. qui *in cap. 19. Lucæ* ita respondet: *Ex quo datur forma, quod Prælato, qui vult prodesse etiã, nulla præcedente correctione potest, & debet culpa proximi accusari extra iudicium si sit occulta, & in iudicio, si habeatur probatio certa.* Quis ergo nostram cõclusionem improbabilitatis nota inurat, cum authoritas D. BB. sufficiat ad illam probabilissimè stabiliendam. Maximè cum Generale Capitulum Barchinonense, tali authoritate Seraphica munitum dixit, oppositum nostræ conclusionis esse dogma pestilens. Quãta enim authoritas sit vnius nostræ Ordinis Capituli Generalis? omnibus est compertũ: sed illius Barchinonẽsis, quãta extiterit? fama est, & traditio in illo specialiori prouidẽtia, & quasi euidenter adstitisse Spiritum Sanctũ: ibi enim factæ fuerunt celebratissimæ illæ constitutiones, ex quibus ferè omnis Religio normam accepit perfectionis Monasticæ.

289 Sequuti fuere D. Bonauẽturam, *Ricard. 4. dist. 19. art. 3. q. 1.* dicens: *Necest famæ fratris præiudicio, si talis, qualis esse debet, est Prælatus. Angelus Clauasius in summa, verb. denuntiat. num. 10.* dicens: *Huius sententiæ est Augustinus Gualter. Guilleldemar, & communiter Doctores nostri Ordinis*, qui sunt grauissimi, & penè infiniti. Sequitur *Ioann. de Oruellis in 4. dist. 19. quæst. 1. Vega Cord. Bernardin. de Areualo, Villalobos 2. p. summæ, tract. 4. Man. Rodrig.*

& ferè omnes ex nostra Seraphica Familia.

290 Ex alijs autem Religionibus, sequuntur *Grasis, Benedictinus lib. 2. cap. 69. num. 20. Hieronym. Llamas, Cisercienſis 3. part. Method. cap. 12. §. 9.* Tenuit *Gerſon 2. part. Alphabet. 24. lit. T. Cardinal. Turrecremat. in cap. ſi peccauerit 2. quæſt. 1. num. 29.* mitto *Bañez, Sotum, Nauarrum, Nauarram, Syluestrum, Armillam Leonem*, & plures alios, quia foret ſtellas computare: qui omnes ſunt in fauorem noſtræ concluſionis: ergo temerè, & inaduertenter nota improbabilitatis invritur noſtra concluſio, cum tot Excellentiſsimis ſit vallata Patronibus.

291 Tandem confirmatur ex grauiſsimorum Doctorum authoritate, quos fœliciter Eccleſiæ peperit illuſtriſsima, & ſanctiſsima Religio Societatis Ieſu. Nam eorum Sanctus Patriarcha Ignatius, eam in praxi tuendam præcepit, & ſic reliqui obſeruarunt eius filij. Videatur illuſtriſsimus ille, virtute, & ſapientia vir *Pater Thom. Sanchez lib. 6. ſummæ cap. 1. 8 à n. 6.* qui alios innumeros refert; tenuit *Valencia, & Ægidius* probabiliter, ſed abſolutè *Pater Suarius tom. 4. de Religion. lib. 10. cap. 9. à num. 7.* præcipuè *num. 14. & 15.*

292 Huc poſſemus afferre matarum Religionum vſum, quem reprobare, non eſt licitum. Confirmantque Sanctæ Inquiſitionis edicta, atque Summorum Pontificum conſtitutiones, & Bullæ ſupra memoratæ pro Authoribus primæ ſententiæ. Quæ autem reſpondent ad hoc pauci Anthores oppoſitæ opininionis, ſine examine dicta videntur, & ſic de eis, non curo, quia minus digna pijs Religioſis, & doctis viris; & vt inquit *Mendoza ſect. 5. ſubſectio. 10.* in fine, omnes eorum interpretationes, ſunt nimis frigidæ.

293 Probatur ſecundo ratione efficaci ex ipſo iure naturæ deſumpta. Bonum commune eſt præferendum priuato: ergo vt bonum commune ſeruetur illæſum, prius debemus eligere ea media, quæ ad hoc conducunt, quàm ea, quæ conducunt ad ſeruandum illæſum bonum priuatum, quoties vtrunque bonum ſimul concurrunt, ita, quod ſimul non poſſunt æquè ſeruari, ſed deferendo crimen fratris ad Prælatum, tanquam ad Patrem, nulla ſecreta monitione præmiſſa, ſecurius ſeruatur illæſum bonum commune; imò ſecurius, & efficacius morbo fratris medetur, ſi ſit qualis eſſe debet Prælatus: ergo licitum eſt, deferre Prælato, vt ad Patrem, crimen occultum, nulla ſecreta monitione præmiſſa, attento perfectiſsimo Re-

Religionis statu; secundum cuius naturam exigitur, quod subditorum conscientia debeat esse superiori conspicua, tanquam Patri, & capiti morali; & ipse Prælatus ratione sui officij, tenetur delicta subditorum quærere debito modo, vt paternè corrigat in casu necessario. Præsertim cum Religiosorum peccata sint maximè perniciosa, non solum Religioni, verum sęcularibus; ita, vt peccatū, quod laici, & sæculares intuentur in vno, in cæteris Religiosis, aut in magna eorum parte suspicentur: & sic læditur bonum Religionis commune: ergo cum bonum commune debeat, ex omni iure, præferri bono priuato, cum melius prouideatur huic bono communi deferendo crimen ad Prælatum, vt ad Patrē: & alias paratissimè læditur bonum priuatum fratris: atque etiam rarissimè contingat perfecta emmendatio Religiosi per monitionem secretam socij; videtur prudentissimè, licere talem delationem in Religionibus, nulla secreta monitione præmissa.

294 Et confirmatur, non leuiter ab inconuenienti maximo. Nam ponamus Religiosum grauem luxuriæ deditum; hoc videat socius, vel satis probabiliter cognoscat; si eum secreto moneat, & relapso adhibeat testes, iam commisit duo peccata: hic deinceps calidè fugiat illum socium, & exeat cum alio, cum quo idem accidat; & eadē ratione fugiat istum secundum socium, & procuret alium; & eodem modo poterit esse in lōgo concubinato, sine remedio; eo quod socij omnes sibi persuadeant se non posse illius crimen Prælato deferre. Ne ergo, hoc inconueniens admittamus pestiferum, dicendum est, non esse licitum, sed valdè conforme statui Religioso deferre crimen ad Prælatum, vt ad Patrem, nulla præmissa monitione secreta.

295 Præterea. Quia sæpè Religiosi egreduntur domo cū socio exiguæ authoritatis; hoc quid impetrabit ab homine graui, si delinquat? atque eius exigua authoritas retardat monitionem secretam: imò malo exemplo socij salus spiritualis valdè periclitatur: & multæ aliæ circunstantiæ sunt, quæ si benè pēsentur ab aduersarijs ferè semper magis licitum faciūt, deferre crimen ad Prælatum, vt ad Patrē, sine præmonitione secreta.

296 Argumenta, quæ contra hanc conclusionem obijci possunt, soluta manent *à n.* 26. Quia non sunt contra propositum nostræ conclusionis de delatione secreta criminis ad Prælatum, vt ad Patrem (qui si vt debet esse sit fructuosius sua correctione secreta sub dicti morbo medebitur, quē alius frequēter

& quasi per se loquēdo) sed militarent, in casu quo quis assereret, licere deferre crimen secretum ad Prælatum, vt ad iudicē, non præmissa monitione secreta: quod absit à nobis dicere. Aduerto tamē iterum, quòd si Prælatus abusurus sit delatione secreta ad ipsum, vt ad Patrem, in infamiam, & accusati perniciē: ita, quod contra fratrem scribēda sit propterea accusatio, & lites tentandæ, vt arceatur à muneribus honestis, nullo pacto, vtendum est isto delationis genere. Delator igitur, priusquam crimen deferat occultum, exploret conditionem Prælati.

Sectio. 4. *Quæ conditiones requirantur, vt correctionis præceptum obliget, & quanta sit obligatio?*

297 QVoad primum tres cōditiones assignant necessarias Scholastici, vt hoc præceptum obliget. Prima, quòd sit notitia materiæ correctionis. Secunda, quòd sit spes fructus correctionis. Tertia, quòd nostra correctio, sit proximo necessaria. Ita *S. Thom. Durandus, Abulensis, Ricard. Sanct. Antonin. Gabriel, Sotus, Adrianus, & Caietan.* Ex quibus *Lorca disput. 44. num. 2. Torres*, & alij moderni, & *N. Castillo disput. 6. quæst. 4.* Et prima certissima est: quæ non tam probari debet, quàm suppo-

ni. Hoc enim præceptum non infert obligationem inquirēdi, quid corrigāt in alijs, sed ex præsuppositā notitia procedit: quæ notitia debet esse humana: nam habita ex Sacramentali confessione est omnino inutilis, vt dixi *Opuscul. de Sacrament. Pœnit.* secunda autem probatur ex *Augustin. relato in cap. si quis de Pœnit. distinct. 7.* dicente: *Si scirem, non tibi prodesse, non te admonerem.* Et ipsa ratio naturalis demonstrat; quia quando certo cognoscimus, medicinam non prodesse, frustra illam applicamus: & præcepta, non sunt de actibus ociosis, & inutilibus. Eodem modo probatur tertia conditio.

298 Sed circa quamlibet ex his conditionibus aliquæ difficultates occurrunt breuiter resoluendæ. Et primo circa primā. Vtrùm requiratur quod notitia sit certa: an verò sufficiat, dubia, vel probabilis? Et teneo cum Lorca, esse necessariā certam notitiam humano modo: aliàs nimis durum foret, ita corrigere fratrem fortè aliàs innocentem. Etenim in dubio potius præsumendum est pro iustitia fratris, quàm è contra. Quæ ratio etiam valet, quamuis notitia sit probabilis: quia possessio stat pro fratre, & nemo iudicandus est malus, nisi probetur; ad quod requiritur certitudo moralis humano modo.

Præ-

Præterea: quia quando dubitatur de peccato, tunc præceptum est dubium quantū ad eius obligationem: ergo dum non constet de certitudine peccati, non instat obligatio. Quando autem peccatum est probabile, etiam est probabile nō esse peccatum: ergo corripiendus habet ius, vt non corrigatur, & sic non est corripiendus.

299 Sed insurgit Adrianus (tenens, sufficere notitiam, dubiam) quia præcepto eleemosynæ teneor subuenire pauperi sub dubio indigenti: ergo multo magis spiritualiter indigenti sub dubio. Respondeo primo cum *Ioanne Sancio in Select. disput. 43. num. 20.* apud *Diana 4. part. tract. 3. resolut. 34.* negando antecedens: ad summum enim tenebimur inuestigare de certitudine indigentiæ proximi, & si facta diligentia adhuc dubij simus, non tenebimur dare eleemosynam: quia possessio stat pro libertate. Secundo est disparitas: nam eleemosyna corporalis non est, vt ita dicam, odiosa, sicut correctio fraterna.

300 Sed obijciunt Soto, Astēsis, Gerson, & Nauarrus (tenentes, sufficere notitiam probabilem) quia hoc modo proceditur prudenter. Sed respondeo, hoc esse verū respectu peccati, quod probabiliter timetur futurum; tamen debet præsupponi certū, aliquod peccatum, præteritum, vel præsens mortale, vel veniale valdè dispositivum ad mortale futurum: aliàs prudenter fieri non potest fraterna correctio.

301 Circa secundam autem conditionē est difficultas. Vtrū requiratur moralis certitudo de vtilitate futura ex correctione; an verò sufficiat dubia, aut probabilis? Et respondet Pater Lorca, quòd si non sit alias dubium, an aliquod graue nocumentum sequatur corripienti, vel corripiendo, sufficit, quòd vtilitas sit dubia. Sed contra: quia dubium de vtilitate semper noscitur ex vno illorum capite: ergo non sufficit vtilitas dubia. Caietanus respondet esse necessarium, vt moraliter credamus, aut præsumamus, vtilitatem probabiliter esse futurā. Tenet *S. Thom. q. 33. art. 2.* & sequuntur *Bañez*, *Reginaldus*, & *Petrus Hurt. disp. 162. sect. 2.* quòd magis placet. Quia sic prudenter speratur; & sperare sub dubio propriè dicto, non est humano modo prudens spes.

302 Sed Instat Lorca ex Augustino, vbi supra dicente: *Ideò do tibi pœnitentiam, quia nescio an tibi prodero: si enim scirem, non prodesse, non te admonerem.* Respondetur, quòd D. Aug. prudenter dabat pœnitentiā, vt prodesset; & sic existimabat pro futurā. nō euidenter, sed probabiliter: & sic interpretatur ly *nescio an tibi prodero*: quia si ignoraret pro futurā pœnitentiā, sicut ignorat, qui du-

dubitat, non adderet Aguſtinus: *Si enim ſcirem non prodeſſe, non te admonerem*: ac ſi diceret: ſi enim mea ſpes non eſſet probabilis; id eſt, ſi non haberem probabilitatem de futuritione vtilitatis, nō te admonerem.

303 Sed inquires. Si quis animat vertat, corripiendum ad horam fore indignandum, & deteriorem efficiendum, ſi corripiatur, tamen poſteà redditurum ad ſaniorē ſenſum, & emmendandum, tenebimur eum corripere? Reſpondeo, quòd ſi timeatur prudēter, illam indignationem futuram iri, ita, vt vergat in graue detrimentum, v.g. homicidium, ſcādalum, vel aliud graue peccatum, non tenemur corripere, nec licebit. Si tamen ſolum timeatur aliqua impacientia dum tamē ſit prudens ſpes de vtilitate poſt modum futura, corripere licebit.

304 Tandem circa tertiam conditionem, ſeu circunſtantiā dubitatur. Quando ſit correctio neceſſaria? Et reſpondet Lorca, ex vtili fieri neceſſariam, quando in promptu, nō eſt alius modus, vt proximus arceatur à miſeria, & non eſt alius, qui candē vtilitatem præſtet: tunc enim manifeſtè proximus nobis indiget, & illi neceſſaria noſtra correctio.

305 Vnde ſequitur primo: quòd ſi proximus poſſit extrāhi à peccato alia via, non erit neceſſaria noſtra correctio. Quòd dupliciter poteſt accidere: primo, quia ſufficienter exiſtimo, proximum ſibi conſulturum fore abſque alterius monitione: quod colligere poſſumus; quia cognoſcimus, ipſum, non eſſe propriæ conſcientiæ negligentem; & quia non infrequenter vtitur Sacramentis. Secūdo poteſt accidere, à mouendo occaſionem peccandi.

306 Sequitur ſecundo. Quòd noſtra correctio non eſt neceſſaria, quando eſt alius, qui illam exhibeat, caſu quòd præueniat opus, an ſit certitudo moralis, ab illo fore per agendam correctionem: non verò ſi hoc modo non ſit excuſabitur aliquis, ſed omnes tenentur; licet vnus magis, quam alius; quod omnino non tollit obligationem ab omnibus.

307 Sed ſtatim eſt difficultas. Vtrùm his cōditionibus ita prudenter concurrentibus, ſtatim facienda ſit correctio, ita vt nullo modo differri poſsit? Reſpondeo, quòd nō poteſt differri, ſine ſpe maioris vtilitatis, & abſque omiſſionis periculo maioris boni; ſed ſtatim exhibenda eſt, non mathematicè, ſed moraliter ſtatim modo humano: & ſi dilatio non ſit maxima, non erit mortale, vt inquit Lorca; quamuis Sotus affirmet, nō eſſe illicitum differre correctionem permittendo peccatorē labi in ma-

maiora crimina, vt tandem cõfusus, facilius suã miseriam agnoscat, & melius resipiscat: quod ego non concedam, nisi specialiter mihi foret reuelatum, illũ hominem sic fore futurum.

308 Quantum ad secundũ sectionis respõdeo: quòd ex genere suo hoc præceptum obligat ad mortale, loquendo de correctione circa mortalia. Ita *Magister Lorca* cum communi sententia *disp.45.* & sequitur ex dictis; docetque *August. serm.16. de verbis Domin.* his verbis: *Si neglexeris cõuiciatorem corrigere, peior effectus es negligendo, quam ille committendo.* Alias Augustini authoritates affert Pater Lorca in loco citato. Tamen notandum est: quòd omissio similis correctionis potest fieri venialis ex imperfectione actus: v. g. si quis in animi præparatione desiderat proximi salutem, paratusque est, conferre subsidium, sed ex quadam tepiditate, & inaduertentia retardatur in exhibenda correctione, vel quia non satis perspicit articulum necessitatis; ita *Lorca.*

309 Loquẽdo verò de correctione circa venialia, nõ obligat ad mortale: nisi loquẽdo de Prælatis Religionum: nam isti omittendo à correctione venialium, vt experientia constat, grauiter minuunt disciplinam Monasticam, ac Regularem. Ita Soto, & Lorca, & existimo esse communem sententiam.

310 Sed inquires primo. Si in eodẽ tempore occurrant duo casus, vnus subueniendi proximum à miseria corporali extremè indigentem: & alius à miseria spirituali; quid faciendum est? Respondetur: quòd si in omnibus circunstantijs casus sint æquales, subleuari debet, & præferri miseria spiritualis. Sed omnibus pensatis, in singulis casibus occurrentibus, quod minorem dilationem patitur, præferendum est.

311 Inquires secundo. Vtrũ tanta sit huius præcepti obligatio, vt cum dispendio vitæ, vel alio graui incommodo temporali, corripere teneamur? Quoniam affirmant *Sanctus Thom. 2.2. quæst.33. art.2. ad 3. Caietan. Cano, Adrianus, Gabriel, Antonin. & Syluester.* Quia ex communi doctrina, bonum spirituale proximi præferendũ est bono omni nostro temporali: quamuis aliqui possunt exponere istos Authores, non de personis priuatis, sed de Prælatis. Alij verò intelligunt in extrema necessitate, scilicet dum proximus certò moraliter est moriturus in peccato, si non corrigatur: quod maximè placet, & tenet *Lorca disp.45. n.7.* cum *Soto*: quos sequuntur Recentiores, & *N. Castillo disp.6. quæst.5.* Et in isto sensu veniunt exponenda verba 1.

Ioan.

Ioann. 1. In hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere; intelligè in extrema necessitate, quando nullum est aliud medium subleuandi proximum à miseria, cum certitudine morali, quod si non opponatur, simul cum morte corporali æternam animæ mortem proximus patietur.

312 Inquires tertio. Quæ diligentia adhibenda sit in adimpletione huius præcepti? Et suppono vitium esse execrabile in personis priuatis aliorū peccata inquirere, vt corrigant. Hoc enim vitiū scādalosum est apud omnes Authores, & Sanctos, atque infame. Vnde *Aug. serm. 16. de verbis Domini*, inquit: *Nō quærendo, quid reprehendas, sed videndo, quid corrigas*; nam *Prouerb. 24.* præcipitur: *Ne quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: qui enim iniustus non probatur, censendus est iustus.* Excipiuntur tamē ab ista regula Prælati, qui secundū illud *Prouerb. 7.* debent agnoscere, vultum pecoris sui; vocātur enim ab *Ezechiel. 3. & 33. Speculatores*, & *in cap. Quamuis de Regulis Iuris: Nō est Pastorum excusatio, si lupus rapiat oues, & ipse nesciat.* Hoc tamen intelligendum est cum illo salis granu *D. Bernardi, Regul. 64 de Abbate*, scilicet quòd Prælatus in hac inquisitione, *nō sit turbulentus, & anxius, non sit nimius, non sit zelotypus, & nimis suspicio sus, &c.* atque eadem ratione excipiuntur Parentes. Et alii voluerunt excipere viros in Republica doctrina, & authoritate præstantes; cæterum id non licere ijs, docet *Lorca num. 12.* & merito.

313 Hoc supposito; omnes conueniunt nō esse necessariam extraordinariā diligētiam (v. g. mutare habitum, vel statū, nec transgredi statuta, neque adquirere eloquentiam) sed sufficit illa diligētia ad adimplendū hoc præceptum, quæ diligentia, secundùm prudētiam humanam, humano, & ordinario modo, potest fieri. Plura alia, si quæ desint, quæ ad correctionem fraternam aliqualiter hic spectari possunt, vide apud Mendozam, Lorcam, & Torres, atque alios Summistas, & apud alios, qui de ordine iudiciario agunt.

CAPVT III.

De peccatis charitati oppositis, de Schismate, Scandalo, & Bello.

Sectio 1. *Vtrùm possit Deus odio haberi à creaturis?*

314 SVppono, quòd odiū Dei ex genere suo est mortale, & omnium peccatorum maximum: quia contra maximam vir-

virtutem, & supremum præceptum; & alia peccata aliquatenus sunt mortalia per ordinem auersionis ad Deum, quæ propriè reperitur, & formaliter in odio Dei. Vnde, licet odium Dei ex amore sui (vt aliqui volunt, fuisse in Lucifero) oriatur; tamē hoc non tollit, quod sit maior malitia in odio Dei, quam in amore sui; vt patet in homicidio ex intentione furandi, vbi maior est malitia effectus, quam causa.

315 Suppono secundò, quòd odium est actus fugæ, & nolitionis. Vnde, sicut quatuor sunt affectus in prosequutione, & in velle; scilicet amicitiæ, concupiscentiæ, iustitiæ, & commodi; ita in fuga, & nolitione, seu odio sunt quatuor affectus, inimicitiæ scilicet, abominationis, iniustitiæ, & incommodi. Ita *Castillus d. 7. q. 1. num. 1.* Sed vt verum fatear, nō est aliud odiū, nisi abominationis, aut inimicitiæ.

316 His positis, affirmant omnes, quòd Deus possit odio haberi à creatura, ex illo *Numer. 10. Dispentur inimici tui, & fugiant qui te oderunt.* Et *Ioann. 15. Oderunt me, & Patrē meum.* Difficultas verò præcipua est: vtrū Deus clarè visus possit odio haberi de potentia absoluta, tam odio abominationis, quam inimicitiæ? Nam *Pater Castillus n. 4. & 5.* dicit, non posse haberi odio inimicitiæ, bene verò odio abominationis: primum dicit esse *Scoti in 2. dist. 43. §. Respondeo, vers. Sed non credo: & dist. 49. in 4. quæst. 9. & 10. §. Quantum ad secundum art. ne §. Secundo sic, vers. Sed adhuc: & vers. Dico quod falsa.* Secundum autem dicit esse *Scoti in 4. dist. 49.* loco citato, *& quæst. 6. & in 1. dist. 1. quæst 4. §. Quantum ad 3. art.*

317 Sed in præsenti, à nobis dicendū est, in tali casu, posse inimicitiæ, & abominationis odio haberi. Et non est mihi alia ratio, nisi creata libertas, quæ potest velle malum sub ratione mali, & nolle bonū sub ratione boni. Ita tenent *Faber in 1. dist. 13. cap. vlt.* & alij Scotistæ, inter quos *P. Felix tom. 1. tract. 1. de Beatitudine, cap. 4. diff. 1. num. 10.* vbi apparet melius laborasse in Scoto, quam N. Castillo.

318 Probatur ergo. Quoniam Deus clarè visus, non necessitat voluntatem, nec aufert ab illa libertatem quoad exercitiū, & specificationē (hoc enim ex intrinseca ratione voluntatis est, aut non est dicenda voluntas; vt inquit *Scot. quodlibet. 16. §. De 2. art.*) Ex *Augustin. in Enchirid. tom. 3. cap. 105. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 3.* Et in prius claram Dei visionem exercitij libertatem, non auferre, patrocinantur, cum *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 6. & 10.* Omnes Scotistæ, Nominales, Salas, & non est alie-

alienum à mente *Sanct. Thomæ* 1.2.*q.*10.*art.*1. in fine; *& art.*2. *& q.*22.*de veritate art.*6. quidquid *Suarez, Vazquez, Lorca, & Montesinos* proclament. Et probatur: quia quod in via obscurè proponatur obiectum, & in Patria clarè est quid extrinsecum naturæ, & essentiæ voluntatis: ergo ita intrinsecè manet voluntas libera cum visione, ac cū fide. Voluntas enim, semper est suorum actuum domina, & vtitur habitibus, & actibus; quippè à nullo necessitatur: aliàs agere libere, & naturaliter, non se excluderent, contra *Arist.*9.*Metha. physicor. cap. & text.*10. imò Deus necessariò se amans, propter infinitam rectitudinem suæ voluntatis essentialitèr liberè, se amat, non verò præcisè ex obiecto, & licèt voluntas sit natura, sed non ad vnum determinata, sed natura libera, quæ ex se habet determinari, & non ab alio. Vnde actui primo, primo non deficit sua libertas, sed non, quæ sufficiat ad peccatum, ex inaduertentia rationis, quæ nō considerat malitiam; quod non est alienum à mente *Scoti in* 2. *dist.*42.*q.*3.*§. Ad primum de Apostolo*: & sequitur *Cordub. & Victoria*, apud *N. Felicem num.*8. ergo quoad exercitium manet voluntas libera, posita clara Dei visione.

319 Quoad specificationem autem liberam manere voluntatem cum clara visione, tenent *Nominales, Okam, Almain.* & multi Scotistæ (licet nō ex affectu commodi) & est satis probabile in *D. Thom.* 1.2.*quæst.*4. *art.*4. *in corpore, & ad secundum, & q.*23.*art.*1. Tenet *Scotus in* 4. *dist.*49.*quæst.*2.*art.*2.*conclus.*3. *& in* 1.*dist.*13. *& in* 2 *dist.*6.*q.*2. *& dist.*43.*quæst.*2. (aliàs, inquit Scotus, odium Dei non erit maximum peccatum, neque amor Dei habebit directè contrarium: ergo, secundùm Scotum, Deus potest haberi odio inimicitiæ à creaturis, quod non vult concedere Castillus, aliàs Scotista) Et probatur: quia si præcisa ratio entis proponatur voluntati, potest voluntas velle, & nolle illā, sequendo affectionem iustitiæ, & ingenitam naturæ suæ libertatem: ergo velle, non determinatur per bonū, neque per malum nolle: ergo velle, & nolle, voluntatis independenter se habent ad bonum, & malum: igitur, etiam si voluntati proponatur obiectum, vt bonum, adhuc infinitum, poterit nolle illud, quantumuis clarè, & intuitiuè proponatur.

320 Enim verò quando Petrum odio inimicitiæ nolo, volo illi malum ex displīcētia personę, qua ratione illi malum est, & nolo illi bonum, vt bonum illius est, etiam quamuis cognoscam, velle malum inimico, & nolle bonū, non esse cōmodū mi-

mihi, nec qua ratione mihi cōmodum est, velim malū, & nolim bonum; præterquamquod sequeretur, quòd odiū inimicitiæ formaliter esset actus prosequutionis, ex affectu amicitiæ, vel concupiscentiæ; & similiter de odio abominationis; quod falsissimum est; nam non solum sunt formaliter, sed realissimè distincti, licet vnus oriatur ex alio: & hoc non semper actu, & formaliter, sed ex alio virtualiter, vel habitualiter, aut interpretatiuè. Displicuit ergo semper mihi, & falsa visa est solutio Vazquetij, Lorcæ, & Montesin. Relinquo, quòd secundùm illos voluntas potest velle minus bonum, vt minus bonum est relicto maiori bono; quatenus malus bonū est; quod inconsequēter dicitur, si voluntas nō potest velle malū, & nolle bonū, quatenus malum, & bonum sunt.

321 Nec exinde sequitur, voluntatem in sui destructionē tendere, sed potius in sui perfectionem, sequendo affectionem iustitiæ. Et quid si fateatur sequela: quid exinde ex affectu voluntatis deprauatæ sequendo suam libertatē, fateri voluntatē in sui destructionem tendere. Neque omnis volitio, aut nolitio tendit circa mediū, aut circa finē: cum possit esse actus neuter. Præterquamquod voluntatis deprauatę malum, vt tale potest esse finis: imò intellectus potest assentiri falsò, vt falsò, ex imperio voluntatis, & dissentiri verò, vt tali: præterquamquod, si intellectus non potest assentiri falsò, vt tali est; quia dependet actus ab obiecto, sed ipsa voluntas est regula sui, & se determinat à se. Ex quibus constat, quòd Deus possit odio haberi à creatura clarè vidēte ipsum, attenta absoluta potentia. Vnde actus charitatis non solum habet actū contradictoriè oppositum, sed contrariè: quidquid dicat Castillo contra Scotum.

322 *Scotus* autē in 2. *dist.* 43. *quæst.* 1. *litera D. vers. Sed non credo*, cum dicit: *Deum non posse odiri ab aliqua voluntate; vt dixi in* 4. non benè interpretatur ab Scotistis. Primo: quia marginialiter referunt *Scotum ad* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 9. quod non potest benè verificari: quia in 2. loquitur de amore amicitiæ, & in 4. *quæst.* 9. loquitur de amore concupiscentiæ: & sic melius refertur ad *quæst.* 49. *in* 4. *quæst.* 5. Secundo: quia alij respondent, Scotum loquī probabiliter. Sed ista non est bona expositio. Dicendum ergo venit, quòd Scotus benè, & verè dicit, quod *Deus non potest odio haberi ab aliqua voluntate*, nō absolutè loquendo, sed de facto, secundùm quod voluntas per odiū tendit in malū; vt sic enim repugnat, quod Deus possit odio haberi à creatura; at verò secundū quod voluntas potest, nolle bo-

bonum sub ratione boni, non repugnat, neque hoc negauit Scotus. Et sic manent soluta omnia argumenta, quæ in hac cõtrouersia possunt obijci contra nos.

323 Hic quæritur de odio abominationis, & inimicitiæ erga proximum. Verũ, quia ab Authoribus magis de vocibus disceptatur circa hoc loquentes, nec omnino veritatis limites attingunt, alijs relinquo discutiendum: nam plura sunt excogitata solum ex Authorũ cerebro, & alia non satis probantur. Pro nunc autem sufficit dicere, quòd odium proximi est ex suo genere mortale, & distinctum à reliquis, & maximum eorum, quæ sunt contra proximum; non tamen est capitale; quia frequenter aliorum radix, non est; sed est quasi extremum malũ ortum ex alijs, scilicet ex ira, concupiscentia inordinata, seu auaritia: præcipuè tamen oritur ex inuidia. Vtrùm autem sit peccatum vnius speciei, vel plurium? Suarez dicit esse plurium, sed Caiet. dicit, esse vnius speciei.

Sectio 2. *Qualia peccata sint Accidia, Inuidia, Discordia, Contentio, atque Schisma?*

324 DIco primo, quòd Accidia est pigritia, negligẽtia, incuria, aut inertia, & prè priè tædium circa diligentiam debitã in materia alicuius virtutis ex præcepto. Vnde, Accidia est peccatũ capitale, seu generale: & est mortale vel veniale pro qualitate præcepti violati. Vnde pigritia contra præceptum audiendi Missam erit peccatum contra Religionem: & pigritia in diligendo Deum, erit contra charitatem; & sic de alijs. Vnde non benè dixit *Castillo disput. 7. q. 1. n. 43.* esse peccatũ speciale. Sed inquires: ex Accidia, quæ peccata oriuntur? Et respõdeo, oriri *Malitiam*, qua homo habet odio bona spiritualia, vel qua dolet fecisse ea ad quæ obligabatur, vel se natum esse, vel Christum cognouisse.

325 Secundo oritur *Rancor* erga ortantes ad bona spiritualia: puta erga Religiosos, Concionatores, &c. Qui Rancor est veniale, si nõ coniungatur cum odio. Tertio oritur *Pusilanimitas* erga omnia spiritualia, tanquã ardua. Quæ Pusilanimitas ex se est veniale. Quarto oritur *Desperatio* consequendę Beatitudinis. Quæ est peccatũ mortale. Quinto oritur *Torpor* in obseruantia diuinorum præceptorum. Qui est mortale. Sexto oritur *Euagatio mentis* ad illicita, quæ est veniale ex se: nisi ex præcepto exigatur attentio, vt requiritur in recitandis Horis Canonicis, & in audiendã Sacrum diebus Festis. Videantur de hoc *D. Thom.* 2. 2.

2.2.q.35.art.3.& 4. Vbi *Syluester, Malderus, Bañez, Toletus, Filiucius tract.28.cap.8.quæst.9. n.188. Tanerus tom.3.disp.2.q.6. n.6. Nauarr. in Manuali, cap.23. à num.124.*

326 Dico secundo: quòd Inuidia est dolor, sumptus pro nolitione de bono proximi, quo nos superat, vel æquat, ortus ex prauo appetitu propriæ excellẽtiæ, ita *D. Thom.2.2.q.36.art.1. Valẽcia tom.3.disp.3.q.13.part.1. & 2. Toletus lib.de septem peccatis mortalib. cap.63.* Videatur *Dian. 3.part.tractat.6. Miscel.resol.85.* Est peccatũ ex suo genere mortale oppositum charitati, & virtuti humilitatis: videatur *Diana 5.part.tract.5.resol.67. Reginald. Caiet. verbo Inuidia, Filiucius tractat.28. cap.8. quæst.5. Nauarrus cap.23.n.118.* Est vitium capitale, ex quo alia originãtur: vt patet in Lucifero; qui propria excellentia elatus, ipsam diuinitatem inuidens, nullum fuit peccati genus, in quo nõ fuerit prolapsus. Quare nos humiles maximè esse oportet, & cõtra calidum hostem mutuo amore armari. Oriuntur autẽ ex inuidia odium proximi, susurratio, detractio, gaudiũ in aduersis proximi, & tristitia in prosperis eiusdem. Videatur *Nider. in Decalog. præcept.5.cap.6.* Potest autem in inuidia esse veniale tantum, vel ob imperfectionẽ consensus, & carentia plenè aduertentiæ, vel ob paruitatem materiæ.

327 Dico tertio; quòd discordia est cordium disconuenientia, & disidium in his, quæ tenemur facere. Quod requiritur, vt sit vitium, & peccatũ. Est autem mortale ex suo genere, cum quis à voluntate alterius discordat, cũ quo tenetur concordare, v.g. si proximus vult obtinere sibi necessariũ, aut valdè vtile, & ego sine rationabili causa desiderẽ illum impedire, vel cum vnus ab altero discordat ex intentione contradicendi, eo fine, vt ab eo discors sit, & maximè in rebus, quæ ad fidem pertinent, aut ad proximorum notabilem authoritatem. Potest esse veniale tantum; vel ratione indeliberationis, aut inaduertentiæ, vel cum est animus, quidẽ contradicendi, tamen res non cædit contra honorẽ Dei, aut in graui proximi detrimentum, vel quando oritur ex sola animi libidine, consulendo propriæ vtilitati, aut voluptati. Imò nullum erit peccatũ discordia, quando deficit animus contradicẽdi, & ex vtraque parte adest ratio probabilis. Videantur *D. Thom.2.2.q.37.art.1.* vbi *Sylvius, Sylvester, verb. Discordia:* & ibi *Caietan.n.2. Reginald lib.17. cap.12. à n.131. Nauarr. cap.23. num.33. Filiucius tract.28.cap.9. n.192.* Discordia autem non est semper vitium oppositum cha-

ritati, sed alijs virtutibus potest opponi, v.g. ex lege obedientiæ subditus tenetur concordare suã voluntatem cum superioris voluntate; si discordet, immediatè peccat contra obedientiam: & similiter debitor tenetur ex iustitia hic, & nunc concordari cum creditore, si discordet, peccat contra iustitiam proximè. Ita communiter Doctores, *Toletus in Summ. lib. 8. cap. 11. Bonacina de charitat. dub. 3. quæst. 4. part. vltim. §. 4. Reginald. lib. 17. à num. 131.*

328 Contentio autem est, velle verbis, aut scripto aliquam sententiam contra rectã rationem defendere, vnde, vt contentio sit peccatũ, & mala moraliter, hoc totum debet habere.

329 Schisma autem, Græcè, & Latinè, scissionem, seu scissuram significat; & sic est (vt à Theologis, & Canonistis accipitur) diuisio, & separatio mẽbrorum Ecclesiæ ab ipso corpore, & vnitate partium Ecclesiæ; & sic est speciale peccatum contra Ecclesiæ vnitatem. Videantur *Isidor. lib. 8. Ethymol. cap. 3. D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. Filiucius tractat. 28. num. 209.* Vnde quando aliquis alicuius Diœcesis se abiungit ab Episcopo talis Diœcesis, gerens se omnino, vt alienus à tali Diœcesi, peccatum schismatis committit, & similiter, qui se separat ab obedientia sui Prælati, vel Principis particularis. Non verò contrahit pœnas schismaticorũ. Quia tales pœnæ solum sunt contra schismaticos, qui sunt rebeles vniuersali Ecclesiæ, aut Romano Pontifici: videantur *Sanchez lib. 2. Summ. cap. 32. Reginald. lib. 17. num. 112. & lib. 9. à n. 258. & num. 360. Azor 1. part. lib. 8. cap. 20. quæst. 4. Laiman lib. 2. tract. 3. cap. 11. num. 6. Crousers ad cap. 7. Regulæ, lect. 5.*

330 Vnde licet omnes hæretici sint schismatici, non verò omnis qui est schismaticus, est hæreticus. Pœnæ autem contra schismaticos latæ sunt in Bulla Cœnæ: scilicet excommunicatio latæ sententiæ. A qua potest absoluere Episcopus, si schisma occultum sit, & virtute Bullæ, semel in vita, semel in morte. Vide *Pellizarium tom. 2. tract. 10. cap. 6. num. 26.* qui in fine ex *Suario, Homobon. Tamb. Bordon. & Diana*, & alijs asserit, Episcopum posse absoluere Moniales sibi subditas ab hæresi externa, & consequenter Prælati Regulares potuerunt idẽ in foro interno, & externo. Secunda pœna est amissio potestatis iurisdictionis, & inhabilitas ad Ecclesiastica beneficia futura, de quibus omnibus videatur *Thom. Sanchez lib. 2. cap. 36. à num. 19. & à num. 1.*

331 Schismatis autem peccatum, mortale est. Ratione autem paruitatis materiæ, veniale fie-

fieri non posse dicunt omnes, sicut de hæresi, aut blasphemia. Cæterum ex inconsideratione, ex imperfecta aduertētia, aut in deliberatione excusatur à mortali; vt notat *Mendoza disp. 169. sect 4.* cum communi omnium sententia. Est peccatum contra virtutem obedientiæ directè; nisi procedat ex odio Dei, aut Ecclesiæ, vel Romani Pontificis; tunc enim optimè docet *Sanct. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1.* quòd est contra charitatem, & vt sic sunt intelligendi omnes eius Interpretes. Sed tu consulè *Thom. Sancium, cap. 36. lib. 2. in Decalogum*, qui multos Authores citat circa difficultates hic insurgentes.

332 Notandum tamen est, quòd schisma est duplex; vnum est purum: quòd solum charitati, & paci opponitur in illis, qui cum credant vnam esse Sanctā Ecclesiā sub visibili capite vno Summo Pontifici constitutam: tamen ex malitia voluntatis, nolunt Pontifici subijci, vel corpori Ecclesiæ: & hoc potest esse dupliciter, vel purè, internè, vel externè. Aliud est iniunctum cum hæresi, vt si quis pertinaciter neget Summum Pontificem totius Ecclesiæ caput, & Pastorem esse, vel Ecclesiæ Sanctæ communionem, & ob hanc causam se segregat. Inter peccata contra proximum est grauissimū peccatum schisma: quia lædit præstantissimum bonum commune, nempè Ecclesiæ vnitatem. Hæresis tamen grauius est peccatum ex obiecto; quia est immediatè contra diuinam veritatem: verum in circunstantijs, & damnis, quæ ex schismate solent oriri, grauius est schisma.

Sectio 3. *Quid, & quotuplex sit scandalum?*

333 SCandalum est vox Græca, & propriè significat exiguum signū intra muicipulā in escatum, quod attrahit murem, vt arrodens cadat assereulus, & claudat additum ne effugiat mus. Vnde, per metaphoram, scandalum dicitur, qui suo motu est causa, vt alius cadat in peccatum, quo occluditur additus ad vitam spiritualem; sed tria, in communi vsu, significat scandalum. Primum offendiculum, in quo viator impingens potest cadere, secundum illud *Iuxta iter scandalū posuerunt mihi, &c.* & sic à Iudæis Christus Dominus petra scandali impiè dictus est. Secundum, ipsam pedum offensionē. Hispanè *tropezon*. Tertium ipsam ruinam, & lapsum eius, qui offendit ad scadalum pedes, vel voluntatem, vel intellectum, vel oculos.

334 Hæc autem ad mores facilè transferuntur, in quibus scandalum sic ab omnibus defi-

nitur, *est dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ.* Ita D. *Thom.* 2. 2. q. 43. *art.* 1. Ex *N. Alexand. Alens.* 2. *part.* q. 189. *membr.* 1. Et sequuntur *Ricard. Maior, Durand. Suar. disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 1. *Vazq. Opusc. de scandalo. Thom. Sanchez in Decalog. cap.* 6. *n.* 1. *Beccano, Bonacina de peccatis, disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 2. *n.* 2. Sed non incongruè potest sic definiri, *est peccatū occasionans ruinā alienam.*

335 Scandalum autem duplex est, alterū activum; & passivum alterum: activum est verbum, vel factum, quo aliquis est occasio ruinæ. Passivum autē est ipsa proximi ruina spiritualis, ex huiusmodi dicto, aut facto. Rursus activum, aliud est per se, scilicet quando procedit ex expressa intentione scandalizādi, vel verbum, aut factū tale est ex natura rei, aut talibus circunstātijs vestitur, vt inducere sufficiat proximum ad peccandum: vt persuasio, instigatio, & similia. Aliud autē est per accidens, scilicet, quando dictum, aut factum est occasio ruinæ, non tam per se, quàm propter ruentis prauitatem, ignorantiam, aut infirmitatem, sumendo occasionem ruendi, vbi non porrigebatur.

336 Vnde scandalum passivum, aliud est ex malitia, & dicitur Pharisæorū, aliud ex ignorantia, & dicitur parvulorum: aliud ex infirmitate, & dicitur scandalum infirmorum. Rursus scandalū, aliud est datum, quod sequitur, ex scādalo activo inducente ruinā alterius. Aliud verò est acceptum, quod accipitur ex opere, vel verbo alterius, siuè bono, siuè malo, sed non inducente.

337 Sed notādum est, quòd tribus modis potest nobis contingere peccatum activum scādali. Primo, directè intendendo ruinam spiritualem proximi, & scandalum passivum, sicut facit Dæmō. Secundo inducēdo proximum ad opus, non vt ruat, sed propter meam vtilitatem. Tertio indirectè tantum faciendo aliquid coram aliquo; vnde ille præter meam intentionem formalem sumit occasionē ad peccandum. Quæ omnia sunt examinanda breuiter subsequentibus difficultatibus.

338 Prima difficultas est. Vtrùm omne scandalū activū, quod ita est per se, sit speciale peccatum, an verò generale, & transcendens per alias peccatorum species, quasi circunstantia generalis? Et supponitur de fide notum, & certum ex *Matth.* 18. Et ad *Rom.* 14. Et 1. *ad Corinth.* 8. scandalum esse peccatum; quia qui scandalizat, est causa mali spiritualis proximi.

339 Hoc posito, Bañez, Albert. Durand. & Angelus citātur à Recentioribus aliquibus asserentibus, scandalum esse speciale peccatum solum quando proce-

cedit ex directa intentione, vt proximus spiritualiter ruat: quãdo verò sic non fit scandalum, aiunt, esse circunstantiam generalẽ pertinentẽ ad illam peccati speciem, ad quã est occasio, v.g. luxuriam, ad homicidium, &c.

340 Caietanus verò, Armilla, Palud. & Couarr. opinantur, quòd si quis verè tribuit alicui occasionẽ ruinæ verbo, vel opere malo, non est speciale peccatum scandali; nisi sit directè volitum scandalũ passivum: atverò si tribuat occasionem ruinæ verbo, vel opere non malo, sed habente speciem mali; tunc est peccatum speciale scandali, etiã si ruina proximi sit tantum volita indirectè. *Nosser Alensis, Maior, Antoninus, Sylvester, Adrian. Nauarrus, Valencia, Salas, Suarez disput.10.sect.2.num.3. Lorca disput.56. Ægidius, Mendoza disput.173.sect.6.§.33.* & alij, sentiunt, scandalizare omnibus illis tribus modis prænotatis, esse speciale peccatum scandali.

341 Dico primo. Scandalũ primo modo sumptum est speciale peccatum: ita omnes Authores nullo secluso; quia illud est scandalum maximum, quòd esse potest. Vnde sequitur, quòd si quis directè prębeat occasionẽ alicui, ea intentione, vt spiritualiter ruat, & moriatur spiritualiter, committit duo peccata, v.g. furtum, si intendat ruinã proximi inducendo ad furtũ, & scandalũ, intendẽdo occidere spiritualiter proximum; quod est contra misericordiam spiritualem, siuè contra charitatem, siuè beneficentiam.

342 Dico secundo. Ad hoc vt circunstantia scandali constituat speciale peccatum, requiri voluntarium directũ ruinæ spiritualis proximi, est probabile. Primo *ex D. Thom. 1.2.q.73.art. 8.ad 3.& 2.2.q.43.art.3. Vazq. 1.2.disp.102.cap.4.& 5. Sanchez lib.1.Sum.cap.6.n.3. Albert. Durãd. Angelus, Beccanus, Filiucius, Bañez, Azor, Bonac.* Quos refert *Mendoza disp.* 137. *sect* 6. *§.43. P. Felix*, qui est pro ista conclusione *in posteriori tomo de peccatis, cap.4.diff.4.n.6.* Secundo: quia scandalum est circunstantia generalis, sed circunstãtia generalis, nisi sit directè volita, nõ cõstituit speciale peccatum, sed reducitur ad speciẽ peccati, cuius est circunstantia: ergo. Probatur maior: primo; quia in omnibus peccatis publicis saltim reperitur: ergo. Secundo: quia auersio à Deo, secundũ Vazq. solũ reperitur in mortalibus, & est circũstantia generalis, ex quo nõ cõstituit diuersam malitiã specialẽ, nisi sit directè volita auersio. Tertio: quia omnibus peccatis reperitur scãdaliũ indirectũ; quia omnia peccata occasionant ruinã spiritualẽ nobis vel alijs: ergo est circunstãtia generalis transcẽdẽs per omne genus peccati: ergo

dum non sit directè volita proximi ruina, scandalum nō constituit diuersam malitiam à peccato, quòd occasionatur ex scādalo actiuo.

343 Probatur tertio: quia ex oppositō sequeretur, quòd in quolibet peccato essent duæ speciē diuersæ malitiæ, scilicet malitia, homicidij, vel luxuriæ, & similiter scādali; nā quilibet, quouis peccato, est occasio ruinæ spiritualis respectu sui ipsius; & nihilominus per hoc nō habet duas malitias speciales, sed vnā tantum: ergo similiter respectu aliorum scandalum activum, si non est directè volita ruina proximi, nō habebit malitiam specialem vltra malitiam scandali passiui, furti, homicidij, &c. Præterea sequeretur, quòd plus peccaret, qui inducit ad homicidium, quā ipse homicida: quia homicida solū poneret in actu malitiam homicidij: at inducens suo exemplo præter malitiam homicidij, adderet malitiam specialem scandali: ergo plus peccaret: quod videtur apertè falsum: nam etiam si directè induceret, non plus peccaret, quam ipse homicida.

344 Respondebis ad primū; quod etiā pro oppositā sentētia sunt grauissimi Authores, & Sāctus Thomas citatur pro ea, vt infra videbimus. Ad secundum negatur maior: quia solum reperitur in peccatis, quæ fiunt coram alijs, quæ si occultè fierent non essent scandalosa: & sic non est generalis circunstantia, sicut auersio in omnibus peccatis saltim mortalibus. Et sic patet ad primam, & secundam probationem maioris. Ad tertiā negatur quòd illud sit scandalum rigorosè, sed certè difficilissima est instātia: & fortè propter hoc efficacius est argumentum *Vazquezij disp.* 101. *cap.* 6. dicens scādalū interius cōsummari, & sic vt constituat diuersam malitiā in specie, debet esse directè volitum eius obiectum. Sed tamen dicendo solum reperiri scandalum in peccatis publicis, inconsequenter loquutus est: & propter hoc melius reijceretur à *N. Felice num.* 6. ℣ 10.

345 Ad tertium, ex inconuenienti, difficulter respondebitur. *Lorca disput.* 56. fatetur sequelam: negabis tamen suppositum, quod ibi supponitur, scilicet peccatum respectu peccantis esse propriè scandalum. Sed certè, iam dixi hoc esse difficilimū. Et contra hanc responsionem Lorcæ arguo. Ergo ille qui inducit alterum ad furandum suo exemplo, & indirectè, & ita est occasio, vt alter sit fur, etiā erit fur, & tenebitur ad restitutionē, sicut scandalizatus; quod durissimum est, & videtur falsum cōtra praxim omnium Doctorum.

346 Respondet *Suarez disp.* 10. *sect.* 2. *num.* 10. quòd peccato fur-

furti peccat; sed quia non potest facilè constare, quod fuerit alteri occasio ad furandum, moraliter loquendo non tenemur ad restitutionem: & quia per se primo scandalizãs non peccat cõtra virtutem iustitiæ, sicut peccaret, & teneretur ad restitutionem, si directè induceret. Sed contra, moraliter loquendo ex ignorãtia inuincibili deobligatur ad restitutionem: ergo ex eadem ignorantia poterit excusari à peccato furti. Sed contra hoc est, quia hæc instantia, non solũ probat, non esse malitiam scandali, sed neque aliam malitiam specialem furti, luxuriæ, &c. sed hoc est falsum: ergo. Respondebis esse circunstantiam aggrauantem peccatum scandalizantis intra speciẽ sui peccati, quo occasionauit ruinam alteri indirectè. Sed contra: quia potest tale peccatum esse occasio ruinæ alterius per peccatum specie distinctum à peccato scandalizantis, & sic talis malitia non imputatur scandalizanti.

347 Dico tertio, probabilius est, quòd scandalum activũ indirectum est speciale peccatũ. Primo, quia ita defendunt Authores supra citati *num.* 339. in fine. Secundo: quia ex opposita sentẽtia sequeretur ferè nunquã dari peccatum scandali: contra illud *Matth.* 18. *Væ mundo à scandalis, necesse est, vt veniant scandala.* Etenim ferè nullus est, qui directè velit ruinã spiritualẽ proximi. Respondebis, quòd ibi sermo est de omni scandalo directè, vel indirectè volito: & licet primũ raro accidat, illud tamen frequẽtissimè, & quasi necessariò moraliter: tamen exinde non sequeretur, quòd sit speciale peccatũ scãdali, sed sufficit quodlibet peccatum, quod intra eandem speciem habeat maiorẽ malitiam aggrauantem tantum notabiliter, in quantum inducit proximum ad peccandum eodem genere peccati.

348 Sed contra: quia Christus D. loquebatur de scandalo, prout opponitur correctioni fraternę, sed illud, quòd opponitur fraternę correctioni, est peccatũ speciale contra misericordiã spiritualem, seu charitatem: ergo omne scandalũ est speciale peccatum. Respõdebis, quòd nõ loquebatur tantum de illo scandalo. Sed contra: quia nõ minus se habet nocumentum spirituale (imò magis) ad constitutionẽ peccati, quã nocumentum corporale, sed nocumentũ corporale etiam indirectè volitum est speciale peccatum: ergo etiam nocumentum spirituale indirectè volitum. Respondet P. Felix, esse discrimen, quod nocumentum corporale non est circunstantia generalis, sicut nocumentum spirituale.

349 Sed contra: quia quamuis damnum spirituale, vt sic, sit circunstantia generalis omnibus peccatis tamen, vt damnũ

spirituale proximi nō est in omnibus peccatis, sed solum in illis, quæ sunt contra specialem virtutem charitatis, aut beneficentiæ, vel misericordiæ spiritualis: ergo nocumentum spirituale proximi non est generalis circunstantia, sed specialis, & constituens speciale peccatum. Respondebis, quòd in scandalo indirecto nō est damnum spirituale proximi, vt proximi damnum est, sed solum, vt circunstātia generalis damni spiritualis. Sed contra: quia si scandalū directū foret alteri occasio, vt liberè viueret, nō determinando aliquod vitium; tunc talis occasio ruinæ, sine dubio, foret speciale peccatum, sed non aliud, quā speciale in materia scandali: ergo similiter, quando scandalū indirectè volitū est occasio alicuius determinati peccati, v. g. specialis luxuriæ. Respondebis, quòd non foret speciale peccatū indistinctum ab illo, quo in actu exercito proximus viueret, nisi directè velit ruinam proximi.

350 Sed contra. Quando ruina proximi directè est volita, scandalum est speciale peccatū: ergo etiam quando indirectè est volita. Probo consequentiam: quia homicidium directè volitum, & indirectè volitum sunt eiusdem speciei. Respondebis, esse discrimen, quòd homicidiū est circunstantia specialis: & sic voluntarium directū, vel indirectū non variat speciem homicidij, quamuis minuat intrà talē speciem: at verò in circunstantijs generalibus voluntariū directū, vel indirectū variat: sicut patet in ingratitudine, in inobedientia, in iniustitia, & in auersione, in quibus nō est speciale peccatum, nisi sint directè voluntaria.

351 Sed cōtra, datur scandalum speciale, etiam si tantum sit indirectè voluntarium: ergo scandalū indirectum semper est circunstantia specialis. Probatur antecedens: quando quis tenetur corripere fratrem, & omittit, seu contemnit per voluntarium directū circa aliquod opus, illa omissio est speciale peccatum scandali; & tamen solum est indirectè voluntaria: ergo. Respondet *P. Felix numer.* 17. quòd omissio potest esse directè volita. Sed contra: quia per hoc, quòd possit esse directè volita omissio, non tollit, quòd hic, & nunc, quando solum est indirectè volita, sit peccatum speciale scandali: ergo datur scandalum speciale, etiam cum solo voluntario indirecto, circa ruinam proximi.

352 Posset respōderi, quòd tunc talis omissio est directè volita per voluntarium directū illius operis, per cuius occupationē, omittimus corripere fratrem. Sed contra: quia idē possumus dicere in omnibus alijs, scilicet, quòd per voluntariū directū, quo facio aliquid, ex quo datur occasio ruinæ proximi, est

est etiam directè volita ruina spiritualis proximi; & sic omne scandalum est peccatum speciale. Respondebis tertio, quod præceptū correctionis est affirmativum, quod directè frangitur per omissionem, quādo instat tale præceptum, & sic talis omissio est speciale peccatum scandali: quia licèt indirectè, & mediatè sit voluntaria, tamen immediatè, & directè per illam frāgitur speciale præceptū positivū. Sed contra est efficacissimè: quia secundum Felicem n. 17. in fine, correctio fraterna etiam est præceptum negativum, non ponendi offendiculum fratri in via spirituali: igitur per positionem offendiculi in via spirituali, siuè sit per voluntarium directum, siuè per voluntarium indirectū, immediatè, & directè frangitur illud speciale præceptum negativum, & consequenter scandalum activum indirectum habet specialem malitiā scandali: quia specialiter directè, & immediatè opponitur speciali præcepto.

353 Probatur tertio nostra cōclusio: quia si homo dat operam rei licitæ habentis speciem mali, ex quo prudēter existimat, tribuere occasionem ruinæ spiritualis proximo, debet confiteri hoc, & si dedit occasionem ruinæ vni, vel pluribus, & si dedit occasionem peccato huius, vel illius speciei, vel plurium (quod solus negauit *Car. de Lugo disp. 16. sect. 4. §. 3. n. 164. de pœnit.*) & omnes nemine dempto, adhuc tenetes circūstātias aggrauātes notabiliter nō esse necessario confitendas, fatentur circunstantiā scandali esse confitēdā: ergo signū est, quod semper est speciale peccatū, & quod tertia nostra conclusio est probabilior, posito, quod opposita nō est tuta in praxi: imò videtur, secūdum aliquos, non esse probabilē; quia tenēt, quod opinio, quæ speculatiuè est probabilis, est tuta in praxim, vt dicit *Felix tom. 3. tentatiuæ, tract. de conscięt. cap. 3. diff. 11. n. 9.* Sed in praxi non est tutū, non confiteri circunstātiā scādali indirecti, in omnium sententia: ergo: quod scandalum indirectum non sit speciale peccatum, nō est probabile speculatiuè.

354 Tandem probatur tertia conclusio à priori: quia scandalum est dictum, vel factū præbens alteri occasionē ruinæ spiritualis, sed ista definitio conuenit scandalo indirectè voluntario: ergo. Et confirmatur: quia scandalum indirectum est verè peccatum, sed non illius speciei peccati, cuius est occasio, nec peccati, quod est causa: ergo est speciale. Probatur minor. Primo, quia in tali scandalo est diuersa oppositio ad naturam rationalem ab illis duabus; scilicet nocumentū spirituale proximo illatum: ergo. Respondet Felix,

esse

esse speciei peccati cuius est causa, & occasio. Sed contra: quia per scandalum indirectum proximi ruina non est voluntaria directè, ideò scandalum indirectum non est speciale peccatum, sed per scandalum indirectum non est scandalizanti voluntarium directè peccatum, cuius est occasio: ergo. Scandalum indirectum, sicut non habet malitiã specialem scandali, non habebit malitiam specialẽ peccati cuius est causa; vel si ad hoc sufficit voluntarium indirectum, sufficiet ad malitiam specialem scandali.

355 Secundo obiectum scandali semper est idem, siuè directè, siue indirectè volitum: ergo: cum actus specificentur ex obiecto, si obiectum est idem, semper dabit speciẽ actui. Respondet Felix nu. 14. quòd quando ruina spiritualis est indirectè volita in furto, non distinguitur à furto; siquidem per accidens est volita talis ruina: nam per se solum est volitum furtum. Sed contra: quia furtum etiam est volitum indirectè in peccato scandalizantis: ergo: etiam est volitum per accidens, vel si est volitum per se hoc non obstante, quare etiam ruina non est per se volita, non obstante voluntario indirecto?

356 Sed contra conclusionem obijcies. Passiuè scandalizatus per scandalum passivum non cõtrahit duas speciales malitias, vnam furti, aut luxuriæ, v.g. & alteram ruinæ, seu miseriæ spiritualis propriæ, seu contra fraternam correctionẽ, sed tantum cõtrahit malitiam furti, vel luxuriæ, nisi directè velit propriam ruinam, & miseriam spiritualem: ergo: actiuè scandalizans (nisi directè velit ruinam spiritualem proximi) per scandalum indirectum non cõtrahit duas malitias, alteram luxuriæ, v.g. & alteram contra fraternam correctionem, cui immediatè opponitur scandalum speciale: quære solutionem. Potest tamen dici, quòd scandalum passivum, vt scandalum passivum est, non est peccatum, sed effectus (& quasi generalis circunstantia reperta in omni peccato mortali) cuiuscunque peccati mortalis, scilicet ruina spiritualis; at verò scandalum activum est causa talis ruinæ, & sic est speciale peccatũ oppositum misericordiæ spirituali, & præcepto correctionis fraternæ negatiuè explicato. Vel potest negari antecedẽs. Duplex enim peccatum, siuè malitiam duplicem contrahit, prima cõtra iustitiam, v.g. vel castitatem: secunda contra correctionem fraternam, seu misericordiam spiritualem. Tamẽ quia ista secunda malitia est connexa cum peccato semper, ideò in confessione non est necesse illam explica-

care, sed sufficit, dicere furatus sum, fornicatus sum: vbi sufficienter intelligitur altera malitia.

357 Secunda difficultas huius sectionis est: Vtrùm aliæ cõditiones requirantur ad peccandum indirectè malitia scandali, vel ad excusandam talem malitiam? sub qua difficultate dicitur primo. Inducere, consulere, vel petere à proximo aliquid, quod ipse nõ possit præstare sine peccato, est peccatũ scandali ex suo genere. Petere autem, inducere, & consulere aliquid, quod proximus absolute licitè facere, & præstare potest, moraliter tamen præuidetur hic, & nunc sine peccato non esse præstandũ, aliquando licèt, aliquando non: scilicet quando non habeo ius ad rem petitam, consultam, vel inductam.

558 Vnde aliquando licèt petere ab idolatra iuramentum per idola: & petere mutuum ab vsurario: quia non semper teneor iure meo priuari: & tunc solũ permissiuè me habeo circa iuramentum per idolum, & circa vsuram, non verò efficienter, & vt causa, maximè si proximus sit paratus ad peccatum. In quo casu absolutè, & sine distinctione censent aliqui, quod cõsulens, petens, & inducens, non peccat malitia scandali; sed aliquam rationabilem causam necessariam esse existimo cũ *Suarez disp. 10. sect. 3. num. 2.* In prima enim sententia sequitur euidenter dicendum, non peccare peccato scandali, qui paratam mulierem ad luxuriandum, illã ad tale peccatum inuitaret. & similiter inuitando ad comedẽdum in die ieiunij illum, qui paratus est non ieiunare: & ex his alij casus in omnibus alijs materijs similiter resoluũtur, quod non est improbabile secundum aliquos Doctores.

359 Si verò proximus non sit paratus ad peccandum, videdum est an habeamus ius iustitiæ ad opus: & tunc licitum est petere, consulere, & inducere intercedente rationabili causa. Et sic licitum est petere Sacramenta, & administrationem eorum à Parocho: & ex ista regula patet ad alios casus. Si autem nullum habeam ius ad tale opus, videtur esse scandalum; semper enim debet ad esse causa, & regula charitatis obseruari, vt si causa non sit maxima postponatur periculo proximi.

360 Dices: si quis sit in voluntate occidendi inimicum, licebit inducere ad aliud minus malum, v. g. ad comburendam domum, ad vitandum occisionem? Respondetur licere, quia non est inducere ad malum, sed reuocare à maiori malo, permittendo minus malum, & sensus est, si vis malum facere, & paratus es, potius fac hoc minus, quã illud

illud maximum: & ista regula patet ad alios casus. Sed hæc regula omnino non mihi placet.

361 Dicitur secundo. Opus malum, vel habēs speciem mali inductivum de se ad peccatū, vitandum est; aliàs incurritur malitia scandali: nisi hic, & nūc constet, non fore alaturum malum proximo, hoc vltimum de se patet. Primum autem est doctrina *Apostoli* 1. *ad Corinthios* 3. *Ab omni specie mali abstinete*, & *cap.* 12. *Omnia mihi licent, sed non omnia, expediunt, nam si frater scandalizatur, non mīducabo carnes in æternum*: rectè enim tenemur operari, etiā cor āhominibus: ex quo etiam non licèt opus indifferens cum animo inducēdi ad malum: si autem talis animus absit, non erit illicitū; qualiter abfuit *Iudith. cap.* 8. & 9. illa intentione se ornando, scilicet, *Vt Holophernes caperetur laqueo oculorum suorum*: quamuis Sanctus Thomas non excuset à peccato, in quod inclinat etiam Scotus; tamen *cap.* 1. *Omnis illa compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat ex instinctu Spiritus Sancti.* Solum enim ad familiarem amorem intendebat inducere Holofernem in ordine saltim ad matrimonium, vt dicit noster *Lira cap.* 9. sed vide *Abulensem Iudicum* 16. *quæst.* 41. & *Cartus.* super illum locum.

362 Sequitur ex ista regula; quod mulier se ornando iuxta consuetudinem Patriæ, nō peccat peccato scandali: etiam si sciat exinde lasciuè esse appetēdam ab aliquo: imò si exeat de domo, cum videat lasciuè fore appetendam ab Amasio, non peccat, dummodo adsit in ea intentio non exeundi propterea, vt concupiscatur. Ita *Diana* 2. *part. tract.* 15. *resol.* 30. *cum Sāchez Bonac.* & alijs sequitur *Felix num.* 18. quia in tali casu nullum est scandalum activum. Sed ego existimo ista methaphysicè solum vera: moraliter tamen separari hic, & nunc attento mūdo, Dœmone, & carne experitur difficilimum. Sed illi sunt Doctores grauissimi: tamē Suarez *nu.* 10. cum Siluestro, & Antonino sunt Doctores etiā grauissimi, & experientia est maxima regula.

363 Dicitur quarto. Opus, quod neque in re, neque in specie malum est, aliquando necesse est vitandum propter scandalum passivum, quod accedit ad scādalum pusillorū, vt in operibus consilij, imò præcepti, quādo non instat obligatio præcepti, à quibus debemus aliquando abstinere propter bonum proximi: si enim cura de bono proximi obligat ad aliquid faciendum, cur etiam non obligabit ad aliquid omittendum, quod nec malum sit, nec habeat speciem mali: aliàs peccabitur malitia scandali.

Di-

364 Dicitur quinto: quòd opera, quæ sunt sub præcepto, instante præcepto, non sunt omittenda propter scandalum passivum vitandum, quod esset Pharisæorum. Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona: quod intelligo de præceptis naturalibus negatiuis, & positiuis. In alijs autem præceptis merè positiuis non videtur esse illicitum, omittere præceptum ad vitandam ruinam spiritualē proximi: quare licèt Pharisæorum scandalum regulariter non est vitandum, aliquando tamen, illud vitare, nō erit illicitū, omittendo opus præcepti.

365 Vnde aliquando licebit, omittere sacrum, pro vitando scandalo, quòd potest occasionare mulier. Alios casus vide apud Suarez *num.* 10. & in alijs Summistis, *verbo*, *Scandalum*, præcipuè in summa Diana, & Baleo nostro.

366 Tertia difficultas est: quādo sit peccatum scandali, vendere, vel dare alteri rē, qua malè est vsurus? D. *Antoninus*, & *Medina in Suario disp.* 10. *sect.* 3. dicūt absolutè, semper esse peccatum scandali, dare, vel vendere cum præscientia mali vsus alterius. Sed hanc sententiam appellat Suarez relatus, duram. *Caietanus verò* 2.2. *q.* 10. *artic.* 4. ait, quod si res data, vel vendita sit natura sua destinata ad malum vsum, dare, vel vēdere, erit peccatum scandali: Si tamen res indifferentes sint, etiam si intelligam, quod alius illis sua malitia sit malè vsurus, non est scandalum. Sed ista diuisio non est clara, quia nulla res ex natura sua est ad malum destinata vsum.

367 Regula ergo generalis sit. Dare, vel vendere rem indifferentem, aut, quæ de facilè habent bonum vsum, si dans, aut vendens nihil sciat de emptoris, & accipientis intentione, non est scandalum, nec malum, loquendo per se. Ita Suarez: & non eget probatione. Quæ regula est vera, etiam si constet plures homines malè vti illis rebus: quia hīc, & nunc in indiuiduo hoc non constat de isto homine cui datur, vel venditur talis res: & *in dubijs vnusquisque præsumitur bonus* ex iure.

368 Sit secunda regula. Dare, vel vendere res indifferentes, quando præscitur, alterum illis esse malè vturum, & facilè sine magno incommodo possit non dari, nec vendi, venditor, vel dans peccatum scandali committit. Sed obijcies, quod ex eo, quod non dem, vel vendam talem rem, non auferetur voluntas peccandi, nec peccatum: ergo cessat scandalum, cum iam supponatur ruina spiritualis proximi. Respōdetur: quòd licèt supponatur ruina proximi spiritualis, nihilominus teneor, subleuari, & non augere ruinam, si

sine incommodo id possim facere.

369 Dices, quòd ille est paratus ad peccandum, & quamuis ego non dem, alius tamen dabit, vel vendet instrumentum ad peccandum. Respondetur: quòd ex eo non tollitur difformitas meæ actionis, quando sine incommodo graui meo possum, nec dare, nec vendere, ad quod teneor etiam si alij sint, qui dare, aut vendere possint. Dices: ergo servus exequens iniustum mandatum (v.g. ad inhonesta) domini sui peccat, etiam si sciat per alium, & alios facturum, si ipse servus nolit. Respondeo affirmatiuè, si sine magno incommodo possit non exequi, & cautelas apponere in executione mandati, vt ipse tãtum per accidens, & permissiuè se habere possit ad peccatum domini sui.

370 Idem dico de illo, qui domum suam locat meretrici, & de seruo, qui in die ieiunij ministrat domino cibum, etiam si sit certus, ieiunium esse violãdum à domino: & de famula ornante meretricem, & lectum sternente: quamuis alij dicant, omnia illa peccata sequi per accidens ex actionibus seruorum, & præter illorum intentionem: & sic absolutè tenent, non esse illicitas, nec scandalosas; sed ego hoc nolo credere, dum rationabilis causa non adsit: quæ tunc erit quando facilè, aut sine graui incõmodo, vel grauamine possit vitari: nam si vitari non possunt absque grauamine graui, & incommodo, non tenentur impedire: & tunc effectus sequutus, & exinde occasionatus, non per se, sed per accidens, & permissiuè tantum prouenit: & sic cessat, scandalum imputãdum iri prædictis.

371 Quo principio, & regulis adstantibus veras existimo aliquas, & varias resolutiones Dianæ, quas affert noster Noctinoc, *verbo, Scandalum.* Vbi ex quatuor capitibus excusat à malitia scandali nostras actiones præbentes occasionem proximi labendi in peccatum, vel ex ratione finis boni, vel ratione necessitatis. Vel ex differentia actus. Vel ea ratione, quia paratus est proximus ad peccandum. Sed tertia regula sit quando res sunt tales, quod ex institutione sua, & vsu, vel lege sunt prohibitæ, & destinatæ ad malum finẽ, in hoc tempore, aut loco, ita quod moraliter semper probabiliter timeatur prauus vsus, nõ est licitum tradere, aut vendere, nisi hic, & nunc cesset periculum praui finis, seu vsus earum. Hæc regula constat de se, vt rationi consentanea, & iuxta principia moralia, & sic non eget probatione.

Se-

Sectio. 4. *De Malitia, & Iustitia belli, & respectu quorum hominum?*

372 PRimo suppono, bellum aliud esse aggressivum, aliud defensivū, ex terminis patent diuisionis membra: Bellum autē sic definitur; est pugna exterior paci interiori repugnans: debet autē esse inter duos Principes, aut Respublicā; nam quādo est inter Rempublicam, & Principem, vel inter Ciuem, & Rempublicam, dicitur seditio, & rixa si sit inter priuatas personas, vel duellum: sed ista solū materialiter differunt. Hoc posito fuerunt hæretici Manichęi, absolutè damnantes omnia bella contra vetus Testamentum. Alij verò Recentiores hæretici, vt Vvicleph, Anabaptistæ, bella iudaica veteris Testamenti approbant, & reprobant bella in Christianis, & professoribus Euangelij. Tribuitur nostro Ioannifero lib. 4. in Matth. ad illa verba: *Omnis qui acceperit gladium, &c.* Sed sine fundamento.

373 Hæreticorum fundamenta maximè, & principaliter sunt ista, quoniam Dominus dixit Dauid: *Non ædificabis mihi Templum, quia vir sanguinū est.* Christus Dominus noster, Ioann. 18. Petro dixit: *Mitte gladium tuum, &c.* & Matth. 26. *Quicunque acceperit gladium, gladio peribit*, qua occasione nullum iustius potuit apparere bellum. Vnde ad Romanos: *Nulli malum pro malo reddentes, noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Non vos defendentes, sed date locum iræ, scriptum est enim mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Vnde *Isaiæ* 2. de professoribus Euangelij dicitur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & non se exercebunt vltra ad prælium, &* cap. 11. *Non occident, & non nocebunt in monte sancto*: infinita peccata quandoquidem affert secum bellum, omnino moraliter impossibile vitari: ergo hoc bellum iniustum, & prohibitum est. Est enim contra proximorum, & inimicorum dilectionem, & remissionem iniuriarum, quibus accedit, quia in Concilio Niceno *cap.* 11. imponitur pœna fidelibus, qui sese militia adscribunt. Et multorum Sanctorum Patrum testimonia confirmantia, ac tandem Dauidè duobus sibi minitantibus malis peste videlicet, & bello, pestem prætulit, & vt minus malum se legit: ergo nullum bellum est iustum, sed intrinsecè malum.

374 Sed de Fide Catholicā tenēdum est, quod Bellum simpliciter, non est intrinsecè malum, nec Christianis prohibitū.

Ita

Ita habetur expresse in veteri testamento, vbi passim laudantur bella facta à sanctissimis viris Ducibus Populi Iudaici, vt legitur de Abrahamo Genes. 14. de Moyse, & Iosue in lib. Reg. de Samsone, Gedeone, & Dauide, de fortissimis Machabæis, qui bella Domini gerebant, eo quòd ex præcepto Domini, & Dei Altissimi bellabant. Vnde ad Hebræos 11. dicitur: *Sanctos in fide vicisse Regna.* Videantur PP. apud *Gratianum, Bellarmin. Valencia, Castrum, Rophen.* ex quibus mutuauerunt *Suarez, Vazquez, Molina,* & plures alij *Lorca disp. 49. num. 5. Mendoza disput. 164. sect. 1.* Ratione euidenti probatur contra hæreticos: quia nulla lex diuina repugnat legi naturali, sed potius fundatur in ea, & cum ea conformatur: sed bellum multoties iure naturæ erigitur: ergo bellum ex se nullo modo discordat ab aliqua lege Dei, nec præcepto diuino: ergo positis debitis circunstantijs erit licitum: quoniam bellum, vel geritur in defensionem, ne nobis alij aggressores noceant, vel geritur in punitionem alicuius iniustitiæ publicæ: sed vtrũque est consonũ rationi, & legi naturæ, nam vim vi repellere licèt, aliàs peruersa confusione totus Orbis peruerteretur, & innocentes periclitarentur simul cum bono communi: ergo.

375 Dico secundo. Bellum defensiuum semper est licitum, & interdum præceptum. Sequitur ex dictis: nam ius propriæ defensionis est naturale, & necessarium. Vbi etiam ordo charitatis interuenit: ergo. Potius enim bellando, si adsunt requisitæ conditiones infra adducendæ, non homicidas, nec vltores priuatarum iniuriarũ, sed ministros legis, & salutis publicæ defensores appellat *Aug. milites lib. 22. c. 74. ad 79. & epist. 5. ad Marceli, & epist. 207. & lib. quæstionũ in Iosue q. 10.* vbi declarat, bella non esse contraria institutis Christianę Religionis. Adde Baptistam dedisse consilia militibus, non tamen consuluit, vt desererent militiam: at qui Christus Domin. præcepit tributum Cæsari deberi, quod frequentius, & semper exequi dicitur in sustentatione bellorum: ergo, &c.

376 Dico tertio, quòd vt bella sint iusta, requiruntur necessariò tres conditiones. Prima, quod non indicentur ab alio, quam ad habente legitimam authoritatem. Secunda, quod vrgeat iuxta, & communis causa. Tertia, vt deponatur nocendi animus, & maleuola intentio vindictæ, & sola intentione conseruandi iustitiam feratur, seruando debitam moderationem in eius executione. Ita omnes sapientissimi Theologi, ex doctrina SS. PP. & præci-

cipuè Aug. vt colligit *S. Thom. quæst. 46. art. 1.*

377 Ad hæreticorũ fundamenta. Respondeo, quòd Dauid peccauit in occisione Vriæ, & quia vir bellator maximus erat, & multos sua manu occidit, ex quo lenitatis defectũ contraxit, & sic ob reuerentiam tẽpli, id dicitur Paralipom. 28. Alia autem loca intelliguntur de illo, qui authoritate priuata, & sine Principis ordinatione vult digladiare. Isaias autem vaticinatus est pacem futuri sęculi in gloria, vel in via, in qua licèt sint plura bella, maiora tamẽ fuissent, si Christus Dominus nondum venisset, & tunc forent nulla ex relatis conditionibus seruata, sed forent sine authoritate, & seditiones, duella, & sine probabili iustitia, animo magis deprauato nocendi, & sumendæ vindictæ, quàm salutem publicam, & commune bonum defensandi, quod enim ex bello tot mala sequantur, per accidens est iustè bellantibus, & si non foret bellum, maiora sequerentur, quę in communitatis damnum vergerent, cuius bonum est omnibus alijs priuatis bonis præferendum. Vnde negatur, esse contra pacẽ, & contra dilectionem inimicorum, & iniuriarũ remissionem. Concilium autem Nizenũ solum damnat eos, qui sub vexillo infidelium militabant, cum ad veram fidem cõuersi fuerint, iterum reddeunt ad bellum sub illo infidelium vexillo. Aliorum PP. testimonia sunt faciliora. Ad illud de Dauid, ex 2. Reg. 23. Respondetur, quòd illa tria mala quorum dabatur optio Dauid, solũ erant mala pœnæ, nõ verò culpæ, & quia minus malũ pęnę erat, tribus diebus pati pestilentiam, quàm famis spatio septem annorũ, aut persecutio ab aduersarijs per tres menses ideò istam præ cæteris prætulit, non quia bellum esset moraliter malum.

378 Sed oritur exinde difficultas apud quos sit ius, & potestas bellum indicendi? Et difficultas non est de bello defensiuo. Nam singuli authoritatem potestatem, & ius habent ad se defendendum, & cum moderamine inculpatę tutelę aggressorem iniustum occidere, si aliter periculum vitare non potest, & graue damnum, vt vnanimiter tenent DD. *Suarez sect. 2. Lorca disp. 50. Mendoza sect. 2.* est ergo difficultas de bello aggressiuo, in qua concors omnium sententia est, solum Principem superiorẽ, qui supremum in temporalibus non habet, vel Respublicam, quæ simul iurisdictionem apud se retineat, habere ius ingerendi bellum, seu dicendi. Nisi fortè Princeps esset ita negligens in defensanda Republica, vt ea de causa grauissima incommoda pateretur: tunc enim tota Respublica posset se vindicare, & Principem tali authoritate priuare. Ita Suarez.

379 Vnde sequitur; quòd Princeps, & Respublica imperfecta, & alius, qui superiorem habeat, nō potest legitimè, sine sui superioris authoritate aggredi bellū. Quapropter priuati minimè possunt indicere bellū. Ratio totius est: quia bellum est iudicium, & actus iustitiæ vindicatiuæ, quo punitur, & vindicatur iniuria, vel iniustitia accepta, à quo repetitur ius, quod iustè potest exigi: sed causæ agendę sunt coram superiore ex lege naturæ: ergo nisi supremus superior nō potest bellum indicere: aliàs erit cōtra præcepta, & leges naturæ, & contra superioris authoritatem.

380 Interdum tamē sufficiet voluntas prudentèr interpretatiua Principis, vt optimè notat *Suarez sect. 2. n. 3.* scilicet instante necessitate, & cum recursus ad superiorem est difficilis. Sed obijcies solus Imperator, & Sūmus Pontifex sunt Principes verè supremi, quibus alij subsunt: ergo solis illis competit ius dicendi bellū. Respondetur negādo antecedēs. Nā omnes Reges, & Respublicæ perfectæ habens suum ius supremum, & indepēdent ab alio superiori circa iustitiā sui territorij independenter à potestate imperatoria, quæ solum dignitate est suprema, non verò potestate, & iurisdictione.

381 Quantum ad Summum Pontificem, non sine graui fundamento dubitatur: & classis Canonistarum sunt pro antecedēti: tamen grauissimus Theologorum, & etiam Canonistarum exercitus defendit, in Summo Pontifice tantum esse supremū ius, quoad spiritualia directū in omnia Regna mundi, & indirectum quoad tēporalia; in quantum necesse fuerit ad spirituale cōseruationem, & sic supremi Principes non tenentur, spectare Summum Pontificem ad bellum indicendum. Poterit tamē ad conseruationē fidei, & Ecclesiæ cōuocare Principes Christianos ad bellū ex præcepto, quod Principes tenētur obedire: & sic potest Pontifex indicere bellum.

382 Imò propter dominium indirectum in temporalibus habet ius auocādi sibi causam belli inter Principes Christianos, & ferendi sententiam: cui si manifestam non faciat iniustitiam, tenētur Principes obedire. Quapropter multi Authores censent, quod rarò, aut nunquam inter Principes Christianos est iustum bellum: quia ad deliberandas causas belli facilior est via recursus ad Pontificem, vt ferat sententiam. Dices: cur ergo Pōtifex non interponit suam authoritatem? Respondet Suarez num. 5. ne fortè sequātur maiora mala. Sed quænam maiora sequi possunt, quam quæ in istis temporibus sequuntur? Respondebis, quòd non obedirent Summo Pontifici, sicut fecit Henricus VIII. Anglię Rex. Vnde iusto timo-

more non audet Pontifex suam interponere authoritatem.

383 Sequitur exinde; non solum esse contra charitatem, sed contra iustitiam, sine legitima authoritate, aggredi bellum, etiã si adsit legitima causa: quia cũ tale bellum fit sine legitima authoritate, est illegitimum, & absque iurisdictione: & ita ex tali bello oritur obligatio restituendi omnia damna, præterea, quæ recuperantur, & erant propria: & similiter incurruntur pœnæ contra iniustè bellantes latæ. Imò si Rex, v. g. Hispaniæ, vel Galliæ contra Summi Pontificis prohibitionem avocantis ad se causam, & se iudicem constituentis nihilominus tale bellum iustum faciant, contra iustitiam peccabunt, & tenebuntur ad restitutionem. Ita Suarez num. 7.

384 De Ecclesiasticis autẽ dicendũ est, quod si qui sint habẽtes supremã iurisdictionẽ, possunt, iusta exigẽte causa, propria authoritate, indicere bellũ, & illud aggredi absque metu irregularitatis. Ita Suarez, loquẽdo de bello pro re temporali, & pro re, & causa spirituali *Lorc. disp. 50. n. 9.* cum hac limitatione consulto prius Pontifice.

385 Deinde oritur alia difficultas. Quinam possunt in bello militarẽ? Et dicitur primo, quod nulli licèt in bello iniusto militare. Loquẽdo autẽ de iusto bello, militare licèt omnibus, quibus aliqua legẽ non est prohibitum; siuè sit subditus, siuè externus. Vnde, si bellum est iustũ nõ est illicitũ Principibus Christianis assumere milites infidelẽs in auxiliũ belli, spectata tantũ ipsa rei natura, etiã si bellũ sit contra alium Principem fidelem. Ex accidenti verò non licèt, quia exponitur maximo periculo peruersionis in fide ex consortio infidelium.

386 Loquẽdo de hęreticis; nõ licèt ex prohibitione Ecclesiæ: quia sunt excommunicati; tamẽ si nõ sint nominatim, & denuntiati, nõ est vnde nõ liceat, nisi ex primo capite per accidẽs fiat illicitũ. Videãtur *Maior. Antoni. Syl ueſt. & Moli. relati à Lorc. disp. 51. n. 4.* Atque eodẽ modo, per se loquendo, non est illicitũ fidelibus militare subRege infideli, etiam aduersus fideles; dũ tamẽ bellum sit iustũ; ex accidenti tamen id ferè semper est malum.

387 Si autẽ bellũ sit iniustum, cõtra tales lata est excõmunicationis sentẽtia Sũmo Põtifici in Bulla cœnæ reseruata, vt diximus opusc. de fide. Imò captiui Christiani, remigãtes, nõ tenẽtur adiuuare infideles contra fideles in bello iniusto, nisi maximũ detrimẽtũ illis immineat. Sed placet Lorca dicẽs, quòd similes tenentur, non remigare, & alia omittere magni momenti in auxiliũ infidelium: etiam cum propriæ vitæ dispendio: si ex inde probabiliter iudicent, victores futuros

esse fideles. Quia bonum commune debet priuato præferri.

388 De Clericis autem loquendo, conueniunt omnes illicitũ esse illis belligerare, seu militare in bello ex iure positiuo Ecclesiastico, vt multis textibus constat apud *Lor. disp. 51. n. 11.* & alios. Quia hoc ipsorum statu est maxima indecẽtia, & proximũ defectus lenitatis periculũ. Nomine tamen Clericorũ intelligo in sacris constitutos, siue sæculares, siue regulares. Vnde qui inter regulares sunt laici, & in minoribus tantũ cõstituti non cõprehendũtur illis textibus vt nõ pauci sentiũt. Alij verò renẽt oppositũ, quãuis isti à mortale excusentur; non verò in maioribus ordinati. Vnde esse ducem belli, Magistrumque, & præpositum machinis, &c. est peccatum in illis; quia hoc æquiualet, ac si propria magnu pugnarent.

389 Nihilominus tamen possent, rationabili ex causa, à Sũmo Pontifice dispensari, vnde sequitur, quod iure naturali, nec diuino, non est Clericis, adhuc maioribus initiatis, interdictũ militare exercitium. In bello autẽ defensiuo, illis pugnare licèt, pro sui, & alterius iusta defensione: & multo magis pro iustis Patriæ legibus, & bono communi; & necessitate vrgente tenentur ad pugnãdum. Et fortè aliud nõ est moderamen dictaminis in Catalonia vbi, nostris deplorandis tẽporibus, tot Religiosi graues militari exercitio se commisserunt.

390 Quãtum ad irregularitatem dicendum est: quòd si bellũ iniustum sit, & in eo aliquis occidatur, aut mutiletur, omnes manent irregulares, siue Sacerdotes sint, siue nõ, siue per se interficiant, siue per alios. Ita *Suarez sect. 3. n. 6.* si autem bellũ iustum sit, & Clericus peccat militando, & per se aliũ occidit, aut mutilauerit, manet irregularis; nã tunc homicidiũ, & mutilatio non sequuntur per accidens ex exercitio militari Clerici: sed per se: si verò alij occidant, non verò ipse, nõ manet irregularis. Si autem Clericus licitè militat, non euadit irregularis, etiam si per se occidat, aut mutilet cũ moderamine inculpatæ tutelæ. In defensionem propriæ vitæ, & boni communis. Quod à fortiori est maximè verum, quando ex dispẽsatione Sũmi Pontificis propriis manibus pugnauerunt Clerici in bello iusto.

391 Tertio oritur altera difficultas. Quænã sint causę iusti belli? Dura, & tyrãnica crudelitas nocendi fuit causa belli Tamorlani. Innanis gloriæ cupiditas, nominis ac famæ fuit causa bellorum Iulij Cæsaris, Alexandri dominandi cupiditas. Et omnes istæ tres causæ iniustæ sunt, & vt sic illorum bella iniusta, & iniqua fuere: & ferè semper aggressiua bella iniusta sunt; quia vna ex istis causis miscuntur.

Ad

392 Ad tres ergo causas reducuntur etiam causę iusti belli. Prima est defensio. Secūda vindicatio iuiurię, & iniustitię acceptæ. Tertia est recuperatio eius, quod iure debeatur. Alij sub vna causa istas tres colligunt: eaque est: quando est grauis iniuria illata, quæ alia ratione vindicari, aut reparari nequit; quæ tamen causa semper debet esse grauissima, & proportionata damno belli futuri; quod si prudentèr præuiderent belli cōsiliarij, in tot conflictos non deueniſſemus.

393 Cæterum varia sunt grauium iniuriarū genera. Primū, si Princeps res alterius occupet, & noluit restituere. Secundum: si neget iura gentiū sine causa, vt transitus viarum, & commune commertiū. Tertiū, grauis læsio in famam, & honorē; & hoc, siue immediatè sibi facta, siuè mediatè: quia facta subditis, vel amicis, aut cōfederatis; vt patet ex Abrahamo *Gen.* 14. & ex Dauide 1. *Reg.* 28.

394 Præter supradictū titulū alios titulos nominant Doctores; & quidem supra memoratū naturalis ratio dictat. Primus, ex numeratis ab authoribus, est infidelitatis; quia scilicet nollent verā Christi Religionē admittere; sed de hoc iā diximus opusc. de fide. Secundus est, vt Deus ab iniurijs vindicetur factis per peccata contra naturā, & per idolatriā: sed absque speciale reuelatione id non licere, videtur cōsentaneū, nisi in sacrificijs idolorū innocentes occidantur: tūc enim iustus titulus apparet ad ingerēdū bellū pro defensione innocentiū. Vnde persuasum habeo, quod Principes Christiani nullū iustū titulū possunt habere ad inferendum bellum contra barbaros, & nationes gentium, si titulus non sit radicitus fundatus in lege naturæ.

395 Quarta difficultas, quæ oritur est: Qua certitudine debeat cōstare, de iusta causa belli? circa quod sine controuersia est certissimū, quod si Princeps, facta recta intentione, & diligēter diligentia, & perfecto examine, de iure suo reperiat, esse iustum: tunc recta adest causa belli. Quare tota difficultas pendet in tribus casibus. Primo, quādo causa belli est dubia, adhuc facta sufficienti diligētia. Et multipliciter potest intelligi. Primo, ita quod nullus possideat. Secūdo in casu, quod vnus possideat. Et itē quādo vtriusq; sunt opiniones probabiles; & hoc ita, quod vna sit probabilior, si nullus, vel vnus possideat. Et tandem, quando opiniones vtrimque sunt æquè probabiles.

396 Dico ergo primo. Si veritate diligēter inquisita, & examinata, æquè sit vtrimque probabilitas, vel æquale dubium; qui possidet semper est præferendus: & sic alter iniustè gereret bellum, & iustè se defenderet

possidens, quāuis alij, & videtur rationi consentaneum, sentiāt, quod possidēs tenetur, aliquā satisfactionem facere alteri parti.

397 Dico secundo. Si nullus possideat, in tali æquilibrio, relinquendum est iudicium arbitrio prudentium virorum; & tenebuntur diuidere, si vtiliter diuidires possit: Si verò non, quæratur modus, vt vtrique parti fiat satis: Si tamen non componantur partes; quia earum vna totam rem occupare vult, & excludere alteram, eo ipso faceret alteri iniuriā, quàm iustè repellere potest, & isto titulo iusti belli rem totam occupare.

398 Dico tertio: quòd si vna pars sit probabilior, illi standum est, & alter non poterit iustè bellum mouere. Aliqua tamen satisfactio debet dari alteri parti; quod si noluerit altera pars facere, tunc iustè videtur, posse moueri bellum à parte probabili: & si vincat Beatus erit possidendo. Et sic videtur, quòd vtriusque nū quam licitum est bellum, nisi ex ignorantia inuincibili vna partium excusetur. Sed in re tanti momēti maxima inquisitio adhibenda est, ne in tot calamitates, & strages Regna Christianorum deveniant, vt experimur.

399 Dico quarto: duces belli ad consilium belli vocati tenentur, veritatem belli diligēter inquirere. Alij verò subditi non vocati ad tale consilium, segerere debent, sicut alij milites: & ita tenentur ire ad bellum, sicut alij milites priuati; dummodo illis non constet certo, bellum esse iniustum: in quo casu non tenētur conformari, sed potius non cōformari tenentur. De alijs verò militibus stipendiarijs, aliqui dicunt, teneri, examinare iustitiā belli; nisi sint de illis, inquit Caietanus, qui tempore pacis, etiā stipendia accipiunt: quia isti sicut subditi possunt segerere: & sic dum eis non constet de iniustitia belli possunt se conformare cum Principe, & ducibus consiliarijs status belli. Legātur *Suarez sect. 6. Lor. disp. 54. Dia. Felix de conscientia, & plures alij.*

Minister. Promouere ministrum hæreticū precibus, vel fauore, vt eligatur ad beneficiū, ne alius nequior, & pernicioſus Catholicus eligatur, non esse illicitum sentit Lugo. p. 265. n. 150. Si tamen Catholicus sit, habens ius patronatus, illud ei non licet, nisi petatur à Papa dispensatio, vt redditus illi Ecclesiastici, applicentur huic hæretico. Sed tamen Papa nō poterit dispensare in eo, vt ille hæreticus sit verus minister. ibi.

Miracula varia confirmātia euidentiam credibilitatis nostræ fidei. pag. 88. n. 250. Miracula possunt fieri vera per prauos homines, si Deus voluerit. n. 251. Miracula fieri à Deo in cōfirmationē falsæ doctrinæ, repugnat simpliciter. n. 251.

Missæ. Sacrificio adesse cum infideli, nō est absolutè prohibitum. p. 296. n. 246. Missam celebrantes sine Sacerdotio, debent tradi Curiæ seculari, etiā si ab Inquisitoribus petant pœnitentiam. p. 362. n. 472. Missę possunt celebrari pro illo, qui in duello mortuus est, dum signa concionis emiserit, & confessionem petierit. pag 446. num. 67.

Misericordiæ opera esse quatuordecim, septem corporalia, & septem spiritualia, scire, non est necessarium, quāuis aliud dicit Lorca. p. 278. n. 188.

Mysteria fidei prudenter, & euidenter sunt credibilia. pag. 92. n. 259. Trinitatis fides explicita fuit fortè necessaria ne-

ceſsitate medij, in ſtatu innocentiæ. p.233.n.43. Sed poſt Adæ peccatum ſufficiebat fides implicita: & Euangelio promulgato ſufficienter, explicita fides myſterij Trinitatis eſt neceſſaria.n.44.

Modus procedendi contra hæreticos triplex. pag.330.n.359.

Modus eſſendi Corporis Chriſti in Euchariſtia, non educitur ex potẽ. ia Corporis Chriſti, ſed eſt ſupernaturalis. pag.145.num.113.

Mors. In eius articulo nulla eſt reſeruatio.p.348.n.418. Quilibet Sacerdos ſimplex poteſt abſoluere ad hęreſi in præſentia cuiuſcũque. ibi. In articulo mortis, hæreticus debet confiteri cum hæretico Sacerdote, ſi alius non ſit, etiam ſi hæreticus Sacerdos eadem, vel diuerſa hæreſi laboret. p.349. n.419 In mortis articulo poſſe laicum abſoluere à cenſura Summo Pontifici reſeruata, ſentiunt nõ pauci: ſed alij negant: alij verò affirmãt de laico iudice Eccleſiaſtico.n.421. & 422 Mortis ſupplicio irremiſsibiliter, ſunt puniendi hęretici, qui ſunt pertinaces poſt monitionem Eccleſiæ p.358. n.456. Mortis ſupplicio nõ eſt puniendus non relapſus, qui ante ſententiam conuertitur, nec eſt ſeculari brachio tradẽdus, ſed recõciliandus.p.359. n.458. Mortis pœna poteſt condonari, ſi poſt ſententiam conuertatur hæreticus, dũ ſententia non fuerit lecta in publico, & reus non fuerit traditus brachio ſeculari. n.459. Mortis pœna plectuntur hæretici negatiui, alias de ſuo crimine plenè probationibus, & teſtibus conuicti. n.450. Idẽ ſi confiteatur aliquas hær. ſes, ſed negat alias de quibus eſt conuinctus; & de confitente ſuam hæreſim, ſed negat cõplices. Tamen praxis Tribunalis eſt in contrarium. ibi.

Motiuũ formale fidei æquè informat omnia credibilia, ſcilicet extrinſecè. p.9. num.17. Motivum fidei non eſt dominium diuinũ; nec ſola veritas in dicendo, aut in cognoſcendo, ne ratio glorificatoris, à p. 23.a n.58.ad 65. Probabile eſt quòd ſit conceptus Deitatis præcisus. n. 60. Eſt ergo authoritas diuina, ſeu veracitas, vt includit veritatem in actu primo in cognoſcendo, & dicendo.p.24.n.64. Vt ſpecificet actum fidei ſupernaturalis eget habitu, vel auxilio.p.35. n.94. Motiua efficatia euidẽtiæ credibilitatis reducuntur ad quatuor. p. 85. num. 243. Hæc motiua oſtendunt obiecta fidei eſſe reuelata à Deo. pag.94.num.267. Motivum formale virtutis eſſe ſupernaturale non ponit obligationẽ ex præcepto ad actum ſupernatu-

naturalem. p.148. num.125. Motivum formale fidei, neque est naturale, neque supernaturale. n. 126. Imbibitur expresse in discursu formali, sufficienter ad specificandum assensum conclusionis, vt sit actus fidei. p.152.n.137. Motiua plura, si proportionentur intellectui, operabitur intellectus circa illa. p.183.n.229. Motivum fidei non relinquit potentiam liberam secundū speciem. p.183.num 230. Fidei humanæ esse fallibile, & fidei infusæ infallibile, non facit actus contradictorios. p. 188.n.244. Ex motiuo scientiæ, & fidei infusæ non posse procedere eundem actum, sequuntur Scotistæ aliqui, si scientia sit per proprias species, secus si per alienas. pag. 190.n.250. Ex motiuo fidei, & scientiæ per proprias species abstractiuè potest procedere idem numero actus. n. 251. Idem ex motiuo fidei, & scientiæ per alienas species. p. 192. n. 257. Idem ex motiuo fidei diuinæ, & humanæ. p.194. n.261. Motivum formale concupiscentiæ est bonitas relatiua. pag.378. n.25. Motivū formale virtutis est, quod est causa immediata omnium actuum illius virtutis, & in quo vltimo resoluitur virtus. pag.379. num.26. Motivum idem formale est dilectionis Dei naturalis, & supernaturalis. pag.462.n.36. Vide verb. *Fides, Spes, Charitas, Obiectum.*

Mulier honesta, aut virgo, patiens morbum in verēdis, tenetur, admittere curationem obstetricum, aut aliarum fœminarum, secus medicorum; sed oppositum, dum non sit periculum consensus, tenent multi. pag.524.n.214. Mulier se ornando, non peccat peccato scandali, si iuxta patriæ consuetudinem se ornet, etiā si sciat, exinde lasciuè appetendam fore ab aliquo, seu ab amasio, dū tamen nō se ornet propter talē finē. p.572.n.362

Mundus. Mundū in tempore, & non ab æterno fuisse conditū, continentur in Symbolo. pag. 238 num 64.

Mutuum Petere ab vsurario paratò ad vsuram, non est semper illicitum. p.571.n.358.

N

Naaman non petijt ab Eliseo licentiam adorandi simulare Idolum, sed seruiendi Regi suo genuflexus, quæ est cerimonia indifferens. pag.250. num.107.

Natura rei non repugnat in eodē actu obscuritas, & euidentia intuitiua circa idē obiectum materiale. p.192. num.254. Naturæ lapsæ in lege naturæ, & scripta fuit necessaria fides explicita Christi, vt mediator

est. p.227.n.25. Natura eadē est principiū motus, & quietis. p.412.n.139.

Naturale, vt opponitur violēto, dicitur per ordinē ad receptivū. p.138.n.94. Prout opponitur libero, dicitur per ordinē ad principiū determinatū ad vnū. n.95. Per contrapositionē ad supernaturale, difficile explicatur. pag.139.n.96. Naturali actu potest quis credere propter diuinum testimonium. p.218.n.92.

Naturalitas nō constitit in respicientia ad Deū, vt vnū. p.139. n.97. Neq; in debito, aut exigentia naturæ. n.98. Neque in participatione alicuius esse diuini, prout in alio. n.99. Sed in ordine ad agens naturaliter causativum. p.142.n.104. & pag.144.n.110.

Necessariū, Necessitas. Quidsit necessariū necessitate præcepti, & medij? remissiuè. p.220. n. 2. Necessitate præcepti est necessarius actus fidei. ibi. Necessitate medij non esse necessariā fidem, dicunt aliqui, dixisse Vegā, & Sotum. p.221. n.4. & 5. Necessitate medij esse necessariā aliquā cognitionē supernaturalē, nō tamē quod sit fides, videntur tenere Ripalda, & Hurtado. n.5. Necessitas alicuius in voto tunc sufficit, quando moraliter nō est possibilis necessitas eius in re. p.222.n.9. Necessitate medij fuit necessaria fides explicita Christi Angelis. p.227.n 24. Necessitate præcepti solū est necessarium, credere seorsim omnes articulos contentos in Symbolo Apostolorum. pag. 257. num. 59. Necessitas credendi explicitè Sacramenta, non oritur ex præcepto fidei, sed ex alijs præceptis aliarum virtutum. pag.238.n.63. Necessitatem moralem solū ponit coactio Ecclesiæ. pag. 329. num.354. Necessarius est necessitate medij in re, vel in voto actus spei. pag.425.n.3. Licet alij negent. n.1. Necessitate præcepti est necessarius. p.427.n.7. Necessitas proximi carnaliter cōiuncti, potest esse leuis, & proximi spiritualis ita vrgens, vt hęc necessitas debeat præferri. p.520.n.202. In extrema necessitate prius tenetur quis, cōmunitati subuenire, quam sibi, exponendo propriam vitam. p.521.num. 205. Necessitate extrema sibi, & proximo, sibi potius tenetur subuenire. n. 206. Excipitur casus, vbi proximus esset Princeps, vel alius necessarissimus in Republica. p. 522. num. 207. Necessitate extrema constituto spirituali physicè, quilibet subuenire tenetur cum extremo vitæ periculo, dum moraliter sit certus quod ei subueniet, & quod ipsemet sit in gratia. p.525.n.216.

Negans. Negantes Beat. Mariæ vir-

virginitatem tenentur Inquisitores tradere curiæ sæculari, pag.362.n.472. Similiter negantes Trinitatem diuinarū Personarum, vel Christi diuinitatem, vel Christum conceptum de Spiritu Sancto ex Maria V. vel mortuum propter nostram redemptionē, ibi. Negans conclusionem ex vna reuelata, & altera euidēter nota, est hæreticus, secundū aliquos: alij dicunt hæreticum præsumi, p.306.n.276. Negās se esse Religiosum, aut Sacerdotem, cum sit, non peccat contra fidem, etiam si interrogetur ab hęretico, pag.247. num.98. Imò tolum est veniale, hoc negare; & si adest amphibologia, poterit esse meritorium, tunc occultare id, ibi. Negans se esse Christianum, aut Catholicum, aut Papistam, mortaliter peccat, pag.247.num.97.

Negare. Negatio. Negativus. Negatio infinitans est, esse non visum, quod est de ratione obiecti fidei, pag. 179.n 217. & 18. & p.182.n.226. Negare, quod principia actuum supernaturalium sunt habitus, non est contra fidem, p. 196. n.1. Negare fidem actu solo externo tēpore persequutionis, ad tuendam vitam licere, sectarum hæretici, p.247. n. 95. Negare exterius fidem Christi, semper est prohibitū, adhuc pro vita tuēda, in omni euentu, n. 96. Negare fidē exterius, est mentiri, & facere Deum mendacem, ibi. Negationem fidei externam ponē esse tātum veniale, negat optimè Diana; sed affirmant nō pauci, p.257. n. 128. Negatiuus semper, donec positus in tortura confitetur, & viginti quatuor horas ratificans confessionem, numeratur inter hæreticos pœnitentes, p.363. num.473. Vide verb. *Hæreticus, Pœna, Absolutio.*

Negligentia. Prælatorum Ecclesiæ, Parochorum, Prædicatorum, & Magistrorum aliquorum multi ex fidelibus habēt ignorantiam rerum fidei, p. 242.num.79. & 80.

Nepotes. Hęreticorum, in secundo gradu per lineam masculinam, contrahunt pœnas: licèt de irregularitate aliqui negēt, pag.363.num.475. Redduntur incapaces ad beneficia, ibi. Et collatio beneficij est nulla: licèt oppositum alij dicant, ibi. Redduntur Incapaces ad officia Ecclesiastica, & sæcularia, ibi.

Nolle. Nolitio. Efficax, & volitio inefficax compatiuntur circa idem obiectum, pagin. 420.num.165. Nolitio obiecti spei, vel nolitio mediorum, vel nolitio actus spei potest esse formalis desperatio, pag.423.n.172. Nolitio for-

formalis mediorum est desperatio interpretatiua finis, num. 174. Nolle sperare firmiter beatitudinem est desperatio, pag. 414. num. 175. Nolle bonum potest voluntas sub ratione boni, num. 176. Nolle semper supponit velle pag. 393. num. 75.

Notitia. Notorium. Notitia quã requirit præceptũ correctionis debet esse humana, pag. 552. num. 297. Non sufficit nostra dubia, sed requiritur humano modo certa; nec probabilis sufficit, num. 298. Notitia de Deo Trino infusa est magis supernaturalis quoadmodum, quam notitia infusa geometriæ, pag. 135. num. 85. Notorium percussorem Clerici, & nominatim publicatum excommunicatum, tenemur solum vitare, pag. 445. num. 63.

Nouũ. Testamenti noui fides appellatur claritas, & lux in cõparatione fidei veteris Testamenti, pag. 165. num. 177.

Nuptiæ secundas contrahere viuente prima vxore est suspicio leuis de hæresi, pag. 368. num. 488. Nuptiales benedictiones licitè potest Sacerdos dare coniugibus clandestine coniunctis, vbi non est Trident. receptum, quorum vnus est Catholicus, & alter hæreticus: sed negat Sanchez, pag. 263. num. 145.

O

Obiectum materiale primarium fidei est Deus; vt sic sub sola Deitatis ratione, pag. 5. num. 4. Materiale adæquatum est omnia reuelabile à Deo, pag. 8. num. 13. Inter materialia fidei datur ordo dependentiæ in esse credibilium: ita quod sit vnum primum credibile, pag. 11. num. 22. Ex inde non sequitur fidẽ esse discursiuam, p. 13. num. 27. Materiale fidei complectitur omnes veritates necessarias, & contingentes præteritas, & futuras, supernaturales, & naturales, pag. 15. num. 36. Nunquam creuit; nec diminutum est, pag. 19. n. 47. Formale quod fidei non est Deus sub ratione Saluatoris, nec sub ratione Verbi, nec sub ratione voluntatis, nec sub ratione entis infiniti, nec sub ratione boni, pag. 30. num. 79. Communis opinio ait, quòd est Deus sub ratione Deitatis solum, pag. 30. num. 80. Obiectum ergo formale est Deus sub ratione summæ, & infinitæ veracitatis in cognoscendo, & dicendo, pag. 31. num. 82. Obiectum formale *quod* completur ex primario attributionis, & ex formali *quo*, ibi. Idẽ obiectũ attributionis est fidei, & Theologiæ, non verò idem obiectum

ctum formale quod, pag. 32. num. 84. Ex parte obiecti se tenet determinatiuum potētiæ ad actum, pag. 34. numer. 91. Obiectum formale iudicij euidentiæ credibilitatis est connexio consequentiæ cum præmissis sui extremorum cum medio, scilicet cum auctoritate diuinæ reuelante, seu testificante, pag. 98. num. 280. Obiectum euidēter credibile esse obscurum, solum potest facere, quod voluntas imperet omissionem assensus, non verò dissensum pag. 114. num. 22. Obiectum materiale, & formale fidei potest terminare actū omnino naturalem. pag. 147. num. 119. Obiectum fidei est euidens euidentia abstractiua, p. 165. num. 178. Dicitur obscurum à propositione obiecti, & ita ab eo quod propositio obiecti sit euidens, clara, vel obscura obiectum dicitur euidēs, clarum, vel obscurum, p. 172. num. 194. Obiecta fidei esse euidenter credibilia, non tollit assensum fidei, pag. 174. num. 202. Obiectum esse clarum, est esse propositum secundum quod est in se realiter, & facialiter præsens: & esse obscurum, est esse propositum per species alienas, vel proprias non repræsentantes illud, vt in se est realiter, & facialiter præsens, p. 180. n. 220. & 224. & 226. Obiectum, qua ratione videtur, non creditur, pag. 184. num. 233. Idest actus visionis formaliter, qua talis, non est actus fidei, ibi.

Obiectum spei debet esse bonum absens, & futurum, & arduū, pag. 371. num. 1. Obiectum idem sub eadem rationi formali non potest specificare actus oppositos fugæ, & prosecutionis, spei, & desperationis, pag. 373. num. 7. Obiectū principale spei est beatitudo supernaturalis nostra, pag. 375. num. 13. Vt constat ex beatitudine obiectiua, & formali', num. 14. Obiectum tristitiæ damnatorum nō est Deus præcisè, nec malū præcisè, sed vtrumque simul, pag. 176. num. 16. Obiectum gaudij beatorum est Deus, vt visus, & amatus, ibi. Formale obiectum spei est idē, ac obiectum materiale attributionis primarium spei, pag. 383. num. 44. Referuntur variæ opiniones de obiecto formali spei, & reijciuntur, à p. 377. num. 21. ad num. 23. Obiectū motiuum formale spei est bonitas infinita Dei, prout in esse nobis supernaturaliter potest, seu, vt nobis bona, pag. 378. n. 24. Obiectum in quo speramus, est medium, cui spes innititur, vt circunstantia quibus auxilijs, p. 381. num. 35. Obiectum completum con-

consurgere ex duplici incompleto benè intelligitur; secus ex duplici actu diuersarũ potentiarum, vnum consurge, pag. 387. num. 57. Obiectum eo ipso est arduum, quod efficaciter desideretur, consequi, vt nobis futurum bonum, p. 389. num. 63. Obiecta materialia spei sunt etiam dona naturæ, pag. 402. num. 108. Obiecto spei stante non absolutè futuro, manet etiam obiectum formale spei, p. 438. num. 45. Obiectum formale spei nõ requirit, vt sit absolutè futurum, sed sufficit, vt sit futurum sufficienter, n. 46.

Obiectum charitatis. Materiale primarium attributionis est Deus, pag. 450. num. 1. Secũdarium est propria persona, & proximi, bona supernaturalia, spiritualia, & temporalia, num. 2. Motivum formale debet habere tres conditiones, & quod sit ratio propter se amabilis super omnia, & quod non sit amabile propter aliud, & quod aliud non sit æquè amabile propter se, sicut ipsum est amabile, p. 454. num. 11. Aliud est motivum inadequatum, aliud adæquatum, ibi. Motivum charitatis incompletum est quodlibet attributum diuinum, n. 13. Omnino adæquatum est omnis bonitas Dei, tam essentiæ, quã attributorũ, p. 457. n. 22.

Oblationes. Non debent fieri pro fautoribus hæreticorum, p. 367. n. 486. Oblationes non debent recipi à fautoribus hæreticorum, ibi.

Obligatio. Instat ex præcepto naturali diuino defendendi, vel confitendi fidem, pensatis debitis circunstantijs, pag. 267. num. 157. Obligatio grauis non est sciendi, vel credendi nomen Iudicis sub quo Christus est passus, pag. 270. num. 167. Obligatio grauis est credendi explicitè Christum passum, & mortuũ propter nostram salutem, ibi. Similiter genus mortis, scilicet crucifixum: licèt Suarez oppositum insinuet, & Ioann. à S. Thom. omisit, pag. 171. num. 168. Obligationem grauem esse credendi expresè sepulturam Christi, dicunt aliqui, & alij negare videntur, pagin. 271. num. 169. De descensu ad inferos idem, num. 170. De Resurrectione Christi certum est esse obligationem credendi explicitè. Circa tertium diem dubitant aliquid, sed verius est esse obligationem credendi explicitè, pag. 272. n. 172. Obligatio est credendi explicitè, quòd Christus ascendit ad cœlos, & sedet ad dexteram Patris: idest in supremo gloriæ gradu, pag. 273. num. 173. Obligatio est credendi explicitè, quod sit venturus iu-

iudicare viuos, & mortuos, num. 174. Idem de vna Sancta Ecclesia Catholica, & de Sanctorum Communione, pag. 275. num. 180. Licet de vltimo sit opinio contraria, ibi. Obligatio est credendi remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitã æternam, num. 181. Obligatio est credendi explicitè Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, pag. 276. n. 182. & 183. Obligatio fidelium ad Missam, est ad offerendum cum Sacerdote sacrificium, inquit Lugo ex Suario, num. 184. Obligatio credendi explicitè alia quatuor Sacramẽta, est sub mortali, ait Lorca; alij dicunt sub veniali: alij dicunt nullam esse obligationem, pag. 277. n. 185. Obligatio non est adiscendi rudimẽta, quæ pro pueris ponũtur in Cathechismo, vt duodecim Fructus, & septem dona Spiritus Sancti, tres Animæ inimici, tres Potentiæ, confessio generalis, tres virtutes Theologales, quatuor Cardinales; est tamen vtilissimũ hæc omnia scire, pag. 279. num. 191.

Obscuritas. Obscurum. Est habens carentiam claritatis, seu luminis: & obscuritas est carentia claritatis, seu luminis, pag. 164. n. 175. Obscuritas proprie non est in actu, sed in potẽtia, vel in medio, aut in obiecto, ibi. Obscurum esse obiectum, est esse propositum per species alienas, vel proprias, non repræsentantes illud, vt in se est realiter existens, & facialiter præsens, pagin. 180. num. 220.

Occidere. Parentem, vel filium ob defensionem innocentis, qui iniustè inuaditur, est illicitum, pag. 521. n. 205. Excipe casum, vbi innocens sit ita necessarius bona communi, vt ipso occisso, bonum commune periclitaretur, ibi. Filiũ posse licitè occidere patrem bãnitum, aut è contra, sentiũt aliqui, ibi. Occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ iniustum inuasorem, licitum est: nisi aggressor sit Princeps, vel necessarissimus Reipublicæ, pag. 522. num. 207. Excipe casum, vbi aggressus, seu inuasus animæ suæ periculum timeret, ibi. Occidere potest licitè Sacerdos inuasorem, intermittendo Missam, vt sic defendatur, & postea sacrificium prosequi, ibi. Occidere illum, qui de facto non inuadit, sed inuadere decreuit, nõ est illicitum, ibi. Occidere potest licitè illum, qui venit ad te catapultã explosurus, præueniendo illum, ibi. Vxor potest præueniendo, occidere maritum, qui sub ceruical: recondidit pugionem, vt illam occidat, ibi. Occidere licet

mandatarium mortis, & mãdantem te occidere, ibi. Similiter falsum accusatorem, & falsum testem in causa capitali, etiam si crimen sit verum, sed occultum, ibi. Occidere potest licitè adulter maritum aggressorem, si sit moderamen inculpatæ tutelæ: sed si adulter prævidit homicidiũ futurum ex adulterio, erit reus homicidij, ibi. Occidere se ipsum ex intentione occidendi est intrinsecè malum, & mortale contra charitatem, & iustitiam, pag. 524. num. 211. Potest hoc est ignorantia excusari, ibi. Occidere licèt pro defensione pudicitię inuasorem, pag. 525. num. 215. Et hoc non solum licèt fœminæ, sed alteri, dum fœmina aliter non potest, euadere periculum, ibi. Clerico, & Religioso licèt occidere iniquum inuasorem de peccato nefando, ibi.

Occultare. Fidem vestibus infidelium deputatis ad cultum falsæ sectæ Religionis, quibus vtuntur sacri figuli in suis sacrificijs, non est licitum, pag. 259. num. 133. Occultare fidem, quando instat obligatio confitendi illam, est prohibitum, pag. 265. num. 152. Occultare fidem aliquando erit melius; imò necessarium, quam illam offendere, ibi. Occultare fidem, est illicitum fideli, dum coram ipso infideles nostram fidem irridenti: tenetur enim, illam defendere, & pro ea mori illam confitendo: imò si opus fuerit occidere infideles, p. 266. num. 153. Occultare fidem tacendo, non est illicitum quando ex taciturnitate non sequitur graue fidei detrimẽtum, secus si timeatur sequi, pag. 267. num. 155. Occultare fidem ambiguitate, si exinde scandalum sequatur, vel detrimentum auctoritati diuinæ, aut fidei honestati, est illicitum, num. 157.

Odium Dei, & desperatio non destruunt fidem, pagin. 208. num. 55. Odium culpæ ex timore pœnarum, licèt oriatur ex amore concupiscentiæ, etiam oritur ex affectu iustitiæ, & non præcisè ex affectu commodi, pag. 432. num. 22. Odio habere beatitudinem, & eius carentiam velle, est intrinsecè malum, pagin. 442. num. 55. Odium Dei ex suo genere est mortale contra supremum præceptum, & maximam virtutem, & est peccatum omnium maximum, pag. 556. num. 314. Odium est actus fugæ, & nolitionis, num. 315. Odio potest Deus haberi à creatura, etiam si sit clarè visus, potentia absoluta loquendo, pag. 556. num. 317. Odio inimicitiæ nolo

Petrum, dum volo illi malũ, vt ei malũ est, & nolo illi bonum, vt illi bonum est ex displicentia personæ, p. 558. n. 320. Odiũ proximi ex suo genere est mortale; non est capitale, sed quasi extremum malum ortum ex alijs, scilicet ex ira, vel inordinata auaritia, aut concupiscentia, vel ex inuidia, & sic putant aliqui hoc peccatum plurium specierũ, pag. 560. num. 323.

Offerre licitè possumus publicas preces pro excommunicato tolerato, & non denuntiato, pag. 264. num. 145.

Officium. Officio priuantur hæretici ipso facto, quoad vsum, non verò quoad substantiam potestatis, pagin. 350. num. 425. Ad officia publica sunt inhabiles fautores hæreticorum, pag. 367. num. 486.

Omnipotentiæ Dei non repugnat, quod miracula vera fiant per prauos homines, pag. 88. num. 251.

Omissio credendi, quando instat præceptum, est peccatum graue contra fidem, & infidelitatis: quamuis contrarium dicat Lugo, pag. 284. num. 204. Omissio credendi, instante præcepto, & commissio dissensus circa res fidei, in ratione infidelitatis non differunt, ibi.

Opera Misericordiæ esse quatuordecim, septem corporalia, & septẽ spiritualia, non est necessarium scire explicitè, quidquid dicat Lorca, p. 278. num. 188.

Opinio. Opiniones æqualiter probabiles sequitur necessariò intellectus, p. 114. n. 22. Opiniones variæ circa constitutiuũ supernaturalitatis, pag. 139. num. 97. vsque ad 109. Opinionum varietas circa constitutiuum motiui fidei stat optimè cum eo, quod Ecclesia sit certa de fide de sua fide, p. 42. n. 115. Opinionis assensum posse componi cũ assensu fidei est opinio communis, p. 188. n. 243. Opinio, & scientia possunt esse simul, p. 190. n. 248. Opinio est incerta aptitudinaliter, n. 249. Opiniones variæ circa necessitatem fidei Christi referuntur, pag. 227. à n. 24. Opiniones de obiectis necessariò credendis necessitate præcepti, referuntur, in lege Euangelij, p. 237. n. 58. Opiniones variæ, in quo tẽpore obliget fidei præceptũ, p. 240. n. 67. Opiniones variæ circa illa verba; *viuos, & mortuos*, pag. 274. n. 178. Opiniones variæ, cur Ecclesia dicatur Sancta, num. 179. Opiniones variæ circa illud: *Sanctorum communionem*, num. 180. Opiniones circa illud: *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam*, pag. 287. num. 214.

Oppoſita. Oppoſitio. Priuatiuè oppoſita no ſunt in eodem actu, qui ſimul eſt fidei, & ſcientiæ, pag. 191. num. 253. Oppoſitio eſt in deſcenſu inter lapidem, & impellentem lapidē, pag. 192. num. 256.

Oratio Dominica nō pertinet ad obligationē credendi: ad obligationē ſciendi pertinere aliqui non benè explicant: alij dicunt, eſſe peccatum veniale, illam non ſcire, ſed alij aſſerunt nullum eſſe peccatum, pag. 278. num. 189. Orare tenentur omnes fideles ad Deū, num. 190. Orationem Dominicam, & Angelicam ignorare, multis videtur ſaltem veniale, ibi.

Ordo. Ordinatio. Ordinis eiuſdem ſunt calor diſponens ad ignē, & ignis, pag. 201. n. 20. Ordinatione diuina, fides præcedit ſpem pag. 204. num. 35. Ordine iuſtificationis eodem modo debemus loqui de Angelis, ac de hominibus, p. 210. num. 59. Ordo iuſtitiæ, & miſericordiæ Deus neminē certificat de ſua damnatione, niſi prius certificet de peccatis, quæ cauſant damnationem, pag. 435. num. 35.

Origenes. Eius libri expurgati nō ſunt prohibiti, p. 326. n. 344.

P

Pactum Cum Dæmone eſt vehemens ſuſpitio de hæreſi, pag. 368. num. 488.

Paganus. Paganiſmus. Pagani ſunt Gentiles, & Idolatræ, qui multos Deos colunt, pag. 89. num. 252. Paganiſmus, quid ſit? p. 280. num. 194. Eſt peccatum minus graue, & quam Iudaiſmus, & Hæreſis, p. 283. num. 203. Extenſiuè tamen eſt grauius, ibi.

Palao. Falſo citat Suarium, pag. 323. num. 333. Malè citat Sācium, & Suarium, num. 334. Videtur ſe contradicere expreſsè, pag. 324. num. 337.

Paranimphus. Eius munus, ſi ſit offerre Miniſtro ſponſos, vt eos coniungat, non eſt licitū Catholico: ſecus ſi ſolum ſit tradere ſponſam ſponſo, vel è contra, poſtquam iam ſunt legitimè coniuncti, pag. 263. num. 144.

Paſsiones. Iraſcibilis, & concupiſcibilis dantur in voluntate, p. 393. num. 77. Diſtinguuntur, & quomodo, ibi.

Paſtor. Bonus habet ius, & poteſtatem, ſi opus fuerit, ouem virulentam occidendi, pag. 328. numer. 350. Paſtores Eccleſiæ non debent per ſe ipſos, exercere gladium materialē, pag. 330. num. 358.

Patres. Vnanimis Sanctorum Patrum conſenſus eſt regula infalibilis, ſi Patres confirment conſenſum, vt ab Apoſtolis traditum: ſecus vt à pro-

proprio Ingenio inuentum, p. 103. n. 290. Pater non tenetur vi, & armis impedire, quod suus filius circuncidetur, vel baptizaretur à domino, pag. 264. num. 147. Patres Catholici possunt permittere, vt filius eorum baptizetur à domino hæretico; si sine graui detrimento non possunt impedire, ibi. & pag. 265. num. 149. Parētes Catholicos posse licitè committere suos infantes nutricibus hæreticis delaturis eos secum ad templa hæreticorum, ait Lugo: sicut quod in grauissima necessitate, posse parentes permittere filios collocari, aut commodari cum dominis hæreticis, aut infidelibus, p. 265. n. 149. *Paulus Apostolus* dicit: *Quòd videmus per fidem*, & Augustin. dicit: *Si vides non est fides, sed componuntur*, pag. 184. num. 233. Licitè circuncidit Timotheum; totondit in cineris caput, & venit Hierosolymis eleemosynas facturus, & purificari in Templo, p. 249. num. 105. Qualiter Petro restitit. num. 106. Pauli dictum illud: *In omnem terram exhibit sonus eorum, &c.* expenditur p. 287. n. 216. Pauli textus ille: *De his, qui foris sunt* expenditur, p. 329. n. 355. & illud: *Nō sine causa gladium portat*, & illud: *Mitte gladium tuum in vagina*, p. 330. n. 358.

Peccatores. Peccatum. Peccato quouis mortali fidem amitti dicebat errando Lutherus, p. 207. n. 49. Peccatum infidelitatis demeritoriè tātum opponitur fidei, p. 208. n. 53. Peccatum hæresis tantū opponitur cum actu fidei, non verò cum habitu, n. 54. Peccato finalis impœnitentiæ contrahitur meritū iustitiæ formale carendi omni dono supernaturali, p. 214. num. 75. Peccat mortaliter, negās se esse Christianum, Catholicum, aut Papistam, p. 247. n. 97. Similiter dicēs esse Iudæum, Mahumethanum, aut Caluinistam, ibi. Peccatum non esse contra castitatem propositum, & promissio fornicandi cras, sequi videtur ex doctrina Cardinalis de Lugo, p. 253. num. 115. Peccatum veniale solum esse aliquando circa negationem fidei externā, dicunt non pauci, p. 257. n. 128. Mortale non esse si cōcionator dicat, quòd Adam vixit plures annos, quam dicit Scriptura, aiunt aliqui, ibi. Peccatum veniale admittit clauis Regia in hæresi: sed displicet, ibi. Non esse mortale, asserere aliquam falsam circunstantiam in materia leui cōtra sacram Scripturam ex negligentia volūtaria, ait Salas, n. 128. Peccatum veniale esse tantum, memoriter non scire ea omnia, quæ sunt

de necessitate præcepti, si substantia sciatur, ita, vt responderi possit ad interrogationes, dicunt multi, pag. 279. n. 191. Ad peccatum hæresis, quoad forum internum sufficit voluntarium indirectum resistendi doctrinæ fidei, vel assensus, aut dissensus contra veritatem fidei ortus ex ignorantia vincibili. Per ordinem verò ad forum externũ Ecclesiæ, & quoad pœnas requiritur voluntarium directum ex scientia, & aduertentia ex contumacia, pag. 300. n. 258. In peccato hæresis dari paruitatem materiæ non videtur difficilè quibusdam; sed oppositum est certum, p. 301. n. 263. Peccatum infidelitatis ex grauiter culpabili ignorantia non expelere habitũ fidei sentit non consequẽter Lugo, p. 392. n. 65. & 66. Peccatum quodcumque infidelitatis contra fidem, præter hæresim formalẽ, non esse reseruatum per Bullam Cœnæ; & idem de peccato infidelitatis orto ex ignorantia culpabili, sequitur in sententia Lugi, n. 266. Peccati speciem non variat voluntarium directum, & indirectum, aut ex ignorantia culpabili, aut pertinacia, p. 303. n. 268. Peccatum hæresis est pernicioſissimum Reipublicæ, & Ecclesiæ iniurioſissimum, p. 327. num. 346. Peccatum omittẽte ex timore pœnæ, non est præferre malum pœnæ malo culpæ, pag. 431. num. 22. Peccata reddere beatitudinem absolutè non futuram, non tolit ab homine obligationem sperandi, pagin. 441. n. 51. Peccatum, quo peccator, certo cognoscit, sibi non esse futuram beatitudinem, & per reuelationem scit de fide, futuram esse suam damnationem, maximè, si velit permanere in peccato, pag. 439. num. 46. Peccata venialia non possunt minuere habitum charitatis, pagin. 507. num. 164. Omnia hucusque commissa non æquant in malitia bonitati minimi gradus gratiæ, pag. 508. num. 166. Solis venialibus hominem damnari est erroneum, num. 164. Peccatum vltimum veniale fieri mortale ab effectu est improbabile dictum, num. 165. Disponi verò ad mortale, num. 167. Peccatum omne mortale est ex se correctioni fraternæ materia, pag. 528. num. 224. Venialia posse esse materia per accidens, n. 225. Peccata ea sola corrigere præcipimur, quorum correctione fratrem lucremur, n. 226. Ad venialia suadere solum est veniale, n. 227. Nõ est peccatum non corrigere à venialibus, ibi. Peccata venialia vita-

re,

re, est moraliter impossibile, ibi. Peccatum mortale præteritum, si sciamus non esse remissum est materia correctionis, p. 529. n. 228. Peccatum si memoriæ occurrat practicè, vt detestabile, tunc tenemur dolere de eo, p. 529. num. 230. Peccatum statim inducit priuationem iustitiæ debitæ, & sic statim homo tenetur soluere, & satisfacere, ibi. Non peccat omittens correctionem fraternam statim, ac homo peccauit, pagin. 530. num. 231. Peccata ignoranter commissa sunt materia correctionis, pag. 530. num. 233. Et peccata publica, pag. 531. num. 235. Nisi non speretur fructus, ibi. Peccatum, & si infieri, & cõseruari sit voluntarium: tamen vt contra naturam rationalem involuntarium est, pag. 531. num. 236. Peccatum corã nobis commissum, quãtumuis secretè, in nos, & cõtra nos committitur, p. 532. n. 257. Peccatoris salus spiritualis præferenda est famæ ipsius, p. 542. n. 269. Peccatum probabiliter futurũ, si præsupponat aliud præteritum mortale, vel veniale dispositiuum ad mortale, est materia correctionis, p. 553. n. 300. Peccata aliorum quærere, vt corrigãtur, est vitium execrabile in personis priuatis, p. 556. n. 312. Peccato quolibet mortali quilibet est occasio ruinæ sui ipsius, p. 566. n. 343. Peccato furti peccãs, tenetur ad restitutionem, si suo exemplo indirectè est occasio, vt alter furetur, vt aliqui dicunt: sed videtur contra praxim omnium Doctorum, pag. 566. n. 346. Peccatum scandalizantis potest esse specie diuersum à peccato scãdalizati, ibi. Peccato scandali non peccare petentem, inducentem, vel cõsulentem ad peccatum, si proximus sit ad peccatum paratus, censent nonnulli, pag. 571. n. 358.

Pelagius. Pelagiani. Pelagius reprehensus fuit, non quia reuelationem appellauit gratiam, sed quia nullam gratiam admittebat, p. 46. n. 123. Pelagiani sperantes gloriam viribus proprijs sine gratiæ auxilio supernaturali factis, peccant contra spem, pag. 428. num. 158.

Penam excommunicationis incurrunt apostatæ propter meram negationem fidei externam, vt dicunt aliqui, sed communis sententia dicit, quòd nullę incurruntur pœnæ propter hoc, pag. 257. num. 127. Pœnas hæreticorum non contrahunt, qui solum exterius faciunt contra præceptum fidei: imò ob tale peccatum nulla censura incurritur, nec est crimen reseruatum Papæ, p. 269. n. 164. & 165. Pœnas

contra hæreticos apostatatas non incurrit cathecumenus, qui ante Baptismum a fide recedit, p.285. n.207. In pœnis nō fit extēsio ad diuersum casum, & si sit eadem ratio, dū legislator expresse non extēdet, p.315. n.303. Excusare à pœna signū leue internæ hæresis dicunt aliqui, sed alij cōtradicunt, p.375. n.379. Pœnā excōmunionis incurrunt hæretici ipso facto, p.333. n.370.

Pœnā confiscationis omnium bonorum incurrit hęreticus ipso facto, sed non purè mentalis, p.351. n.427. Pœna confiscationis est quid diuersum à priuatione dominij, pag.351. n.428. Est adquisitio tituli, vt iustè puniatur delinquens, & priuetur bonis, vt in fisco reponantur, ibi. Pœna confiscationis non habet locum circa bona futura post sententiam, p.352. n.433.

Pœnam priuationis beneficij ipso facto incurrere hæreticū occultum, dicunt aliqui; sed alij contra asserunt, p.351. n.426. Pœnā prinationis officij ipso facto incurrit hæreticus, quātum ad vsum, n.45. Pœnā priuationis iurisdictionis nō incurrit vsque ad sentētiam, ibi.

Pœnā infamiæ non incurrit hęreticus vsque ad sententiam iudicis: sed alij dicunt oppositum p.350. n.424.

Pœnā irregularitatis nō cōtrahit hæreticus occultus: licèt alij oppositū affirmēt, p.350. n.423

Pœnā sepultura carendi incurrit ille, qui notoriè obijt hæreticus, ita quod nō possit aliqua tergiuersatione zelare, n.422

Pœna mortis potest Ecclesia iustè puniri hęreticus, p.357. n.452 Pęna hęreticorū pertinacium est ignis, ibi. & n.456. Pœna mortis poterit condonari, si hæreticus cōuertatur post latā sententiam, nō in foro publico, aut in Ecclesia, & reus non sit traditus brachio sæculari: secus aliter, p.359. n.459. Pœna mortis nō est puniendus non relapsus ante sententiam conuersus, n.458. Pœna mortis plectūtur negatiui, testibus conuicti plena probatione, p.359. n.460. Similiter qui fatetur aliquā hæresim, sed negat alterā, de qua est plenè conuictus, ibi. Similiter qui negat cōplices: licèt praxis Tribunalis sit in cōtrariū, ibi. Nō est puniendus pœna mortis, qui reuocat confessionē, si aliunde non sit conuictus, & crimen aliunde nō constet, nisi ex tali cōfessione in tortura, n.460. Est tamen puniēdus, vt negatiuus, qui hæresim externam confitetur, sed negat internā, n.461. Non est plectendus sic relapsus, qui spote cōparet, & se accusat p.360. n.462. Secus qui in primo lapso cōparet, & abiurauit; sed in relapso comprehenditur, & testibus damnatur, ibi. Excipe si ante pu-

pubertatem abiurauit, ibi. Pœna relapsi non est puniendus, qui solum abiurauit primam hæresim, non abiuratione generali, & posteà in aliam diuersam incidit, num. 164. Non est puniendus vt relapsus, qui vehementer suspectus de prima hæresi non tamen probata coactus generaliter abiurare, & posteà in aliam diuersam labitur, num. 465. Non est puniendus vt relapsus, qui post vnam hæresim, se ab illa purgauit, si non abiurauit, etiam si posteà incidat in alteram, num. 464. Secus si in eamdem hæresim incidat, ibi. Etiam si prima vice abiurauit propter solam vehementem suspicionem, num. 465. Et quam ob leuem suspicionem abiurauerit, ibi.

Pœna carceris datur hæreticis, qui non traduntur curiæ sæculari. & sunt pœnitentes: aliquando est perpetua, aliquando non, p. 362. n. 471. Potest abreuiari, vel commutari, ibi. Non perpetuam solus Inquisitor Generalis potest abreuiare, vel commutare, ibi. Potest commutari in triremes ad tempus ibi. Perpetua nō intelligitur vsque ad mortem, nisi sit irremissibilis, n. 472. Imò tūc trāsactis octo annis, solet dispensari, ibi. Pœna ordinaria nemo potest puniri, nisi confessus, aut conuictus, p. 368. n. 490. Vide verb. *Credentes, Receptantes, Fautores, Defensores hæreticorum.*

Pœnitentiæ Sacramenti formam omnes Sacerdotes tenentur scire, p. 276. n. 182.

Pensio Ecclesiastica non cadit sub fisco laico, p. 354. n. 446. Pensio in fauorē fidei comprehēditur sub nomine beneficij, ibi. Pensiones amittunt filij hæreticorū post condēnationē patris sicut beneficia, ibi.

Peregrini, & aduenæ possunt absolui ad hæresi occulta vigore Tridentini ab Episcopo, vbi ad breue tēpus habuerint domicilium, p. 343. n. 403.

Persequutionis tempore fidē actu solo externo negare, sectarūt hæretici, p. 247. n 95. Persequutionis tempore fugā esse illicitā dixit Tertulianus, sed non benè, p. 263. n. 158. Persequutionis tempore licitam esse fugam absolutè, aliqui iudicant de fide, p. 263. n. 158.

Pertinacia est de cōstitutiuo formali peccati hæresis, p. 299. n. 254. Ad pertinaciam sufficit directè, vel indirectè velle resistere fidei doctrinæ, aut assentiri, vel dissentiri cōtra veritatē fidei ex ignorātia vincibili, & culpabili, vt aliqui dicunt, p. 300. n. 256. & 257.

Petere Sacramenta ab excommunicato tolerato, nō est illicitum, p. 264. n. 147. Petere Baptismum ab hæretico, so-

lum in necessitate potest excusari, ibi. Petere aliquid, quod absolutè potest licitè facere proximus, tamen hic, & nunc præuidetur, non esse præstandum sine peccato, nō est illicitum, si petens habet ius ad rem petitam, pag. 571. num. 357.

Petrus. Ioannis nec fuit discipulus Ioachimi Abbatis, nec cum Ioachimo sensit, p. 21. num. 51. Petrus Apostolus, qualiter reprehensibilis à Paulo, p. 250. num. 106.

Pia affectio credendi manet in Patria, p. 211. num. 66. Est ad assensum fidei necessaria: & in opinione probabili non est supernaturalis, p. 52. n. 139.

Philipus Tertius Hispaniæ Rex licitè fecit expelendo Sarracenos, pag. 295. num. 240.

Pontifex Summus licitè potest distribuere Regna, & Prouincias infidelium inter Principes Catholicos, vt Prædicatores exerceant ius prædicandi, pag. 292. num. 232. Solum habet ius directum, quoad spiritualia, in omnia Regna mundi, & indirectum, quoad temporalia, pag. 578. num. 381. Potest ad conseruandam fidem, & Ecclesiam conuocare Reges, & Principes Christianos ex præcepto, quod tenentur obedire: & ita Pontifex potest indicere bellū, pag. 578. n. 381. Habet ius auocandi ad se causas belli inter Principes Christianos, & ferendi sententiam, cui tenētur Principes obedire, nisi manifesta sit iniustitia, n. 382. Iusto timore non audet, interponere suam auctoritatem circa causam belli inter Principes Christianos, ibi.

Portio. Inferior, & superior dantur in voluntate, non verò organa, pag. 393. n. 77.

Potentia absoluta vnus, & idem actus potest esse fidei, & scientiæ, pag. 191. num. 251. Potētia absoluta nō repugnat, spē, & charitatem præcedere habitum fidei, p. 202. n. 25.

Præceptum. Decalogi præceptorum scientiam esse necessariā, explicitā, necessitate præcepti omnibus, & singulis hominibus, fert communis sententia, p. 277. n. 187. Quinque Ecclesiæ est necessariū scire, sed non est necessarium, necessitate præcepti, ea credere explicitè, ibi. Præcepto Ecclesiæ solo instāte, omissio actus fidei, est peccatum contra fidē, p. 258. n. 130. Præcepta Ecclesiæ de actu alicuius virtutis faciūt, quod actus præceptus sit talis virtutis, ibi. Præcepto Ecclesiæ tenentur Parochi, & alij, fidē profiteri actu externo intra duos menses à collatione. Quod præceptum extēditur ad Prælatos regulares, ad Doctores, Magistros, & ad Le-

Lectores, adhuc Grammaticę, licèt per non vsum hoc vltimum sit derogatum, p. 246. n. 94. Præceptum cōfessionis fidei externæ obligat per se, quando ex omissione confessionis proximus est constituēdus in proximo periculo negandi fidem, n. 92. Præceptū non discredēdi, qualiter intelligatur, p. 114. n. 23. Sub præcepto cadit actus fidei, supposito habitu, vel auxilio, p. 148. n. 125. Præceptum datur de actu fidei, p. 220. n. 2. & p. 235. n. 48. & n. 50. & 51. & 52. Est proprium præceptum virtutis fidei ratione proprię honestatis, p. 236. n. 54. Pręcepta moralia, vt erant pręcepta Decalogi, & quæ necessariò oriebantur ex illis, immortalitas animæ: contractio originalis in primo cōceptionis instanti: resurrectio mortuorum: & quod protestatio fidei, & Circuncisionis erant Sacramenta in remediū originalis: & quod mediator Dei, & hominū erat futurus; & alia, erant in lege naturæ necessariò credenda necessitate præcepti, pagin. 236. n. 56. Præcepti necessitate in lege scripta, erat necessariò credere, quod lex Moysis erat diuina: quod Circuncisio, erat remedium originalis, quod Messias erat venturus in remedium peccati: carnis resurrectionē, festiuitates, & sacrificia, quæ ex pręcepto legis seruabantur, & legalia: & alia, quæ sunt in Leuit. & Exod. p. 237. n. 57. Præcepto honestatis fidei solū est necessarium, implicitè credere Sacramēta, p. 238. n. 63. Præcepta decalogi necessariò sunt credēda explicitè, non ex pręcepto fidei, sed ex honestate aliarū virtutū, ibi. Nō satis cōstat esse pręceptū scientiæ orationis Dominicę, ibi. Præcepto, orto ex obligatione suorum officiorum, tenentur Prælati, & alij, credere ex alijs propositionibus, & obiectis fidei, non verò ex ipsa fidei honestate, seu ex fidei præcepto, n. 66. Præceptum fidei obligat per se, statim moraliter, ac sufficienter proponitur obiectum fidei, p. 240. n. 68. Per accidens obligat in multis casibus, p. 241. n. 73. Præceptum confessionis exterioris fidei, quando obliget per se, & quando per accidens, p. 246. à n. 90. Et de inceps. Pręceptum, si daretur, quod hæretici traderent bona sua ante sententiam, nō obligaret, p. 353. n. 435. Præceptum spei datur positiuum, & negatiuum, & naturale diuinum, pag. 427. n. 8. Quando obliget, à n. 9. vsque ad 12. Præceptum speciale datur timoris seruilis, pag. 433. num. 28. Præceptum speciale datur diligēdi Deum super om-

nia, pagin. 509. numer. 169. Præceptum tale negare, est seminare zizaniam, ibi. Quando obligat, pagin. 512. num. 177. Præceptum datur diligendi proximum simile præcepto diligendi Deum in motiuo, & non in alio, pag. 514. num. 183. Colligitur clarè ex Paulo, num. 184. Præcepto isto tenemur nos ipsos diligere, num. 185. Præceptum datur correctionis fraternæ, p. 526. num. 217. Illud negare est periculosum in fide. Est naturale diuinum, à num. 218. Pertinet ad quintum Decalogi, num. 220. Non est onerosum, neque scrupulosum, pag. 530. num. 272. Est generale, & obligat omnes homines, pag. 532. num. 238. Strictius obligat Prælatos, Parochos, & Confessarios, num. 239. Obligat peccatores, numer. 244. Quare restringatur ad sola peccata secreta, quoad ordinem corrigendi, non benè explicatur à Doctoribus, pag. 538. num. 258. Præceptum sæpè vsurpatur pro consilio, pag. 541. num. 264. & 265. Præceptum correctionis, vt obliget, requirit notitiam miseriæ, spem fructus, & quod correctio sit proximo necessaria, pag. 552. num. 297. Non infert obligationem inquirendi, quod corrigamus in alijs, ibi. Præceptum est dubium, quando notitia materiæ corrigendæ est dubia, & tale præceptum solū probabiliter obligat, quando correctionis materia solum probabiliter est nota, numer. 298. Præcepto eleemosynæ non teneor subuenire pauperi sub dubio indigenti, pag. 553. num. 299.

Prælati. Regulares non peccant contra fidem, omittendo professionem fidei, quam Pius IV. præcipit emittere, pagin. 259. numer. 131. Melius facerent omittendo professionem præceptam fidei: & similiter Lectores, ibi. Prælati regulares possunt absoluere suos subditos ad hæresi occultæ, pagin. 348. numer. 417. Imò non est improbabile posse absoluere suos subditos, in foro externo, ab hæresi, ibi. Neque improbabile est, posse etiam absoluere ab hæresi occulta sæculares, ibi.

Præmissæ. Præmissa lumini naturali nota concurrit ad assensum fidei, vt coniuncta, & eleuata per alteram præmissam de fide, pagin. 52. numer. 139. Præmissa de fide, quæ nititur motiuo fidei, & præmissa naturaliter nota, quæ nititur motiuo scientiæ generant eumdem numero actum, p. 192. num. 257.

Præsumptio est modus excedens nimietatem. pag. 417. n. 156. Alia est in intellectu, & alia in voluntate, & explicatur quotuplex, & quid? ibi. & n. 157. Præsumptio voluntatis opponitur virtuti spei. ibi. Si fuerit hæretica, destruit spē. p. 419. n. 159. Præsumptio, & desperatio opponuntur, & quomodo? ibi. Est ex suo genere mortale. p. 433. n. 29. Tripliciter potest peccari. ibi. & num. 30. Potest esse sine hæresi. n. 31. Non est peius peccatum desperatione. n. 32.

Princeps. Licitè posse Princeps Christianos occupare terras infidelium per anticipatā securitatem, non benè sentiunt aliqui. Alij dicunt posse cum sufficienti exercitu, mittere Prædicatores, non vt inferant bellū, sed vt securè incedant, & iure Ecclesiæ vtantur: possequè munitiones, arces, & turres ædificare in terris infidelium. p. 292. n. 333. Principibus Christianis non licèt defensio Prædicatorum contra infideles, ante iniuriam Prædicatoribus irrogatā. n. 234. Possunt licitè cogere infideles sibi subditos ad audiendā fidem. p. 294. n. 236. Non possunt licitè cogere infideles nō subditos ad relinquēdos errores, quando non sunt in præiudicium Christianorum, vel aliorū innocentium. Possunt tamen cogere infideles non baptizatos sibi subditos. pag. 295. n. 241. Tenenturnō permittere ritus infidelium respectu suorum subditorum. p. 296. n. 244. Princeps supremus solus habet ius indicendi bellum. p. 577. n. 378. Si esset negligens potest priuari authoritate indicendi bellum. ibi. Principibus Christianis attenta rei natura, non est illicitum, assumere milites infideles in auxilium contra fideles in bello iusto: secus ratione periculi peruersionis in fide. p. 579. n. 385. Non licet ipsis assumere milites hæreticos nominatim denuntiatos: secus si denuntiati non sint, nisi rationi periculi peruersionis. num. 386.

Principia fidei, spei, & charitatis esse habitus, negare, non est contra fidem. p. 196. num. 1. Principia vniuersalia sufficere fidelibus, & non esse necessarium credere, & scire explicitè præcepta Decalogi, sensit Medina. p. 277. n. 186. Principium essendi est idem cum principio operandi. pag. 490. num. 119. & 120.

Probabile est habitus infusus non concurrere actiuè ad actum. pag. 147. num. 118. Probabile est placitum asserens, quod non est necessitate medij necessarium, credere explicitè Deum, vt Remuneratorem re-

remuneratione supernaturali.p.226.n.23. Probabilissimè procederet, qui fundamenta de necessitate medij respectu fidei Christi, vt Deus, & Homo in vnitate Personæ Verbi intelligeret de necessitate in re, vel in voto.p.221.n.4.

Processus. In infinitum nõ sequitur, si concedatur, quòd iudicium euidens credibilitatis sit actus credendi. pag.97. num. 278.

Prohibitio communicationis familiaris cum Iudæis non habet locum infidelibus firmis in fide.p.297.n.247. Prohibita est cohabitatio cum Iudæis in eadem domo.ibi. Aliæ prohibitiones non sunt in vsu.ibi.

